# SERTVM GLORIAE
# S. HYACINTHI
# POLONI.

VITAM ET LAVDES IPSIVS,
OCTO CONCIONIBVS
& Septem Orationibus complectens.

*Studio & induſtria*
F. ABRAAM BZOVII ORD. PRAEDICAT.
S. Theologiæ Lectoris confectum, atq; collectum.

*AD ILLVSTRISS.[MVM] ET REVEREN.[MVM] D.*
*D. Alexandrum Perettum S.R.E. Cardinalem*
*Regni Poloniæ Protectorem.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS, Apud Marcum Antonium Zalterium. 1598.

*Cum Licentia Superiorum.*

14·36

# ALEXANDRO PERETTO,

## S. R. E. CARDINALI PROCANCELLARIO, & Regni Poloniæ apud Sedem Apoſtolicam PROTECTORI Illuſtriſſimo.

*F. ABRAAM BLOVIVS POLONVS Sacræ Theologiæ Lector, Ordinis Prædicatorum.*

P. P. P.

SI Meus HYACINTHUS Lothos Euphrateæ imitatur naturam, dum tuo Ampliſſime P. ſplendore colluſtrari exoptat, non eſt quamobrem demireris. Quæ enim inter Cynthium florem atque fulgidum Solem, ea itidem inter meum SS. HYACINTHVM, & te IVBAR fulgentiſſimum inſita propenſio; mea, ni me fallit, ſententia cenſetur eſſe. Flos ille venuſtus ſecreta correptus virtute Solis pernicem curſum æmulatur, vt Aſtro ad nos recurrente, ille quoque ex profundo Euphratis vortice erumpat, & in altiſſimo Cæli axe deuectum ſydus, concito gradu ad eum ſequatur modum, vt ſublimi trunco elatus, ſupra liquidum aquæ pauimentum

*mentum, ſuas radices videatur fixiſſe; & Sole occumbente Lothos occidat ſuumque complicatum candorem, ſub limpida mole recondat. Meus itidem HYACINTHVS ex perlucidis Venetiarum aquis Vere præſenti è mea cultura procedens, vbi te Illuſtriſſimo tuo conſpectu proximam Ferrariæ oram irradiare perſenſit, ſua ſe vi de Adriatico exerens ſinu, tuos expetere complexus tuamque Sereniſſimam lucem ſubſequi decreuit. Perſpexit ſiquidem te, non tam Gentilium tuorum, quam Dei ſapientiſſimo aſſenſu, hieroglyphico Solis (Aegyptijs enim Leo Symbolum eſt Solis, quod eius Splendor in modum Leoninæ iubæ diffundatur) haud temerè inſignitum eſſe. Peruidit te in excelſum, & Syderibus æthereis diſtinctum Eccleſiæ domicilium, ſupremi Dei conſilio elatum, propter inſignem tuarum virtutum candorem IVBAR clariſſimum fore. Agnouit te ſerena mentis altitudine collucentem, quod obſcurum eſt acerbo perſequi odio; quod næuis obductum turpe & tetricum eſt inuicto diſpellere animo, contento vero curſu ad omne quod purum, quod inſigne, quodque Diuina venuſtate præclarum eſt, ſuccenſo efflammare deſiderio. Suſpiciebat te in præaltum Eccleſiæ axem ſublatum, nullis laboribus & contentionibus, immenſis licet atq; grauiſſimis detineri poſſe, quominus omnia tua ſtudia in Sponſa Ieſu Chriſti vtilitatem deferens, decus ipſius, pietatem, religionem, libertatem, Sanctitatis cultum, & in ſumma omnem ſplendorem & Maieſtatem vel conſerues, vel illuſtriorem tuo efficias candore; Vt te iam vniuerſa Eccleſia, non ex vnguibus Leonem terreſtrem, ſed ex lucidiſſimis inſignium facinorum radijs Sydus quoddam æthereum admiretur & obſeruet*

Alluſio ad inſignia Illuſtriſs. Cardinal.

ſeruet

*ſeruet. Quare ſplendoris tui his longè lateque rutilantibus radijs excitus tuo clareſcere fulgore, ſeque tibi conſecrare ſummo deſiderio percupiebat. Neque verò alij SS. HIACINTHVS Sacer eſſe debet, præterquam tibi qui Apollinis dotibus excultus, te Pallanthæum eſſe declaras. Nec alteri nuncupandus erat HYACINTHVS quam tibi qui Virtutum HYACINTHI æmulator, pietate, fortitudine & Maieſtate, cæteriſque animi tui prope Diuinis ornamentis ampliſſimè cumulatus, candidos in Chriſti Eccleſia diffundens radios, omnes omnium colluſtras & in tui admirationem pertrahis mentes. Nec alteri HYACINTHVS à me quali quali ſtudio ornatus, erat dicandus quam tibi, qui vt ille non à me tantum ſed ab innumeris Italiæ, Hiſpaniæ, Galliæ, & totius Europæ grauiſſimis ſcriptoribus, imo & ab vniuerſo Orbe iuſtis honorum titulis atque laudibus celebraretur, tua diligentia plurimum effeciſti. Nec alterius tutelæ committendus fuerat PROTECTOR POLONIÆ quam tibi POLONIÆ PROTECTORI Ampliſſimo, quo mea Patria, & potentiorem in libertate ipſius propugnanda, & vigilantiorem in promouenda religione Sacrata, & in Diuini cultus ſtudio amplificando ardentiorem habet neminem, apud Summum in terris Chriſti Vicarium. Hunc igitur duobus, ſiue in duobus ſertis vernantem, lubenti animo ſuſcipias oro, inquè tuum admittens complexum, tua inſigni luce illuſtres. Non ille ſis precor truculentus Leo, qui vbi ſertis & floribus ſe redimitum deprehendit in ſpeculo, omnia illa ac indigna ſuo magnifico animo ratus, fremens diſcerpit & pedibus calcat. Non in tui ampliſſimi*

*mi verticis, ſed in meum ornamentum ego tuo nomini conſecro HYACINTHUM. Neque verò ſi illum in tuam ſuſceperis protectionem, te deformandum, quin potius immortali laude, à me celebrandum iri tibiipſi perſuadeas. Si enim hunc læta fronte & lubenti animo à te complexum eſſe perſpectum habebo; hæc cura erit infixa animo meo ſempiterna, vt omnes intelligant, mihi pro grata animi beneuolentia, in tuo cultu obſeruantiam, & in obſeruantia fidem, & in fide candidam ſinceritatem non vnquam defuturam. Deus te Illuſtriſsimum decus meum dignitatibus ſupremis adauctum, longæuo ſæculo conſeruet fælicem.*

*Venetijs ex noſtro S. Dominici Conuentu, 10. Calendas Iunij Anno Domini 1598.*

# Facultas à Superioribus conceſſa.

NOS F. Paulus Iſareſius Mirandulanus S. Theologiæ profeſſor, & totius Prædicatorum Ordinis in Romana Curia Procurator, atque Reuerendiſſimi Magiſtri Generalis Vicarius. &c.

Harum ſerie noſtri authoritate officij, quantum ad nos, noſtrumq; attinet officium, concedimus & præcipimus tibi R. P. F. ABRAAM Bzouio S. Theologiæ Lectori, vt *Flores aureos* ſuper Euangelia totius anni; & *Serum gloriæ S. Hyacinthi Poloni*, (quæ opera à te conſcripta ſunt) publicæ vtilitatis gratia, prælo mandare facias. Dummodo tamen omnia ſeruentur, quæ iuxta SS. Concilij Tridentini decreta, & Noui Indicis regulas, ſunt in librorum impreſſione ſeruanda.

Dat. Romæ, in Conuentu S. Mariæ ſuper Mineruam. die 31. Ianuarij. Anno Domini 1598.

Conſeruus in Domino.

F. Paulus Iſareſius Mirandulanus, Procurator Ordinis & Vicarius Generalis.

GLI Eccellentiſsimi Signori Capi dell'Illuſtriſsimo Conſ. de X. infraſcritti, hauuta fede dalli Signori Riformatori del ſtudio di Padoua, per relation delli tre à ciò deputati, cioè del Reuerendo P. Inquiſitor, del circonſpetto Secretario del Senato Lorenzo Maſſa; & di D. Fabbio Paulini Dottor Lettor publico, che nel libro Splendor gloriæ S. Hyacinthi Poloni, compoſto del R. P. Abraam Bzouio, non vi è coſa contra le leggi, & è degno di Stampa, concedono licenza, che poſsi eſſer Stampato in queſta Città.

Data die VIII. April. 1598.

Giacomo Moreſini.
Benetto Moro,
Lunardo Mocenigo.
} Capita Illuſtriſsimi Conſ. X.

Illuſtriſsimi Conſ. X. Secret. Leonardus Otthobonus.

1598. a x. d'Aprile, Regiſt. in libro.

Antonius Laured. officij Conſ. Blaſph. Coadiutor.

# A. R. P. ALEXANDRI GERARDINI
## E SOCIETATE IESV
## IN SANCTVM HYACINTHVM,
### *ANAGRAMMA PRIMVM.*

HYACINTHVS ODROVONS
NI THVS SVDO, NECTO IA.
*Vndique nectareo ſemper perfundor odore*
NI THVS SVDO *calens* NECTO *decorus* IA.

### SECVNDVM.

HYACINTHVS ODROVONS
*Ah ſons Diuinus horto*
*AN* FONS DIVINVS *Superum cur crederis* HORTO
*Non ibi gleba iacet; non ſitit vllus ager.*
*AH* FONS DIVINVS *cur noſtro haud laberis* HORTO
*Ah riget vnda ſolum, quæ rigat nuda Polum.*

## EIVSDEM ODE.

*Eia animoſa cohors animoſo tollite cantu*
*Facta viri ſtrenui*
*Atque* HYACINTHVM *cum plauſu pia tecta ſonoris*
*Carminibus reſonent,*
*Ferte Hyacinthos, atque* HYACINTHI *ſtringite* SERTIS
TEMPORA PVRPVREIS
*Sic meritis quondam ſolita eſt gens priſca Quiritum*
*Concelebrare Duces.*

SERTVM

# SERTVM GLORIAE

# S. HYACINTHI

## CONFESSORIS POLONI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Studio & induſtria

F. ABRAAM BZOVII ORD. PRAEDICAT.

confectum.

## IN S. HYACINTHVM CONCIO PRIMA.

*Quid* HYACINTHO *ex natalium ſplendore obtigerit, expendens.*

FECISSET vtinam Ampliſſimus gratiarum largitor Deus, vt conatum quem in Sanctiſſimo Hyacintho, debitis laudibus celebrando ſuſcepi, vel nunquam mihi inſpiraret, vel inſpiratum, ea dicendi vbertate facundum efficeret, vt teſtimonium meæ erga Sanctum deuotionis, illa qua pareſt, verborum, & ſententiarum copia explicarem. Nam aut ille, de cuius laudibus ſermonem ordior, aliquem Tullium Romanum, vel ſatius Angelum cœleſtem aſſecutus fuiſſet; aut certè, ſi Deus meum animum, ad ornatius genus orationis excitaſſet, poſſem ego & Sanctum ampliori auctum honore vobis commonſtrare ad ſuſpiciendum, & vos quadam nouitatis erectos delectatione, paratiores reddere ad audiendum. Sed cōtra, omnia mihi & Hyacintho eueniſſe aduerto. Nam & is qui laudandus eſt, non hominum ſed cœlitum lingua, celebrandus eſſet. Sic enim mihi ipſi perſuadeo, nullum reperiri tam acre, & excellens ingenium, quod nedicam comprehendere, ſed perſtringere; nullius eſſe

tantam dicendi vim, quæ non dicam augere exornando, admirandas, & prope infinitas Hyacinthi laudes, ſed percenſere numerando poſſet. Quis maiorum ornamenta præclara, quibus Hyacinthus forte fortuna illuſtratus eſt? Quis Hyacinthi vitæ honeſtiſſimæ ſpectatiſſimam probitatem; religionem; ardentiſſimum Diuinarum rerum ſtudium; Diuinam quandam & ſupracæleſtem in mortali corpore viuēdi normam; Quis facinora illuſtria gloriosè patrata, ſatis dignè celebrabit? Fallar ego prorſus, ſi ſperarem debitum linguæ honorem, aliqua ex parte, me Hyacintho perſoluere poſſe. At nunquid ſtudium meum, ab eo laudando auertam? Num, quia tenuitas mea atq; inopia, multis incommodis impedita, ea orationis ornamenta, & lumina nequit adhibere, quæ quodam incredibili flumine, cœleſtes oratores ſolent, nulla adhibebit? Minime gētium. Perſoluendum eſt à me quoque officium iuſtum, illi, in cuius concinendas laudes, omnes omnium linguæ, erumpant neceſſe eſt. Laudibus à me quoque, euehendus eſt, ille qui pro meritorum magnitudine, pro Diuinis moribus, pro memorabilibus, & nunquam ſatis laudandis factis, dignus eſt, vt ab omnibus celebretur. Siue enim vitæ ipſius innocentiam conſpicias; omnium virtutum cumulum, quæ quiſpiam Sanctorum conquirere vnquam potuit ac inuenire, adeptus, tanquā refertiſſimum ſeſe theſaurum effecit, & omnes omnium ſæculorum gentes, ea integritate, in
In Bulla canoniz. ſui (vt Sanctiſſimus prædicauit Clemens) admirationem excitauit. Siue chriſtianæ humilitatis (proſequitur Beatiſſimus Pontifex) ſpecies ante oculos proponatur; eo nihil erat demiſſius, nihil modeſtius, ſiue caſtitatis ac virginei pudoris, imago pulcherrima deſideretur; illo nihil purius, nihil candidius fuit. Si denique veræ in Deum, & proximos charitatis forma exquiratur; illius charitate nihil potuit abſolutius, nihil perfectius exoptari. Si Diuini cultus, propagandi ſtudium, nullum ardentius. Si de alijs benemerendi cupiditatem; tantum ergà Rempub, ſiue Polonam, ſiue vniuerſi Orbis Chriſtianam præſtitit; quantum pauciſſimi Sanctorum. Quod enim Polonia, amplexa Chriſti ſanctiſſima dogmata, ad meliorem frugem olim reducta fuerat; Hyacinthus ſuis laboribus effecit. Quòd idem ampliſſimum Regnū, auitam quam ſemel recepit, ſemper conſtantiſſime ſeruauit Catholicam fidem; Hyacinthus ſua prouidentia obtinuit. Quòd pietatis, deuotionis, & ſanctitatis; quòd rerum ſpiritualium à Patribus relictarū, ornatiſſima apud Polonos remanent veſtigia; Hyacinthus ſapientia ſua conſtituit, & impræſſit. Quòd vniuerſus Orbis, tantis à Deo Opt. auctus eſt beneficijs: quòd iracundiæ Diuinæ manus, & tela cōpreſſa; quòd horribiles pœnæ, iamdiu ſceleribus noſtris debitæ auerſæ

quòd

quòd turbulentiſſimi bellorum metus conſopiti; quòd Turchæ immanis,potẽtiſſimæ vires cohibitæ; quòd multis difficilimis incommodis,& grauiſſimis morbis Italia,Hiſpania, Polonia, Sicilia, Luſitania, Flandria eliberata; quòd optatis perfruitur bonis latiſſima Europa, Hyacinthus oratione ſua impetrauit.Quòd res Chriſtianorum labentes & afflictæ,cõfirmatę & erectæ ſunt:Hyacinthus ſubleuauit; cõfirmauit Hyacinthus.Tanta igitur à tali,& tanto viro cũ oẽs accipiamus beneficia,ingratum me fore dicebam, ſi in laudes illius non proſilirẽ: ingratum quoque exiſtimabam illum,qui laudes eius non acciperet, ſi non ornatiſſimè, non iucundiſſimè dicantur. Patere obſecro Hyacinthe Sanctiſſime, ſi in natalium tuorum ſplendorem, ſi in admirandum nomen tuum, rigentia labra, linguam balbutientem, ſtupidam vocem,orationemque meam ineptam conuerto:Vos quoque auditores præclariſſimi,orationem meam qualiſcunq; eſt,benigna excipientes aure,attenti audite.

Quæ in perficienda ſuperadmirabili, Sanctæ de cœlo delabentis Ciuitatis ſtructura, Sapientiſſimus artifex Spiritus Sanctus præſtitit, licet magnifica atque præclara omnia videantur;nullum tamen ſplẽdidius, nullum Diuino opificio dignius, quàm illa duodecim fundamenta,ex ſingulis margaritis,in fundamenta, ſimul, & portas Eccleſiæ collocata.Siue enim materiam adſpectes;ex lapidibus pretioſiſſimis effecta ſunt.Siue formam diſpicias;& Angelico,& Apoſtolico, & Patriarcharum charactere expræſſa fuere. Siue effulgentem contempleris ſplendorem;tantus ex eorum aſpectu oboritur fulgor,vt ſublimi ſpecie, & mentem, & affectum, & omnes animæ vires in admirationem pertrahant. *Suſtulit me,* ait Ioannes, *vnus de ſeptem Angelis, in montem Magnum, & altum; & oſtendit mihi ciuitatem Sanctam Hieruſalem,deſcendentem de cælo, habentem claritatem Dei, & lumen eius ſimile lapidi pretioſo, tanquam lapidi iaſpidis, ſicut cryſtallum. Et habebat murum magnum,& altum,habentem portas duodecim; & in portis Angelos duodecim, & nomina inſcripta, quæ ſunt nomina, duodecim tribuum filiorum Iſrael. Et murus habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim,nomina duodecim Apoſtolorum Agni. Et erat ſtructura muri Ciuitatis ex lapide iaſpide:ipſa vero Ciuitas aurum mundum, ſimile vitro mundo. Et fundamenta muri eius, omni lapide pretioſo ornata. Fundamentum primum Iaſpis; Secundũ Sapphyrus:tertium,Chalcedonius;quartum,Smaragdus; quintum, Sardonyx: Sextum, Sardius; Septimum, Chryſolytus; octauum,Berillus;nonum Thopazius;decimum Chryſopaſſus; vndecimum, Hyacinthus; duodecimum Amethyſtus. Et duodecim portæ, duodecim margaritæ ſunt; & ſingulæ portæ, erant ex ſingulis margaritis; & platea* Apoc. 21

*Ciuitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum*. Nemini dubium eſt, viros Sanctitatę vitæ, & doctrinæ integritate cõſpicuos, fundamẽtorum & portarum locum, in Eccleſia, cum illa de Cœlis deſcendente, tum illa in Cœlis triumphante obtinere. Vt enim fulcrum ædificij illud cenſetur eſſe, quòd ſua vi, elatam ſuſtinet, & conſeruat machinam; ſic fundamentum Eccleſiæ, non temerè vocabitur is, qui vel morum honeſtate, vel ſapientiæ ſplendore, vel magnitudine animi, laborib. vigilijs, oratione, ſolerti ſtudio, & ſi opus erit ſanguinis profuſione, Eccleſiam ſuſtinebit, & conſeruabit. Vt portæ nomen obtinet, illa pars domus, qua vniuerſi egrediuntur, & ingrediuntur domum; ſic nõ immeritò porta Eccleſiæ appellabitur is, per quem & fideles in Chriſtum credentes, ingrediuntur, & dona à Chriſto liberaliter diffuſa deferuntur, ad hanc ſpecioſiſſimam domum. Ob hanc rationem Apoſtolus Paulus, Prophetas, & Apoſtolos fundamentorum nomine inſignuerat dicẽs. Iam non eſtis hoſpites, & aduenæ, ſed eſtis Ciues Sanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum. Ob hanc eandem cauſam & Pſaltes, ex Auguſtini decreto, Sanctos portarum cæleſtium loco habuit, dum cõcineret Hieroſolymæ ſpiritualis laudes. Quoniam ait; confortauit ſeras portarum tuarum, benedixit filijs tuis in te. Propter hanc eandem rationem, Eccleſia Spiritu Sancto in laudes Mariæ excitata, ei decantat. Porta cęli, Regis alti ianua, & porta lucis fulgida, Sanctuarium Dei, fundamentum Eccleſiarum. Ob hanc eandem cauſam, & Hyacinthum Sanctiſſimum, ijs titulis condecorare non verebor ego. Is enim & eximia eruditione, cum præclara, & inſigni pietate coniuncta, tanquam lucerna ardens, clariſſimo virtutum ſuarum lumine Eccleſiam colluſtrauit. Is orationum ſuffragio, opitulatus eſt Eccleſiæ; is laboribus, vigilijs, ſtudio, Septentrionalis Eccleſiæ parietes, & labentes erexit, & erectos confirmauit, & confirmatos conſeruauit. Is denique, omne id quòd in Sarmatica effulget Eccleſia, cãdore ſuo exornauit. Per hunc ac ſi per portam cæleſtem, plurimæ gentes in ſinum Eccleſiæ ſeſe recepere. Per Hyacinthum, inæſtimabiles mundo theſauri diffuſi; per hunc innumerabilia credentibus bona collata. Per iſtum ad fæliciſſima Regna plurimi admiſſi: huius ope, prope infiniti in ſplendenti throno beatitudinis collocati. *Fundamẽtum Eccleſiæ vndecimũ Hyacinthus*, vndecima mundi ſeneſcẽtis hora poſitũ: vndecima *Ciuitatis cæleſtis porta Hyacinthus*, his calamitoſis labaſcẽtis mundi tẽporib. erecta, & Diuinis qbuſdã characterib. exarata. *Et Angeli ſiquidẽ vnius, & Apoſtoli vnius*, Mathæi, videlicet ſm ſymboli, ſeu Simonis Cananei, ſecundũ Mathæi Euangeliſtæ ordinẽ, *& vnius Patriarchæ*,

Ioſephi ſcilicet iuxta Iacobi Patriarchę, & Ioannis Apoſtoli, ſiue Aſſeris iuxta Moyſi ſeriem, pulcherrimis imaginibus delineatus reſplēduit. Myſteria characterum ſuo expendemus loco; nunc originē noſtræ præcioſiſſimæ gemmæ perſcrutemur. ¶ Scio plurimos ex ijs, qui omnia mundi bona nepili æſtimarunt, ſuperuacaneam fore iudicātes, de natalium Hyacinthi ſplendore diſputationem. Audio Lucium Craſſum populi Romani cenſorem, præcipientem; neminem debere laudari, ab ijs quæ nō ſunt in eius manu poſita. Perſentio obſtrepentem mihi Socratem, & Cynicum, opes & nobilitatem nihil in ſe habere honeſtatis, verum & omne ex eis malum oriri; nobilitatem atq; hoc genus fortunæ bona, nihil aliud quàm malitiæ, velamina eſſe: nō illum eſſe virum bonum, & ſtudioſum, qui genere clarus, ſed qui moribus egregijs fuerit: commendare patriam, exornare genus, opes augere oratione, amplificare diuitias, commemorare ſtaturam corporis & vires, laudare præſtantiam dignitatemque formæ, nihil eorum præterire quòd vel à fortuna, vt vulgus hominum loquitur; vel à natura donatum eſt; omnia externa percenſere bona, ſtultitia eſt in eorum laude, qui ea omnia propter ſapientiam, & virtutem, & altitudinem animi contempſerunt, aut etiam abiecerunt. Quid igitur? Nū patriam, & generis nobilitatem Hyacinthi, oratione illuſtrabo? Enumerabo auos, & proauos? Num genus vniuerſum, honoribus publicis ornatum recenſebo? Num opes, triumphos, imagines, ſtemmata, ad memoriam nominis prodendā, ſermone proſequar? Proſequar prorſus: triumphos explicabo, demonſtrabo imagines, ſempiterna dignos memoria, auos & proauos, & parentes Hyacinthi è tumulo excitatos, ſiue è cœlis potius deductos, vobis ob oculos ponam; vt intelligatis, nihil vnquam ad fælicitatem, nihil ad illuſtris vitæ dignitatem, Hyacintho defuiſſe. Non eo inficias, quòd Diuini homines, qui mentis altitudine cæleſtia atque ſempiterna contuentur, pro nihilo ducent, ea omnia quæ homines rebus terrenis affixi, nimis demirantur. Neque illud pernego, quòd Summus rerum omnium Dominus, non magni facit eos, qui fallaciſſima nobilitatis ſpecie inſoleſcunt, ſed illos qui nihil ſibi è terris arrogant, & omnia ornamenta interna, è cœlis petenda iudicant. Et illud ingenue fatebor, quod idem altiſſimus Dominus, ſuperbos & nobilitate generis tumentes deprimit; eos autē qui non fucatum humanæ dignitatis ſplendorem, ſed Diuinæ charitatis amplitudinem aſſidue recognoſcunt, plerumq; ex infima mortalium fæce ſeligit. Et Socrati, & Diogeni libenter dabo, opes, & nobilitatem nihil habere in ſe, & ex ſe nobilitatis; ex opibus, & nobilitate, plerūque infinita mala oriri; nobilitatem plerumque malitiæ velamē eſſe;

Vide Concione. 5. & 6 explicationem Characterum.

illum

illum bonum virum debere cenſeri, non qui genere clarus, ſed qui moribus egregijs fuerit: quemque debere laudari non ab eis, quæ in eius manu poſita non ſunt; nobilitatem ſtultum eſſe ponere in præcipua laude, eorum qui propter Chriſtum ignobiles ſeſe reputarunt: cum his tamen prædicabo, non infælicem illum fore, ſed maximis donis à Deo ornatum, cui clariſſimum obtigit genus; illũ non exigua habere virtutis adiumenta, qui ex illuſtri ſanguine progenitus eſt. Et illud quidem primum eſt, quòd, Philoſophi naturas rerum ex materiæ diſpoſitione perueſtigantes dixerunt, quia nobiliorẽ animam ſortiti ſunt. Nobiliori materiæ, formam nobiliorem copulari, aiunt illi; ex nobiliori autẽ anima inſigniorem indolem; ex indole inſigni, præclara virtutum ſemina; ex virtutum ſemine, quid, niſi Diuina quædam factorum illuſtrium ſeges, & ſperari, & expectari poteſt? Inde proceſſit dicterium commune. *Mali corui, malum ouum. Monſtrum in corpore, monſtrum in anima. Naturæ artificio, ex ſtatu materiæ ſignatos, caue*: Innuere prouerbijs volebant, ex corporis diſpoſitione humani, animum quoque ſuas concipere formas. vt, Si ex permixto plurimorum ſemine, quis conceptus ſui initia ducat; varium & multiplex ingeniũ obtineat. Si corpore vel toto, vel in parte deformis ſit; deformem habeat, & animam. Si oculo toruo; ſi facie obſcura; ſi labris tumentibus; ſi denique alio notatus membro; tumentem, obſcuram, ad omne flagitium propenſam habeat, & animam. Si econtra boni corui fuerit ouum; ſi ex optimo ſemine; ſi optimè diſpoſitum; ſi formoſum, claro venuſtum ſanguine; ſi naturæ beneficio, inſigni ſpecie ornatum quis acceperit corpus: & animum quoque ornatum, clarum, ſpecioſum, ad omnia optimè diſpoſitum, igniculis, & ſeminibus omnium virtutum conſitum, ad optima quæque inclinatum obtinebit. Quis autem non videat nobilium filios, ex puriori, & nobiliori ſanguine prognatos eſſe? Quis pernegabit nobilium filios, vt ſanguinis claritate, ita præſtantia formæ, ſic ingenij acrimonia, ſic cæteris naturæ dotibus, vulgũ communẽ præcellere? Quis non quotidie perſpicit, in ſanguine nobilium, magnum quiddam, & excelſum deliteſcere, quod eos ſua vi ad magna, & ſublimia excitat? Cur nobili ſemine concreti infantes, dũ rationis non nihil (cæteris quidem citius) quarto vel tertio attingũt ætatis anno, ad excelſa feruntur? indigna quæque abhorrent? inferioribus dedignantur commiſceri? omnia conceſſa largiuntur? delicias ſæpe ſæpius deuitant? ſupra humana quædam, & loquuntur, & moliuntur? Naturæ beneficio permoti; ſtimulis à natura inditis concitati: Natura optimè conſtituta, quàm hæreditario ſortiti ſunt iure, illos ad optima quæque impellit. Quemadmodum in ſemine cauſam

eſſe

eſſe ſcimus ſtirpium atque arborum;ſic etiam maiorum ſatu, ingenerari plerumque poſteris egregiæ cuiuſdem virtutis indolem ſuſpicamur. Habent, & alterum virtutis adiumentum; maiorum ſcilicet exempla.Cum enim quiſque magis exemplis moueatur, quàm verbis;& illis quidem plus domeſticis quàm externis:fit,vt cum rationis vſum aſſecutus fuerit,nobilis cuiuſdam filius; virtutum excitatus ſemine,maiorum imagines ante ſuos conſpectus ponet; illorum anteactam vitam examinabit; quibus inſtrumẽtis honores adepti ſunt immortales; qua ex re gloriam ſempiternam ſibi pepererunt: quo ingenio opes ampliſſimas,auri, & argenti copiam, ſeruorum cateruas, dignitates,& magiſtratus obtinuerint; quamobrem ſtemmata, colũnas, obeliſcos, & alia virtutum monumenta poſteritati reliquerint, perquiret, & inueſtigabit; ſeque ad æmulanda eorum inſignia facta; ad virtutis cultum;ad magnificarum rerum conatus,componet atque eleuabit. Pater meus, (ita ſecum fabulabitur) rebus præclarè geſtis opinionem Diuinæ cuiuſdam affinitatis, apud reliquos ingenerauit? Non mihi degenerandum eſt ab eo, non ſordibus, non ignauia, non ſcelere obſcurandum eſt clarum genus, ſed virtute illuſtrandum;non amentia,& temeritate,generis ornamentum conuellendum,& in turbam viliſſimorum hominum conijciendum, ſed prudentia, conſilio, fortitudine,animi robore, ſummaque contentione ſubleuandum, & conſeruandum eſt.Quidnam hæc virtutis inſtrumenta, in animis nobilium efficiant? Clariſſimè videmus.Quicquid enim in omni ætate, extitit prçclare geſtũ; quidquid dignũ memoria ſempiterna imitandum permanet;plurimum ab ordine nobilium geſtum eſt. Non hic Heraclidarum,non Perſeidarum,non Athenienſium, non Aeacidarũ res memorabiles commemorabo: Miltiades, Cimones,Pericles,Scipiones,Fabios,Ariſtides,& multos alios veteres, ſilentio obuoluam, qui maximo genere orti, &maiorum gloria concitati, tot & tanta magnitudine animi præſtiterunt,vt & rebus gentium in vltimum diſcrimen adductis ſalutem,& nobilitatis ſenio obſcuratæ lucẽ, & Reipub. conſeruatam libertatem,gloriam & Imperium ſæpè attulerint. Noſtra diſpiciamus,& Sacræ Hyſtoriæ euoluamus ſeriem;nõ exiguũ nobilitatis teſtimonium ibi reperiemus. Quis Orbem aquis diluuij obrutum excoluit?Quis humanum genus denuo propagatũ,in ſcientia,pietate,religione inſtruxit? Patriarchæ filius. Quis Hebræorum genus,immani tyrannide oppræſſum,in libertatem vindicauit? Iudę qui inter Iſraelitas,ſplendore virtutis atque nobilitatis excelluit, filius.Quis fretum verberans diuiſit?Quis viã in mari populo aperuit? Quis Pharaonem perſequutorem demerſit? Patriarchæ filius. Quis

prima

prima veſtigia in vndas, vndique tumentes impræſſit? Quis reliquos ad ſequendum excitauit? quis primatum inter alias tribus tenuit? Iudæ nobiliſſimi filius. Iudæ filius decreto Diuino, inter duodecim Principes primus habebatur; primus agmen ducebat, primus vota faciebat, primus immolabat; primus in aciem procedebat, primus in hoſtem arma intorquebat; huius Imperium, & auctoritatem cæteri ſequebantur. Iudæ filius Calebus, & eloquentia ſpes Iudæorum fractas atque debilitatas cōfirmans; & virtute, hoſtium innumeras phalanges proſternens, ſuæ virtutis atque conſtantiæ magnum lumen oſtendit. Ex Iudæ ſtirpe progenitus Dauid, & ingentes Philiſteos proſtrauit, & virtutis laude ſibi gloriam ampliſſimam peperit. Ex Iudæ propagine Ezechias, vnicum pietatis atque virtutis exemplū extitit; Ex Iudæ familia, belli innumerabiles Duces, indicibili ſapientia viri, & æquitatis laude præditi, exorti ſunt. Inde permulti reges, regio nomine longe digniſſimi: inde Sanctorum agmina innumera; inde Sanctiſſimus Ioſeph; inde admirabilis illa virgo Ieſſea, Dei & hominis vera, & incorrupta mater: inde iuſtorum cætus prodierunt. Quòd ſi & nobis, magis propinqua conſideremus; ex nobiliſſima Auſtriacorum proſapia, Maximiliani, Caroli, Ferdinandi, & alij cultores iuſtitiæ emerſerunt: ex nobiliſſima Iagellonum ſtirpe Ladislai, Alexandri, Sigiſmundi, & alia ſiue pacis ornamenta, ſiue bellorum fulmina proceſſerunt; ex nobiliſſima familia Ludouici, Clementes, Pij, Pauli, Philippi, & innumerabiles alij, tum religione, tum ſapientia, tum authoritate inſignes progeniti, dotibus animi excelſis floruerunt. Ex nobiliſſima Guſmanorum ſtirpe, Patriarcha Dominicus extitit, ordinis quem profiteor, fundamentum, & primarius inſtitutor; ex nobiliſſima Aquinorum progenie, & Thomas ille, qui doctrinæ ſplendidiſſimam lucem per totam diffudit Eccleſiam. Ex nobiliſſima (vt ad Hyacinthum accedam) quoque familia noſter Sanctus, ortus ſui initia habuit; ex altiſſimo virtutum monte, noſtra precioſiſſima gemma in lucem eruta eſt: venuſtisſimus pater, florem noſtrum ſpecioſisſimum, ex ſuo prodidit vtero. Valeant figmenta Poetarum, quæ ex puero, Hyacinthum florem enixum eſſe fabulātur; noſter Hyacinthus, ſuauisſimo virtutum fragans odore, non ex infante furijs concitato, ſed ex maioribus ob pietatis cultum illuſtrisſimis proceſſit. Tales Hyacintho obtigerunt progenitores, vt etiam ſi ipſi ex infinito hominum mortalium numero, eos deligendi data fuiſſet optio; nec fortitudine, nec virtutis ſtudio, nec celſitudine animi, nec in Deum pietate illuſtriores habuiſſet, quos illis anteponēdos iudicaret. ¶ Nihil de primo, huius ſtirpis parente Saulio dicam, cuius uirtus liberta-

tem maximam peperit Polonis; quum ingentes firmiſſimaſque immanium Tartarorum copias, vno ſtratas prælio, & profligauit, & deleuit. Prætermitto Saulis alterius, prope Diuini hominis excelſum, omnibuſque virtutum ornamentis expolitum animum, qui induſtria & virtute, aditum hoſtibus ad Occidentem non difficilem præcluſit; & fines Sarmatici Imperij ſiue anguſtos dilatauit, ſiue dilatatos fortitudine protexit. Non commemoro Iuonis præſulis Sanctiſſimi immortalem gloriam, qui Cracouienſi prælatus Eccleſiæ, nullos pro ea recuſauit labores; huic dignitatem recuperauit Archiepiſcopalem; hanc opibus innumeris auxit; cultũ Diuinũ in ea propagauit; Septentrioni vniuerſo religionem inuexit illam, ex qua tantus quidẽ vtriuſque ſexus, vel ſanctitate vitæ, vel doctrina, vel vtraque re excellentũ numerus emanauit, vt vel ſolis ijs Chriſtiana religio, ſi nullos haberet alios, ſatis illuſtrata eſſe cenſeatur. Taceo & Ioannem Prandotam Epiſcopum Cracouienſem, cuius ſi ſpectes pietatem animi? ſupplicanti, Angelorum cœleſtes exercitus, & Sancti beatitudine æterna fulgentes, apparere dignantur. Si gloriæ Sanctorum illuſtrandæ conatum? Sanctos ille vita functos, Cathalogo Sanctorum aſcribi, & iuſtis honoribus celebrari procurabat. Si ſtrenuitatem atque virtutem? ſi miſericordiam in pauperes? ſi Diuini numinis zelum; his ille ad ſempiternam euectus ſedem, antiquitati nomen ſuum conſecrauit. Ommitto & Euſtachij (quo patre natus eſt Hyacinthus) humanitatem, ſplendorem, vitæ integritatem, res præclarè geſtas, & infinita alia quæ percenſere nullo poſſem modo: vno verbo, omnes Hyacinthi auorum, & proauorum perſtringam laudes; familia Comitum Odrouanſiorum, quæ Hyacintho imprudenti & nihil adhuc cogitanti obtigit, nulli alteri nobilitate, pietate, religione, virtutum cumulo, ſapientiæq; magnitudine, ſecunda iudicari debet. His parentibus excelſis, prognatus Hyacinthus, tanto ſplendore in orbe refulſit; vt ſydus quoddam, ex tenebroſo matris vtero emicuiſſe, vel vt gemma fulgentiſſima, ex viſceribus terræ eruta fuiſſe crederetur. Quæ tunc in eius exortu lætitia? Quòd gaudium exultationis? Quis affectus Euſtachij parentis? Quæ iubilatio matris? Quali ferebatur exultatione Iuo Epiſcopus? Quæ mens vniuerſæ Poloniæ? Qui hoſtium terror? Quæ Dæmonum fugæ? Nato Hyacintho, expauerunt Dæmones; præſagi forſan, illum eſſe enixum, qui virtute Chriſti adiutus, perpetuum eis bellum indiceret, eoſque ex phanis, delubris, idolis quos cæca adorabat Ruſſia, & ex cordibus, & corporibus humanis eijcere moliretur. Nato Hyacintho, in lætitiam erupit Polonia; forſan preſcia, illum eſſe prognatum, qui eam & ab erroribus in verita-

Natalitius dies Hyacinthi qualis.

dis, ſuperaſſe crederetur. Num Ioannis Prandotæ cœlitum familiaritatem? Hyacinthus ſæpiſſime Beatorum Spiritum, ſæpeſæpius Sã-ctiſſimæ Deiparæ, quandoque Dei in immortali gloria apparentis conſpectibus fruebatur. An reliquas maiorum ipſius virtutes? Sed ille ad faſtigium perfectionis ſpiritualis anhelans, illud ſolum moliebatur, ne in aliquo à maiorum virtute degeneraret; neue ſplendorem natalium, aliqua ſorde vel commacularet, vel obſcuraret. Ita ſecum puerulus innocens agebat. Illuſtre mihi à Deo Opt. obtigit genus; in mea ſtirpe tot ſublimes numero viros, qui facinoribus præclaris, immortales promeruerunt honores, nomenque ſuum cunctis celebre reddiderunt. Non mihi licet in tenebris deliteſcere; lumen gentis longe citius, quàm naturæ poſtulat curſus extinguere nefas eſt: naturale bonum quòd mihi innatum eſt, vitio prauæ conſuetudinis interimere vel obſcurare, piaculum cenſeo. Quid acturus ſum? Quæ meæ ſunt partes? Ad ſplendorem mihi eſt adſpirandum; nobilitas à maioribus tradita, omni cura tuenda & conſeruanda eſt: illa mihi perſequenda ſunt facta, quæ patribus meis, tantos adiunxerunt honores: non in aliena dignitate, non vanis nominibus, ſed omne ampliſſimi decoris ornamentum, in propria & vera dignitate, mihi eſt conſtituendum. Ex virtutis ſtudio, Saul meus proauus obtinuit gloriam? mihi quoq; honeſtas vnicè colenda eſt; inſolentia fugienda; vitandæ ineptiæ; non vino & luſtris obruendus animus; nõ luxuria quaſi quadam labe obſcuranda fama; non vitio quaſi exitiali veneno, mors mihi conſciſcenda. Aequitatis cultura patri meo nobilitatem comparauit? retinenda quoque eſt à me iuſtitia; in hoc mihi totis viribus cintendum, ne iniquitas, iniuria, indignæ in multos mortales contumeliæ, me ex honoris poſſeſſione deijciant; ne ſcelus & impietas, gloriam & honorem maiorum virtute partam, mihi detrahant. Magnitudine & fortitudine animi, auus meus ſummos promeruit honores? cauendum eſt mihi ne ignauia & timiditate, qua nihil eſt fædius, nihilque à nobilitate magis alienum, vniuerſo anteceſſorum lumini tenebras obfundam. Liberalitate & magnificentia nomen ſuum, vbique terrarum diuulgauit Iuo? illud mihi eſt fugiendum, ne auaritiæ ſordibus, dedecus, & ignominiam nomini meo adiungam: meæ opes, non in archa recondi-tæ, à me adorandæ ſunt; meas facultates, non ego materiam libidinis, ſed virtutis inſtrumenta conſtituam, pauperibus illas ego erogabo; ſi opus fuerit pro Chriſto eas calcabo; nudus nudum inſequar Chriſtũ. Sapiẽtiæ ſublimitate, multa à Rege obtinuit patruus meus? illis quoque diſciplinis meum imbuam animum, quibus inſtructus, facillimè poſſem Reipub. Chriſtianæ conſilio, prudentia, ſolerti ſtudio, magnã

Confabulatio Hyacinthi.

opem in magnis rebus proferre. tempus ætatis meæ in re Diuina mihi conſumandum eſt;qui enim Diuinis nititur præſidijs,quid nō præſtabit ? quos honores non conſequetur ? quàm non merebitur laudē? O præclarum adoleſcentis animum, ò Diuinam prope Hyacinthi cōtentionėm. ò fælicem, ò iterum ac quarto fælicem nobilem, ( te nunc appello & alloquor,Hyacinthe ) ò te fælicem inquam, cuius mens incluſa,non immerſa corporis compagibus , non ad corporea , non ad fluxa , non ad terrena, ſed ad ſuperna,& ad præclara virtutum ornamenta ſuſpicienda,& complectenda protendebatur . Contemnant alij oratores nobilitatem parentum;reijciant à laudibus humanis generis claritatem;ego illam in Hyacintho vehementer mirabor. Hæc enim acrimoniam ingenij ; hæc mentis quandam ſublimitatem ; hæc virtutum quædam ſemina,Hyacintho conceſſit.Nobilitatem generis, & proauorum illuſtrem claritatem, non in velamen nequitiæ , ſed in adiumentum virtutis,ſortitus eſt Hyacinthus ; maiorum diffuſam lucem,non aliqua turpitudine obſcurauit , ſed vitæ Sanctimonia ſplendidiſſimam reddidit . Pater ipſius ad Comitum Odrouans ſtirpem , originem retulit; ille ad illud ſacrum, & illuſtre beatorum animorum cōcilium,& ad immortalium Spirituum comitatum , omnia ſua cogitata & facta,recenſenda fore cenſuit. Auus ipſius multis,egregijſque laudibus percelebratus, Tartarorum frangebat audaciam, & furorē ; tantam eorum rebus plagam imponebat , quantam illi nunquā quibuſuis remedijs ſanare potuerunt ; Hyacinthus in alio pugnæ genere longe diſſimili , eius famam & facinora præclara ſuperauit . Maiores illius, eam adhibuerunt erga Deum reuerentiam & pietatem , vt alij Sanctorum viſione,in hac corporis cuſtodia incluſi , digni iudicarentur ; alij non ſolum ab illo rerum parente Deo maxima præmia, ſed etiam laudem ab omnibus gentibus conſequerentur;Hyacinthus virtutis eorum factus æmulus,alios Sanctitate vicit;alios ipſorum veſtigijs conſecutus eſt. Nobilis genere, verum bonitate & facilitate nobilior,illuſtris auorum gloria , ſed proprijs meritis illuſtrior ; florens maiorum factis,ſed ſuarum virtutum iucūdiſſimis floribus inſignior : patre liberali & honeſto,ſed probitate & puritate pulchrior . Fælices vos ò nobiliſſimi Saulij, qui talem nepotē prodidiſtis, Fælicem te Euſtachi pronunciabo , qui tantum filium progenuiſti . Fælices & vos ( vos nunc compello ) ò nobiles Patres., quibus Hyacintho ſimiles filij,benignitate Diuina contigerunt. Rara fœnix in mundo,raro filij Paternarum ſunt hæredes virtutum. Nobilium filij,prædia tantum & villas,& reliqua fortunæ,non animi bona , non gloriæ hæreditatem , non ſplendorem nominis,non pietatem,nō religionem, non immor-

tales

tales theſauros,quos maiores eorum adepti ſunt, ad ſe pertinere exiſtimant. Ad hæc tempora deuenimus,vt non audeamus dicere, Boni corui,bonum ouum. plerumque enim ex bono coruo , peſſimũ ouum eſſe genitum conſpicimus: & quo nobiliori genere , eò turpiori vita; quò meliori patre,eò magis flagitioſis moribus, omne decus & honeſtatem familiæ extinguant. Nihil magis quàm nobilitatem modo iactari,quotidie audimus;nihil minus videmus, quàm nobilem, & illuſtrem viuendi normam.

Qui modo laſciuiæ & luxuriæ ſordibus immerſi , ſuo lumini tenebras offuderunt? Nobilium laſciuientes filij. Qui prodigalitatis immodicis ſumptibus,non quidem maxima & difficillima obierunt munera,ſed carnis mancipia,paraſitos,aſſentatores,ſcurras, ne ſcorta dicam, nutrientes , pauperie gloriam obſcurarunt? Nobilium prodigi filij. Qui ſimultates perpetuas , odia, rancores , iras implacabiles fouent? qui aliena rapiunt? qui pauperes deglubunt? qui ſanguine humano noxias polluunt manus? Nobilium plerunque filij. Cuius eſt illa impudentiſſima,apud Oſorium iactatio? Ego multo lautius, omnibus illis qui mecum certare volunt,epulatus ſum.multoq; mollius & delicatius vixi;multo magnificentius conuiuium , quoties excipiendi *fuerunt hoſpites* inſtruxi.multo plura ſcurris & paraſitis donaui;*alea multis* in locis ingentem pecuniæ iacturam feci, meretrices multas alui,ſolem vitaui, laborem fugi, veſtibus precioſiſſimis excultus, & fragrantiſſimis vnguentis delibutus inceſſi, idque ſedulo curaui,ne id quòd maiores mei tanto labore quæſierunt,in res laborioſas & iniucundas impenderem,ſed in omni voluptate perfruenda conſumerem. Non eſt æquum , vt ij qui non ita ſplendide viuunt , ſed vel multis in bello laboribus attriti, vel literarum ſtudio confecti ſunt, & tenui victu,& cultu contenti eſſe poſſunt mihi præferantur. Qui nã hæc omnia,de ſeipſis inuerecundè prædicant? Nobilium prodigi filij. Cuius vero illa alia,apud eundem vox eſt? Non patiar equidem vllo modo,ex opibus meis,vel teruncium in honoris leuitates, aut in futiles voluptates inſumi;ſed pecuniam coaceruabo, nec vllum quæſtum me indignum iudicabo;theſaurum circumplexus noctes & dies aſſeruabo; & diligentiſſime cauebo, ne quicquam de argenti ſtructis aceruis imminuã;facilius autẽ patiar filios meos, ſi quos vnquam generabo,in ſeruitutem abduci,meque morbo moleſtiſſimo conflictari, quàm pecuniam, quam tanto labore paraui, inſipienter abſumi. Nec enim mihi affines,neque cognati, neque filij, honori & emolumento ſunt , imò omnes me oderunt; me extinctum cupiunt , vt pecuniam meam diripiant , atque per ſummum flagitium effundant. Pecunia

Lib. 5. de reg.inſtit.

igitur

igitur tantum mihi honorem, mihi delicias, mihi voluptatem afferre, poteſt; in illa igitur habeo vitæ propugnaculum, miſeriæ perfugium, ſenectutis oblectamentum, illam colo, illam veneror, cum illa me oblecto, in illa tantum omnia præſidia vitæ conſtituo. Quis hæc ſordidiſſima eloquitur verba? Nobilium diuites filij. Nobilium plerique filij, omne quod lubet ſiue fas, ſiue nefas fuerit, licere ſibi arbitrantur. Nobilium plerique filij, & pietatem & religionem, & virtutem, inſuper & humanitatem abnegare; ſeſeque nullo non ſcelere contaminare; in omne flagitium quaſi ex condicto ruere; omnia & humana & Diuina impiè temerare, ſibi licitum fore exiſtimant. Poſtquam ſcelus aliquod perpetrarint; ſiue pudicitiam alicui virgini, ſiue externa bona pauperi, ſiue famam proximo, ſiue uitam poſtremo innocenti, ſiue ſacris honorem abſtulerint, & eripuerint: ubi à ſuperioribus reprehenduntur, nobilitatem prætexunt in malitiæ uelamen. Quid? Non Illuſtris ego uocor? Non ego nobili ſanguine cretus? non ego celebres obtinui maiores? Sic hodierno æuo, pluſquam ueriſſimum etiam comprobamus, quòd Socrates de ſuis nobilibus aiebat. *Nobilitatem velamentum eſſe flagitiorum.* Sic multos hodie Bradeas progenitos conſpicimus, qui nobilitatem in aſtragalis geſtent. Rem Bradeæ breuiter enarrabo. Bradeas quidam, Romanus Ciuis, neſciò quippiam ſceleris admiſerat; quamobrem in Senatum vocatus, vt crimen purgaret; pro ſui defenſione, nobilitatem generis ſui in concione verboſius, prædicauit. Quòd vbi Herodes Cenſor audiuit, *Ne tu*, reſpondens ait, *generis tui nobilitatem in aſtragalis geſtites*. Dicterio inſinuabat, tale reſponſum. Ne tuam nobilitatem in imaginibus paternis, vel in maiorum gloria ſitam demonſtres. Nobilis Patris nobile recepiſti nomen? æmulare paternam virtutem. Quibus præſidijs, opes & honorem tui obtinuerunt maiores? iiſdem tu eos, vel conſeruare, vel illuſtrare contende. Hæc eadem verba ad vos ego, ò præclariſſima Reipub. lumina vſurpo. Ne veſtram nobilitatem in aſtragalis oſtentetis: ne contra omne ius, de poſſeſſione laudis, tam multis ætatibus confirmata, vos deturbetis. Nihil nobis (ita ſuos Lacedæmonios, Hercule progenitos, hortabatur Lycurgus) nobilitas, & ductum ab illuſtriſſimis genus proderit, niſi omni ſtudio, & opera illa ipſa geſſerimus, per quæ illi mortalium omnium, clariſſimi, ac generoſiſſimi extiterunt. Plurima inſtrumenta ad gloriam habetis; ſtimulant vos exempla domeſtica, & ſtatus ille quem veſtri tenuerunt; deinde liberalis educatio & inſtitutio; poſtremo hominum expectatio; quæ omnia vobis quaſi neceſſitatem afferunt, vt virtutem colatis; veſtro decori non deeſtote; virtutem quæ vobis cognata

In Philoſtrat.

Plutarch.

eſt,

eſt, cuius ſemina vobis inſita ſunt; quàm ex utero extuliſtis materno, quæ laudem vobis traditam amplificabit, excolite. Eia exemplo Hyacinthi, vos quoque, nobiliſſimo dignas homine, illas apud Oſoriū voces repetitote. Ego claro & illuſtri loco natus ſum; & ſi voluero genus meum à ſtirpe repetere, multos fortes, & in omni genere virtutis excellentes viros, enumerare poſſum. Qui cum Rempub. plurimum opibus, & conſilio, & virtute iuuiſſent, à Regibus eā ob cauſam, ſummis honorib. & ornamentis illuſtrati ſunt. His igitur domeſticis exēplis ſtimulatus, neque dormire, neque quietem pati poſſum. eo namque ſtudio flagro, eā cura ſolicitor, id animo molior, ut meorū Gentilium decori ne deſim; ſed illorum etiā laudes, labore & uigilantia mea ſuperem. Nec enim, ſi labe aliqua adſperſus fuero, uitia mea obſcura eſſe poterunt; cum in tam clari generis luce & celebritate, nomē meū uerſetur, ut mihi à maioribus meis degenerare non liceat, ſine inſignis infamiæ turpitudine. Non igitur opes, non pecuniam ſpecto, non flagitioſas uoluptates exquiro, ſed omnes curas & cogitationes meas, ad gloriam & honeſtatem confero; tantaque ueriſſimæ laudis cupiditate incendor, ut mecum præclarè agi putem, ſi, dum ad immortalitatem nominis adſpiro, mortem oppetam, & pro breui corporis uita, uitam gloriæ ſempiternam adipiſcar. Si igitur generis claritas; ſi maiorum *exempla*, *ſi* artes ingenuæ, quas à pueritia colui, ſi ſigna quæ iam inſitæ indolis, atque uirtutis egregiæ dedi, mihi hos ſtimulos admouent; nonne ſperandum eſt, ut multo clariora facinora, pro Reipub. ſalute, Regis dignitate, & pro religionis cultu ſuſcipiam, quàm ij qui nullis exemplis domeſticis, ad amplitudinem laudis, & dignitatis excitari poſſunt? Aequum igitur eſt, ut & eundem honorem apud homines, & eundem locum apud Regem, & eūdem candorem apud Deū Opt. retineam, quem mei maiores tenuerunt; neque mihi quiſquam nouus homo, in hac contentione dignitatis anteponatur. Has oro cogitationes, in mentibus ueſtris dies noctēſque euoluite; hæc uobiſcum ſingulis momentis loquimini; his ſtudijs, ueſtros animos implicate. Cæteros claritate ſanguinis antecellitis? Portio nobilior Reipub. eſtis? ad illuſtria facta contendite, cæteros uirtutum ſplendore ſuperare nitimini. Fiet enim exinde, ut uere nobiles Chriſtiani, lucem illuſtriſſimam ueſtris maioribus adiungetis, & gloriam ſempiternam, immortaleſque honores, cum Hyacintho à maioribus non degenerante, ſed nobilitati generis, morum nobilitate reſpondente, aſſequemini; præſtante Ieſu Chriſto Saluatore noſtro, nobiles moribus, nobiliori fælicitate exornante, in ſæcula ſæculorum. Amen.

IN

# IN S. HYACINTHI NATALITIA ET PATRIAM GVILELMI BLANCI EPISCOPI GRASSEN. ET VENCIEN.

## Epigramma.

*QVID ſibi vult ortus Scythicis Hyacinthus in oris?*
*An gemmam? an florem? quin mage vtrumque reor*
*Late gemma nitet: flos longe ſpirat adorem*
*Luce odor, in dubio eſt, lux an odore prior.*
*Gemma colore oculos paſcit, flos paſcit & illas*
*An gemmæ? an floris gratior ipſe color?*
*Latius at poſt hac lucebit carmine gemma*
*Verſibus & floris longius ibit odor.*
*Gratius & libro ſtudioſos paſcet ocellos*
*Gemmeus ille color, floreus ille color*
*Sed gemmam & florem retinebunt ſidera ſemper*
*Hic tria reſtabunt, lux, odor atque color.*

# A. R. P. ALEXANDRI GERARDINI EX SOCIETATE IESV

## AENIGMA PRIMVM.

*LVCIDA gemma micat, gemmoſo incluſa monili*
*Ni puer Aetherea ſurripit arte Lacon.*
*Hanc ſcindas mediam, detur pars altera Græco*
*Mollibus, & violis hinc redimitus abi.*
*Altera Deliacis, quòd ſi pars traditur oris*
*Verberat Ortygiæ labilis vmbra ſolum*
*At nunc ſi florem monti coniungere fas eſt.*
*Aſtra per Aethereos ſcando coruſca Polos.*

## SECVNDVM.

*Flore nitet tellus, florem dant ſidera; flori*
*Flos certat. prior hic, ſed prior ille tamen*
*Hic prior, ille prior. mihi dic, quis poſterus exte*
*Mox & Apollineo te numerabo choro.*

MICHAE-

# MICHAELIS IOAN. CONSTANTII

## THEOLOGIAE APVD CAESARAVGVSTANOS CANDIDATI,

## IN LAVDEM GLORIOSISSIMI HYACINTHI, & Clementis VIII. P. M. qui eum in Cathalogum Diuorum retulit.

*IAM ſileat lapides pretioſos Indus, Arabſque*
*Et gemmas tellus, abdat vbique ſuas*
*Nam ſi Perſis habet rubicundas alta pyropos,*
*India ſi nitidos fuſca adamantas alit*
*Si virides etiam mittit Taprobana Smaragdos*
*Si Coa Magnetes, Sardonicoſque facit.*
*Si longinqua refert glaucos Catigara Saphyros*
*Si Smyrices Ganges, ex oriente vehit.*
*Si profert alios Garamantica terra lapillos*
*Qui decorant Regum, Pontificumque mitras.*
*Pannonia ecce tulit viuum præclara Hyacinthum*
*Cuius digna fuit, ſola corona Dei*
*Vnus hic in ſeſe virtutes amplectitur omnes*
*Quas variæ gemmæ non ſine laude tenent.*
*Defunctis vitam, viuis donare ſalutem*
*Hic potis eſt, tanta hic dona Hyacinthus habet.*
*Nouerat hunc primus venerandus in orbe Domingus*
*Eque ſua obtulerat religione Deo.*
*Cumque diu in cœlis Hyacinthi cognita virtus*
*Eſſet, vt in terris iam quoque nota foret.*
*Clemens octauus Romana præſul ab arce*
*Indigetem vocat vt celebremus eum.*
*Ergo Clementis viuat clementia patris*
*Qui meruit laudes ferre, Hyacinthe tuas.*

# IN S. HYACINTHVM CONCIO LAVDATORIA SECVNDA.

*In qua Nominis ipſius laudes ampliſſimæ prædicantur.*

EA præclari nominis, apud vniuerſas Gentes ratio fuit, vt illud & virtutis teſſeram; & indicium indolis præclaræ, ſemper iudicarint. Ne id quidem temerè. Cum etenim nomen, rei naturam imitetur, ad eiuſque ſignificationem impoſitum ſit; conſecutione euenit neceſſaria, vt illud tanquam notam, & ſignum quoddam vel infamiæ, vel honoris exiſtimarint. infamiæ quidem, ſi ſceleſtum, & flagitioſum; honoris autem, ſi probum atque virtutibus excultum deſignabit. Plato ille, quem propter inſignem ſapientiam, & morum honeſtatem, Diuinum vocarunt, à quodam rogatus. Quem ad modum quiſpiam immortalem ſibi gloriā apud reliquos comparare, vel quibuſnam artibus monimēta ſempiternæ laudis, vt ſuperiores, poſteritati relinquere deberet. reſpondiſſe fertur. *Primum*, inquit, *parandum eſt nomen, ita monumenta ſunt multa*. Dicere voluit breui apophtegmate. Qui memoriam ſui in mentibus hominum, vel latiſſimè propagare, vel conſeruare diutiſſimè cupit, is ante omnia virtutis ſymbolum, nomen ſcilicet præclarū ſortiatur neceſſe eſt. Conſuetudo ſiquidem, apud omnes omnium nationum populos, iampridem obtinuit, vt quo aliquis nomine inſignitus vocetur, talis & ab vniuerſis iudicetur atque habeatur. & qualis ab vniuerſis quiſpiam habetur, eo nomine vocetur atque inſigniatur. Dicendi facultate & ſermonis elegantia, omnium in ſe conuertebat ora quiſpiam, apud aliquos? Statim Lepidum, vel Chryſoſtomum, vel Aemilium, vel Theophraſtum nuncupabant. Fortitudinis & inuicti animi ſpecimen aliquod dederat alter? Illico Imperatoris, Patris patriæ, Vindicis & Defenſoris titulis ſalutabatur. Virtute alia, aliquis alius inſignis erat? ſubito, appellatione eius virtutis, in ora abibat populorum. Nonnulli ob virginitatem perpetuam, cum vxore in matrimonio ſeruatam, Caſti cognominabantur. qualis fuit Alphonſus ſecundus, Legionis Hiſpaniēſis Princeps. Alij ob inſignem erga meritos beneficentiam Benefactores, vt Cleomenes: alij vt Titus Veſpaſianus, propter manſuetudinem & humanitatem, Humani generis deliciæ: alij ob eximiam in Chriſtum liberalitatem, eleemoſynarij appellabantur. Plerique, quod ſupplicibus in pænam vocatis pepercisſent, piorum nomen promeruerunt. Non deerant, qui propter liber-

tatem

tatem patriæ reſtitutam, Publicolæ nuncuparentur: quidam quòd hæreſeon zizania eradicarunt, fidemque Chriſti, uel conſeruarunt, uel prædicarunt, Catholici & Defenſores fidei uocati ſunt. Reportauit ex inſigni tolerantia, nomen haud ignobile Iob, patientiſſimus mortalium iudicatus, ac proinde patiens nuncupatus: uerſa eſt hominis æquanimitas illa, & perpetua animi temperies in prouerbium, ut tam piè hodie, quam uerè ſit Iob in ore omnium, ſupremam in aduerſis tolerantiam inuicti & conſtantis animi, ſignificare uolentium. Iudas Lebbæus ſiue Thadæus, unus ex duodecim Chriſti Apoſtolis, à feruenti religionis ſtudio, zelotes cognominatus eſt. Iacobus minor, Chriſti diſcipulus, quòd puer adhuc incredibili quadam, ac ſupra ætatem ſanctitatis opinione, imbuit omnium mẽtes, Sanctus uulgo appellatus eſt. Tulit quoque una omnium Chriſti Mater, uirginalis appellationis decus. Eſtque ita & piè & Sancte comparatum, ut ubi nomen uirginis, uox cœlo grata, inferis inuiſa, gentibus popularis, ore effertur; hic Annæ filia, Dei parens nominari, nec ulla uirginũ alia intelligatur. Aetas me deficeret, ſi omnia in medium uellẽ proferre exempla, eorum qui præſtanti uirtute, nomenclaturam inſignẽ ab hominibus aſſecuti ſunt. Quòd ſi mortales, qui imagine uirtutis, & falli, & fallere poſſunt, eam præclari nominis rationem habebant, vt illud *virtutis* teſſeram iudicantes, illis qui nihil honeſtati præferẽdum cenſuerunt, imponendum eſſe exiſtimarent; idlonge maiori ſtudio, ſapiẽtiſſimus Deus curauit, ne virtute excultis, ſuum deeſſet ſymbolum. Quos enim admirabili totius decoris, & honeſtatis elegantia ſplendidos fore conſpexit; in quibuſue animi excellentem altitudinem, ſplendorem iuſtitiæ, puritatis candorem, & Sanctitatis pulcherrimam ſpeciem effulgere præuidit, illis inuſitata, magnifica, & admirationis plena affinxit epitheta. Vocauit *alios Iſraeles*, quòd Diuino oblectarentur conſpectu. Alios *appellauit Abraamos*, quòd Patres, & Simulachra fidei eſſent. Nonnullos *Petri nomenclatura* dignatus, quòd Petræ inſtar, totius ædificij maximæ Eccleſiæ, fundamẽtorum obtinerent locum. Quoſdam *Ioannis nomine* donabat, quòd Spiritu Sancto repleti eſſent, adhuc ex vtero matris ſuæ. Multis, ait Chryſoſtomus, à natiuitate nomina impoſuit, vt Iſáac, Samſon & ijs quorum meminit Eſaias, & Oſeæ; quibuſdam quam à parentibus acceperunt appellationem mutauit, vt Abraam & Saræ, & Iſraeli. Qui enim debebant ab ineunte ætate virtute pollere, eis tunc indita ſunt nomina; qui vero in ætatis progreſſu profecturi erant, poſtmodum. Non forte fortuna, Sanctiſſimi Hyacinthi nomen, noſtrum puerulum recens natum, parentes ſui habere voluerunt; ſed Diuina, recondita & abſtruſa ſa-

Hom. 11. in Ioan.

pientia.iam tum id agebat, & moliebatur, in eamque impellebat mẽtem Euſtachium patrem, vt illud nomen ei faceret, quòd eius mores deceret, & maximæ futuræ magnitudini virtutis atque laudis conueniret: eorumque nomen infantulo, in ea ætatis imbecillitate imponeret, quorum virtutem, probitatem, & Sanctitatem aſſequeretur adultus. Natus infantulus ad Sacratum baptiſmatis fontem defertur; aqua illa originalem abluente labem, à Sacerdote tingitur; nomine Hyacinthi, à Parentibus Diuina perflatis gratia vocatur. Non videas hic licet, vnum atque alterum ex ſupremis Spiritibus lauachro baptiſmi aſſiſtentem, & vel ſacrum chryſma, vel aquam viuificam ſubminiſtrantem, vel paruulum de ſalutari fonte leuantem: omnes enim copiæ cœleſtes, illo tempore delapſæ, ſuum infantulo miniſterium præſtiterunt. Vnus Matronam puerulum deferentem comitatus, ne quo à Serpente teterrimo afficeretur malo, potenti defendebat virtute: alius recens natum infantem, ab vberib. ſeparatũ maternis, ab intẽperie aeris ꝓtegebat: alter lachrymulas ſi quas cõmuni lege funderet puer, ab eius ocellis abſtergebat: cateruatim autẽ Beato fonti circum aſtãtes, alter alterũ officio præueniebat. Non deerãt, qui preces Eccleſiæ ſolicita iuuarent deuotione; quidam inſtrumenta & cauſas noſtræ ſalutis, Sacerdoti ad manus proferrent; alij veſtem innocentiæ cãdidam, à Deo veritatis authore, exeunti de lauachro deportarent; cæteri gratiæ Diuinæ radijs fulgentem, ſanctitatis ſplẽdidiſſimo amictu indutum exciperent; & vocibus ſuauiſſimis, tum Conditorem Hyacinthi, tum ipſum Hyacinthum celebrarent, diemq; ſiue generationis, ſiue regenerationis ipſius, ſummis laudibus efferrent. Gaudium eſt enim Angelis, & de vno peccatore pœnitentiam agente, & de vno Doctore, multos flagitijs contaminatos, ad iuſtitiæ & virtutis ſequelam, verbo & exemplo pertrahente. Non videas hic licet, ſydus aliquod in paruuli emicare fronte: quod in Baptiſmate Dominici Patriarchæ apparuiſſe fertur. Infantulus enim natus, poſtquàm ſalutaribus perfuſus eſt vndis, non ſyderis cuiuſq; ſed fulgidiſſimi Solis inſtar, clariſſimos diffudit radios. Aſpexerunt Beatæ mentes, ex Hyacintho nouum ſplendeſcere fulgorem; & attonitæ, lucem Orbi exortam fore cecinerunt. Adſpexit & Eccleſia mater, ſuum filium inſolito radiantem lumine, & in ipſius exclamauit laudes. *Quaſi Sol refulgens, ſic iſte effulſit in templo Dei. Quaſi arcus refulgens inter nebulas gloriæ, & quaſi flos roſarum in diebus vernis, & quaſi lilia quæ ſunt in tranſitu aquæ. Quaſi ignis effulgens, & quaſi thus ardens in igne. Quaſi vas auri ſolidum, ornatum omni lapide pretioſo.* Non hic audias licet, multorum Pontificum labia in laudem reſolui. Non Iuones enim tãtum

Alluſio ad natiuitates, & baptiſmata pluriorũ Sãctorum.

Eccl. 50.

non

non Prandotæ, non familia Odrouaſiorum, non Camienenſes vicini Hyacinthi, ſed vniuerſus Septemptrio, in voces prorupit exultationis, occinens. Benedictus ſit indeficiens bonorum theſaurus, qui ex Sacrario ſuo, nobis gemmam precioſiſſimam, & mundo olim inuiſam demiſit. Benedictus ſit Cœleſtis agricola, qui venuſtiſſimum florem, in ſalutarem animorum noſtrorum medelam, in paradiſo Eccleſiæ plantauit. Non perſonent hic licet, ampliſſimi illi Imperatorum, Patrum Patriæ, Caſtorum, Chryſoſtomorum, vel aliorum tituli. Dum enim Hyacinthum dico, Patrem patriæ, caſtum, patientem, Theophraſtū, & quouislibet nomine appellatum dico. Hyacinthus ſiquidem, cum à Græco zinthicos (quod mobilem ad omnes aſſequendas perfectiones ſignificat,) originem trahat, omnes omnium præclaras nomenclaturas in ſe continebit; & quod ſingula alia, vnam aut alteram virtutem, hoc nomen Hyacinthus vniuerſas virtutes deſignabit. Hyacinthus enim idem eſt quod, æmulator omnium virtutum; qui vel contentione ſedula, ad omnes moueatur ſiue feratur; vel ſtudio diligenti omnes adeptus ſit virtutes. Dum igitur Hyacinthus eo nomine inſignitur, omnes nomenclatura ſua antecedere videtur: dum puerulus noſter eo titulo exornatur, omnibus omnium titulis exornatus exiſtimatur. Iactent alij, ſe propter Diuinorum ſecretorum cognitionem, *Seraphicorum*, Angelicorum, Subtilium, & irrefragabilium Doctorum nomenclaturam aſſecutos eſſe: dum Hyacinthum dico, Seraphicum, Angelicum, ſubtilem, irrefragabilem Doctorem dico; Hyacinthus enim ingenuas artes, naturæ ſecreta, Diuina myſteria, & cœleſtē ſupremarum mentium diſciplinam, inſigni eruditione adeptam declarat. Iactent alij victorum & patrum patriæ, Catholicorum & fidei defenſorum nomina: venditent ſibi cæteri Partheniorum, caſtorum, vel piorum, vel humanarum deliciarum titulos; euehant atque mirentur alij zelantium, ſanctorum, compoſitorum, iuſtitiæ cultorum epitheta: patientiſſimorum, fidelium, contemplatiuorum, ſimplicium nomenclaturam, alij ad ſydera vſque laudibus tollant; ſiue fucatas ſiue magnificas, ſiue veraces, quamuis illuſtres, quamuis inſignes deprædicent alij theſeras; Hyacinthini nominis comparatione vaneſcent. Nullum eſt tam auguſtum, nullum ſic illuſtre poſt Dei & Redemptoris, & virginis Deiparæ nomē, quod Hyacintho ſplēdore, maieſtate, & decore ampliſſimo æquiparari poſſit. Quod enim Hyacinthū appello, illum appello qui immaniſſimū ſalutis noſtræ hoſtē, vno fudit cōgreſſu atq; deuicit, & de eo glorioſa trophea reportauit. illum appello, qui ductu & auſpicio ſuo Septentrionem vniuerſum, bellorum tumultibus afflictum, defendit & ſeruauit, qui errorum zizania ex latiſſimis partibus

Ethimologia nominis Hyacinthi.

BIBLIOTECA ... ROMA

bus ſuo ſtudio euulſit; qui fidei veriſſimum ſemen, in Polonorum cordibus ſæuit; qui res Chriſtianæ fidei oppreſſas, ſæpe erexit & ſtabiliuit. Dum Hyacinthum appello, illum appello, qui morum probitate & verecundia, & mentis candore, & manſuetudine, & humanitate, & vitæ honeſtate, amorem omnium in ſe excitauit. Illum appello, qui nec carnis nouit vllum vſum, nec mundi blandas voluptates expertus, nec flagitio mortali contaminatus vnquam fuit; ſed ſumma auſteritate, & immaculata caſtitate, ſuæ ſanctitatis celerem ſparſit famam. Illum appello, dum Hyacinthum appello, qui feruenti religionis amore, cultum Diuinū propagauit; qui tenebras è mentibus multorū diſpulit, & veritatis lumine irradiauit; qui in viam paradiſi multos deduxit; qui immenſo ſtudio pietatem coluit; qui in illa rerum caligine, & in illis ignorantiæ tenebris, multū reliquis ſanctitate, & præclaris factis antecelluit. Illum appello, dum Hyacinthum appello, qui patientiæ & inuicti animi, plurima ſigna dedit, qui ſua ſe voluntate priuauit; qui abdicauit fallacem mundum; qui animum, cupiditate Diuinitatis inflammatum geſtauit; qui tota contentione, ad cœleſtium conſortium aſpirauit. Illum appello, dum Hyacinthum appello, qui præſtanti dignitate, & eximia ſanctitate, & magno quodam Diuinitatis participatæ ſplendore, plurimos anteiuit, omniumq; virtutum gloria florentiſſimus & maximus extitit. Valeāt Publicolarum vani tituli; noſter Hyacinthus Publicolam ſignificat, quod multos vinculis peccatorum colligatos, in publicam libertatem vindicauit. Valeant Catholicorū epitheta; Hyacinthus Catholicū deſignat, quod Catholicam fidem, longè lateq; prædicauit; quodq; non oppida, nō vrbes, ſed prouincias, ſed Regna vaſtiſſima, eiecto infidelitatis principe, in Eccleſiæ gremium recepit & dedit. Valeant benefactorum nomina; Hyacinthus benefactorem innuit, qui innumeris bonis vniuerſum ornauit orbem. Gladiorum & fulminum titulos, alijs nō inuidemus; Hyacinthus & fulmen, & gladium ſignat; illud propter alacritatem & promptitudinem, qua in rebus gerendis vtebatur; iſte propter inuicti animi exemplum, quod Rempub. Polonam immenſis cladibus alijs ſuper alias afflictam, potenti reſtituit virtute. Theophraſtorū, vel Chryſologorum, ſiue Chryſoſtomorum nomina, in cæteris non vituperamus; Hyacinthus propter admirandam dicendi vbertatem, ob ſermonis efficacem ſuaueloquentiam, omnia hæc in ſeipſo complexus eſt. Et quis alia numerare ſufficiat? Quis glorioſum Hyacinthi nomen, dignè deprædicabit? Quis non beatum fore, commemorabit infantem, qui eo nomine cognominatus eſt? Beatum te profecto ô ſanctiſſimè puer iudicabo, quod ab ipſis crepundijs, à primo regenera-

nerationis momento, & gratiæ diuinæ pulcherrimo lumine, & iuſtitiæ originalis puriſſima veſte, & virtutum nitidiſſimo indumento, & præclariſſimis titulis orneris atque decoreris. Quinam filijs ſuis recens natis, hoc nomen Diuinitus imponi non optarunt? Quanti mortaliū, inſignem hanc appellationē, non ambierunt? Et quidem, quis eſt qui vniuerſi decoris, & oīum virtutū cultorē, ſe nuncupandū iri non cupiat? Quis hoc epitheto illuſtrari, & in ora omnium abire, ob hanc nomenclaturam refugiat? Pauciſſimis tamen ea fœlicitas oblata eſt, vt Hyacinthi nomen, de cœlis ad terras delatum, à ſuprema ſapientia excogitatum, & ſecreta Dei diſpoſitum ordinatione, ſorte aſſequerētur cœleſti. Annales Eccleſiæ ſanctæ, ſeptem ſacratos martyres recēſent, quibus Diuino munere, Hyacinthi illuſtriſsimum contigit nomē. Alter ſub Adriano Imperatore, via Lauicana, cum Zotico & Irenæo & Amantio, multo conſumptus cruciatu, glorioſum peregit martyriū. Alter cubicularius Traiani Imperatoris, in Ceſarea, accuſatus quod Chriſtum ſequeretur, plagis varijs affectus, & in carcerem truſus, ibi conſumptus fame expirauit. Alter Amaſtride in Paphlagonia, ſub Caſtritio Præſide, multa propter Chriſti nomen ſufferens, quieuit in carcere. Alter in portu Romano, primo in igneum iniectus rogum, deinde in profluentem præcipitatus amnem, cum euaſiſſet illæſus, à Leontio cōſulari, ſub Traiano Imperatore gladio percuſſus, vitam finiuit. Alter in Sabinis, trigeſimo ab vrbe milliario, cum Alexandro & Tiburtio, quod idolis ſacrificare nollet, diuerſo tormentorum genere confectus, fœlicem martyrij coronam adeptus eſt. Alter cum Protho, Beatæ Eugeniæ vterque eunuchus, quod ſub Galliano Imperatore dæmonum abominarentur cultum, primo duriſsime cæſi, ac tandem pariter, capitis abſciſsione, diadema gloriæ ſempiternæ inuenerunt. Alter in Lucania cum Quincto & Fœliciano & Lucio, quum nullo cruciatus genere ad ſacrificandum Dijs compelli poſſet, gladio perimitur, & inuictæ confeſsionis immortalem recepit gloriam. Hi ſeptem tantum, inconcuſſæ fidei martyres, nomine Hyacinthi illuſtrati ſunt; nulli alteri, quod ſcimus, vel martyri, uel confeſſori, auguſtiſsimum hoc uirtutum Symbolum, unquam donatum fuit. Soli ſanctiſsimo infanti, poſt illos ſeptem, ſuo iure ſeruatum eſt, ſolus enim Hyacinthus eorum præclaras uirtutes aſſecutus, ſolus ac *ille vir* à Ioanne uiſus *inter ſeptem candelabra aurea, ſeptem micantia ſydera in manu circumgeſtans*, inter ſeptem Hyacinthos, unicus, omnem illorum complectens, uel ſuperans ſanctitatem apparuit. *Vidi*, ait Ioannes, *Sep ē candelab. a aurea, & in medio ſeptem candelabrorum aureorum, ſimilem filio hominis, veſtitum podere, & præcinctum ad mamillas zona aurea; caput* Allegoria Apoc. 1.

*put autem eius & capilli erant candidi tanquam lana alba, & tanquam nix & oculi eius tanquam flamma ignis, & pedes eius ſimiles aurichalco, velut in camino ardenti; & vox illius tanquam vox aquarum multarum; & habebat in dextera ſua ſtellas ſeptem; & de ore eius, gladius vtraque parte acutus exibat: & facies eius ſicut Sol lucet in virtute ſua.* Nec hallucinabor, nec ſcripturam obtorto collo deducam, ſi Hyacinthum noſtrum, hac ſpecioſiſsima imagine vel adumbratum, vel expreſſum eſſe denunciabo. Quid enim eſt, quod Hyacintho nō congruat? Quid vero eſt, quod ille in ſeipſo nō expreſſerit, in viro illo admirando adūbratum? Perſpiciamus ſingula quæ de eo recenſet Ioannes. *Vidi, ait Ioannes, ſeptem Candelabra.* Poſſem licet appellare iſta ſeptem Candelabra, ſeptem Hyacinthos martyres, qui aureo charitatis lumine in oculis eius fulſerunt: dicam tamen præter illos, & alios ſeptem, ſiue in Religione quam profeſſus eſt; ſiue in Regno, in quo Sanctitatis ſigna dedit; ſiue in ampliſſimo illo cænobio, in quo reliquias pretioſiſſimas depoſuit, fuiſſe Sāctos; qui puriſſima luce, multorum oculos, vt quædam candelabra radiantia percelluerūt; inter quos Hyacinthus octauum occupauit locum. Septem ſunt Sancti religionis Prædicatorū; Dominicus Patriarcha, Petrus fidei athleta, Antoninus præſulum decus, Thomas Angelicus Doctor, Vincentius prædicator ardentiſſimus, Catherina puriſſima virgo, & Raimundus, cui nunc Sanctiſſimus Clemens, meritos parat honores. Inter hæc ſeptem candelabra religionis Sacratæ, Hyacinthus conſtitit octauus. Religione æqualis, morum honeſtate nulli eorum inferior, miraculorum gloria cunctos excellēs. Septem ſunt Regni Poloniæ tutelares Sācti: Adalbertus martyr, primus fidei Euangeliſta apud Polonos, Stanislaus Eccleſiaſticæ libertatis vindex, Florianus flāmantis vrbis defenſor, Caſimirus caſtus, quem Vilnæ clarentem, Leo decimus in Sanctorum retulit numerum; Cyrillus, & Methodius ambo Epiſcopi dignitate præcellentes; Eduigis Regina, quæ pauperum obſequio dedita, etiam miraculis claruit: inter hos ſeptem, Hyacinthus octauum obtinet locum, non minor vitæ integritate, quàm patriæ ardentiſſimo amore. Septem ſunt Beati, quorum corpora, venerandum SS. Trinitatis Cracouiæ cænobium obſeruat, & veneratur. Tres fratres religionis vno conditi tumulo, qui vno die religioni mancipati, vno ſimul tempore Sacram excolentes vitam, vno die ad beatorum ſedes euocati, Sanctitatem ſuam miris prodigijs teſtati ſunt. Alter eſt Iuo admirandus Antiſtes, qui Hiacintho & patruus, & honeſtatis author extitit. Alter eſt Vitus, & nō impar Iuoni nobilitate, & Sanctitate ſuperior Præſul. Alter eſt Stanislaus, qui globo igneo ſupra caput orantis apparente, & alloquio crucifixi Redempto-

Hyacinthus inter ſeptē cādelabra quid.

demptoris imaginis, ſuæ gratiæ plenitudinem declarauit. Altera eſt ſoror B. Beata, quæ ex aperto ſepulchro, fragrantiſſimo odore, per ſpacioſiſſimam Eccleſiam manante, beatitudinis opinione multorum animos imbuit: Inter hos ſeptem, velut Sol lucidiſſimus inter ſydera octauus ſplendet Hyacinthus, vitæ ſanctitate, & gloria qua in terris colitur, longe illuſtrior. *Vidi*, ait, *Septem candelabra aurea, & in medio ſeptem candelabrorum aureorum, ſimilem filio hominis*. Non cuiuſquam alterius præter Chriſti ſimilitudinem geſſit Hyacinthus; non enim ad alterius præter Chriſti exemplar & imaginem, ſeſe effingere atque efformare contendebat. Non abnuo (dicebat ſecum Hyacinthus) Hyacinthos martyres, quorum titulis exornor, mihi in ſimulachrum charitatis & conſtantiæ propoſitos fore; vt quorum nomen ſortitus ſum infantulus, eorundem conſequar ſanctitatem: Neque contendo Dominicum parentem, cum reliquo ſanctorum meæ religionis cœtu, religionis eximiæ & pietatis, & rerũ humanarum deſpicientiæ, & cœleſtium ſtudij, imaginem abſolutam eſſe: Sancti etiam meæ Patriæ tutelares, me ad ſequelam ſui, pulcherrimis virtutum ornamentis prouocant; aſt longe ſublimior, & Diuinior imitatio mihi eſt amplectenda; Illius ſimilitudo à me eſt expetenda, ad cuius imaginem conditus ſum. Similem me efficere, toto mentis niſu contendam, illi, qui eſt perfecta imago totius bonitatis, qui & figura ſubſtantiæ Diuinæ: illum in exemplar ob oculos meos ponam, qui character eſt omnis perfectionis; ad illius ſimilitudinem me componere enitar, qui totius honeſtatis, & decoris, author & origo extitit. *Similem filio hominis*, qui ideo inter mortales homines apparere dignatꝰ eſt, vt ſuo exemplo ad cultum virtutis omnes excitaret. Venit ille in mundum ſanctus & immaculatus; virgo ille candidus, rebus omnibus mundi abiectis atque calcatis, ſapientia plenus, totum ſe pietati, miſericordiæ, beneficentiæ, charitati, & Diuinorum cultui dedidit? peccatorum ſalutem quæſiuit? Orbis tenebras ſuo diſperſit lumine? doctrinæ radijs cæcos multorum animos illuſtrauit? hos in pedes erexit, illorum febrem extinxit, hos à natiuitate cæcutientes vſura lucis, illos paralyſi ſolutos vigore membrorum donauit: Dæmonum furorẽ ab alijs fugauit, alios diræ morti eripuit, alijs alia beneficia liberaliter contulit; demum pro omnium ſalute, crucis mortem atrocem patienter ſuſtulit. Quid? Nihilne eorum quæ Chriſtus, peregit Hyacinthus? Non ad eius exemplar ſe effingere viſus eſt? *Podere ſanctitatis veſtitus erat Chriſtus*; veſtitus eſt Hyacinthus, cœleſtis vitæ indumento amictus. *Zona caſtitatis aurea ad mamillas* Chriſtus ſuccinctus; ſuccinctus & Hyacinthus, qui virginem florem illibatum conſeruans,

Comparatio Chriſti & Hyacinthi.

ſeruans, corpus nulla ſolutum libidine, ſed puritatis zona præcinctus, ſicut ex matris extulit vtero, ſic in terræ gremium intulit. *Capillos terrenorum bonorum, atro notatos carbone*, præciderat à ſuo capite Chriſtus: præcidit & Hyacinthus, dum valedicens mundo, omnia fortunæ fallacia bona contempſit, abiecit, calcauit. Capillis quidem terrenorum, *ſed illis candidis*, non alieno ſanguine pollutis; ſed illis puriſſimis, non auaritiæ labe deformatis; illis denique paruis & paucis, qui neceſſitati ſubuenirent, non ſuperfluitati; qui corpori operiendo & alendo ſufficerent, non ſupereſſent vanitati, vſus eſt. Illud ſecum voluebat, quod Paulus docuit: Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. *Flammantes ſapientia oculos*, Saluator noſter in ſuo geſtauit capite: geſtauit & Hyacinthus: ſapientia, non illa terreſtri, non animali, non Diabolica, ſed cœleſti, ſpirituali, atq; Diuina effulgens: *Pedes ſimiles aurichalco ardenti* habuit Chriſtus, quibus innixus hinc & inde diſcurrebat, beneficia ſalutis impēdens; habuit & Hyacinthus, neque in loco vno conſiſtere potuit, ſed inſtar ignis, vel auri in camino ardentis, & hinc inde delabentis, velociter properabat. Nunc in vaſtiſſimo Alemmanorum Imperio cænobia erigebat, & nouellam Prædicatorum inſtitutionem plantabat: nunc Cracouiam verſus, Diuino ſpiritu agebatur; nunc Gedanum contendebat; modo Viſtulam traijciebat vndis tumentem; alias Ruſſorum Kijouiam, remotiſſimosq; fines Regni petebat; & quis alias peregrinationes longiſſimas Hyacinthi enarrabit? Quis celeritatem in benefaciendo? Quis miſericordiæ viſcera? Quis ardores charitatis? Quis incenſum eius pectus nō mirabitur? Peccatorū ille ſalutē exquiſiuit vt Chriſtus; dies noctesq; in flagitioſis ad pœnitentiam conuertendis inſumebat vt Chriſtus. Vt Chriſtus quoque, doctrinæ radijs, Septentrionales diſpulit tenebras; in peccatorum cæca nocte ſedentes, gratia & veritatis ſplendore illuſtrauit: nulli egenti vnquam defuit; omnium curam geſſit; omnibus Patrem beneficum ſe præſtitit; in omnes pietatis & clementiæ dona diſtribuit; alios hydropiſi tumētes leuabat; confectos febre alios, & elephantiæ alios ſanitati reſtituebat; hos à natiuitate cæcutientes, vt olim Chriſtus illuminabat; Nullus erat Dæmoniacus, quem à ſæuiſſima tyrannii non eliberaſſet; plurimi paralyſi ſoluti, ab eo incolumitate donati; plures mortui ad uitam, per eum reuocati ſunt. *Vox Chriſti adeò bonis ſuauiſsima erat, vt gratum murmur fluminis piſcibus; ſic improbis tremenda, ſicut vndarum Oceani tumentes fluctus.* Suauiſsimè inſonabat Hyacinthus, in corde piorum; fulminis inſtar erat, aut turbinis, in aure peccatorum. Nullus bonorum, ferocius ſibi minitantem, uel acerbius loquentem

audiuit

audiuit Hyacinthũ; nullus animo commotũ vehementius aſpexit; ſi Diuinæ iræ furorem, ſi acerbitatẽ malorum, ſi ſeueram vindictam alicui interminabat, ſi quem uel obiurgabat, uel corrigebat; Deus bone, quem non à ſcelere deterrebat. *Gladius vtraque parte acutus, procedebat ex ore eius*, ad uſque diuiſionem animæ ac ſpiritus pertingens. *In dextera ſua Saluator ſeptem ſydera complexus eſt*; complexus eſt & Hyacinthus, ſeptem dona ſupremi ſpiritus. Non tantum *ſuper illum campi florem*, ſed & ſuper ſpecioſiſſimum Hyacinthum *quieuit ſeptiformis Spiritus. Requieuit in noſtro flore Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilij & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, & repleuit eum Spiritus timoris Domini.* Inſtruxit mentem illius ſapientia, qui naturam Diuinam & opes cœleſtes inſpiceret. & intelligentia, qua facillime ueram pietatem & religionem, à ſimulatione religionis internoſceret. Confirmauit animum eius conſilio, ad hoſtium inſidias callidè præcauendas, & inuicto quodam robore, ad eorum impetus fortiſſimè reprimendos. Ornauit illum ſcientia, qua ſuis ope & gratia conſuleret, & omnes qui illum ſecuti fuerint, ſempiternis bonis, & ornamentis Diuinis afficeret: confinxit illum timore Domini, quo iniquitatem, & iniuriam deteſtaretur, & omnia, quæ cum Diuina lege pugnant, è Regni Eccleſiæ finibus expelleret; Fecit poſtremo vt odore virtutum omnium, qui ex pietate illius afflatus eſt, & in omnes partes longe lateq; diffuſus, multos mortales, ad ſe ſuauitate atque iucunditate illius alliceret. Alluſio ad Iſaiæ vaticinium. Iſai. 11.

*Facies Saluatoris, eluxit ſicut Sol in virtute ſua.* Quid vero Hyacinthi? Nonne & ille effulſit, velut Sol in regno cœleſti? Effulſit dubio procul. Fulgebunt enim iuſti ait Saluator, ſicut Sol in regno Patris mei. Effulſit & in terris quoque. In Regione enim ſepulta flagitiorum tenebris iacentes, ſomno mortifero ſopitos, excitauit, & ſplendore ſanctitatis illuceſcens, multos de tenebris ad lucem ueram, de morte ad uitam ſpiritualem reuocauit. Fuit enim Hyacinthus *vir quidam oriẽs*, & Diuini fulgoris radios exerens, & mentem cæcam luce diſciplinę cœleſtis illuminans, & amoris ſplendore accendens, & à calamitate ad ſummam fœlicitatem traducens, & craſiſsimam peccatorum ei fugans noctem. *Fuit Hyacinthus Sol quidam*, teterrimas errorum nebulas diſſipans, qui luce iucundiſſima diem optatam Sarmatiæ attulit, in qua & ſanctitatem unice coleret, & ad ſempiternam hæreditatem iuſtis propoſitam aſpiraret, & ſummo gaudio atque ſtabili uoluptate frueretur. Nonne iam Saluatoris noſtri ſimilitudinem, Hyacinthus uidetur eſſe aſſecutus? Non Diuinam referens imaginem, uariis ornatam uirtutum coloribus, in medio ſeptem candelabrorum apparet?

paret? Non uideatis hic licet, circa eum militum cohortem, quę ſanctum in uincla conijceret, & ad horrendos deduceret carceres: nulli ſint licet Iudæ proditores, uel ſceleſti accuſatores, qui ad iniuſtũ tribunal Hyacinthũ euocent; non audiatis hic licet iniquã mortis ſententiã, ab aliquo Pilato prolatam: non flagris cæſum; non illitũ ſputaminibus; non ſtercoribus turpiter fędatũ; non cruore conſpurcatũ; non diadema ſpineum in capite, uel crucis lignũ in humeris baiulantẽ; nõ horrẽda aliqua ſupplicia, uel ignominioſiſsimã crucis mortẽ ſubeũtẽ, conſpiciatis Hyacinthum; quòd nihil tale, quale in morte Chriſti videatis, in morte Hyacinthi; quòd non illum ferro vel flamma extinctum eſſe ſciatis, ideo diſſimilem Chriſto exiſtimetis; ſimilis extitit, & merito caſtitatis, & profeſſione virtutis, & martyrij ardentiſſima cupiditate. Nihil ille magis in votis habuit, quàm vitam breuem, pro Chriſto in mortem profundere; nihil magis optauit Hyacinthus, quã vt amorem feruentem, ignibus ipſis ardentius flammantem, ſanguinis effuſione declararet. Fudiſſet vtique, ſi occaſio ei prolata fuiſſet; non ceſſiſſet Kijouia flammis Scytharum exuſta, ni & ſaluti puſillorum fratrum, & Sanctiſſimæ Virgini, & pretioſiſſimo Sacramenti Euchariſtiæ quòd deferebat oneri, vehementius timuiſſet. Procedere tunc volebat, ad reſtinguendum audacium furorem; diſcipuli rogabant, ne ſe periculo veſanorum obijceret. periculum nihil veritus, exilijſſet ille in medias hoſtium acies; ſeque in mortem pro fratribus, pro Eccleſia, pro Sanctorum honore, pro Dei gloria, & patriæ liberatione expoſuiſſet: ignominia quàm Sacroſancto Deiparæ ſymulachro, & Saluatori Deo, ſub velamine Sacramentorum abſtruſo, illaturi eſſent Barbari Scythæ, animoſum non pauidum, Kijouia pepulit. Animo illius martyrium defuit, non defuit martyrio mens auida martyrij. Tantum igitur, & talem virum, tali inſignitum figura, ſimilẽ filio hominis aſpexit Ioannes, in medio ſeptem candelabrorum aureorum: tali & tanta exornatum Sanctitate, nomine quoque admirando, inter ſeptem nobiles, & illuſtres Sanctos decorauit Deus: ne ſcilicet pręclaris moribus, nomen præclarum deeſſet: neue ſimilitudini Diuinæ, ad quàm perfectè, ſeſe expreſſerat Hyacinthus, alia quàm par erat theſera impoſita foret. Confingant ſi libet fabuloſi vates, vel *pueros Apollini charos, ſed ab eo imprudenter necatos*; vel *Aiaces ſtrenuos, ſed impatientia fractos, in Hyacinthum florem eſſe conuerſos*: procul hinc fabularum figmenta; puer ille ſummo amore à Patre æterno dilectus; & pro noſtra ſalute in mortem ab eo oblatus; patientiſſimus quoque athleta Chriſtus, in noſtrum Hyacinthum commutatus eſſe videtur. Ita enim Hyacinthus Chriſti imaginem retulit, & ita ei ſimilem ſe effecit,

fecit,

ſecit, vt Hyacinthus eſſe filius hominis, & filius hominis eſſe Hyacinthus cenſeatur. Non amplius vſurpent ſibi nomen Hyacinthi, albi vel purpurei; vel rubicundi flores; in noſtro enim tantum venuſtiſſimo Hyacintho, candor caſtitatis, Charitatis rubor, & purpurea cœleſtiū conuerſatio reſplendet: in noſtro vno pulcherrimo flore, Ah, aureis literis exaratum eſt: Ille vnus, exitus aquarum deduxit ex oculis ſuis, pro peccatis aliorum: ille vnus magnitudine flagitiorum, quibus alij vulnerati iacebant, percuſſus, totis noctibus vim lachrymarū tanta copia profundebat, ut ſponda fluctibus agitari videretur; & tabula cui feſſum corpus noctu allidebat, mœroris & fletus redundantia colliqueſceret. Ille vnus ad patriam cœleſtem anhelans, die noctuque ſuſpirabat. Hei mihi quia vagor extorris, & egens in terra, ab omnium Ciuium meorum inſtitutis, & fœlicitate abhorrente. Vt ceruus ardentiſſima ſiti crucratus, aquæ fluentis deſiderio ingemiſcit, & fremit: ſic anima mea, cupiditate tui Spiritus ò Domine, frequenter anhelat, & magnos ex immo pectore gemitus edit: oīa iucundiſſima mihi faſtidio ſunt, & lachrymis tantum paſcor, quæ ex oculis meis continenter emanant. Quando tandem veniam, & apparebo ante faciē Dei? Non amplius digni ſunt appellatione Hyacinthi, lapides pretioſi; vni Hyacintho de cœlis potius quam de terris allato, hæc nomenclatura congruit. Ille vnus *mediocri ſplendet*, virtutis colore; nec atro notatus eſt, peccati carbone, nec Dei proprio atque incommunicabili, ſed *temperatura quadam compoſitus, medio*, quòd virtutis eſt, emicat ſplendore. In hoc uno *Saphyreus color refulget*, animus uidelicet contemplationi deditus, cœleſtiumque amore ſuccenſus. Hic unus, *& duriſſimus eſt* ad concipiendum tetricas formas, & tamen ex artificio prodeuntes Diuino, *non difficile ſupernas recipit figuras*. Hyacinthus lapis aeri conformis dicitur eſſe, ut eo ſereno clareſcat, & eo nubibus obducto, tenebroſus ſit: noſter Hyacinthus omnia omnibus factus eſt; plorabat cum flētibus, & cum gaudentibus lætitia exultabat. Hyacinthus lapis, lætitiam cordis efficere traditur: Noſter Hyacinthus; quòd multis uiſcera miſericordiæ oſtendit, multis gaudiū ineffabile ſiue conceſſit, ſiue impetrauit. Hyacinthus lapis, multorum bonorum cauſa eſſe pronunciatur: Noſter Hyacinthus quid nobis non contulit? quibus beneficijs non affecit? Deum iratum multis præcibus placauit; vitam, miſericordiam, ſalutem, & remiſſionem peccatorum plurimis implorauit: alios alijs auxit inæſtimabilibus bonis. *Non fuimus aliquando* (ita cum Paulo, in ſui officij epiſtola, nos alloquitur) *in ſermone adulationis ſicut ſcitis, neque in occaſione auaritiæ, Deus teſtis eſt, nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis, cum*

Alluſio ad verſus Ouid.

Theſſal. 2.

*poſſemus vobis oneri eſſe, vt Chriſti Apoſtoli; ſed facti ſumus paruuli in medio veſtri, tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos. Ita deſiderantes vos cupide, volebamus tradere vobis, non ſolum Euangelium Dei, ſed etiam animas noſtras, quoniam chariſſimi nobis facti eſtis.* O Charitatem immenſam, ò uirum ineffabilem, hiſce dotibus ornatum, & hac præcelſa nomenclatura uocatum. Quis in amorem eius non rapietur? Quis nomen eius præclarum non admirabitur? non ſummis euehet laudibus? Quis hoc eodem ſpolio, ſeſe operire non cupiet? Quis pretioſam hanc gemmam non celebrabit? non in ſuos reponet theſauros? Quis filio ſuo, tales titulos non comparabit? Summo ſtudio elaboratis, ut magnifici, illuſtres, clariſſimi, Principes, à cæteris nuncupemini: uanos titulos tota contentione, à mundana uulgarium turba exquiritis; Quid laborem ueſtrum deperditis? In quo ueſtras inſumitis curas? Curate ſatius, ut Hyacinthi titulis ueſtram augeatis gloriam. Ad hoc contendite, ut Hyacinthi cognomine, in ora abeatis omnium: Fœlicem ſe unuſquiſque æſtimet, ſi filiolum ſuum recens natum, eo nomine illuſtrauerit, atque ei talem Protectorem, talem uirtutis ideã conquiſierit. Tumetis, pro magno ducentes, ſi principis cuiuſpiam, aut alterius clari uiri, uel benefactoris nomen, filijs ueſtris obuenerit; pro nihilo iudicabitis, non Principis terreni, non mundanæ alicuius poteſtatis, non benefici mortalis, ſed Ciuis Cœlorum, inter Sanctos plurimos longe ſuperioris, omnium uirtutum cultoris, omnium Patris, & Benefactoris, tam ampliſſimo nomine inſigniri? Auguſtiſſimum eſt nomen Hyacinthus; nouo & inſolito illuſtratus ſplendore lucet Hyacinthus; & nomen, & infantem qui eo illuſtratus eſt, iuſtis magnificemus laudibus, dicentes *Benedictum ſit nomen gloriæ tuæ, ò Beatiſſime Hyacinthe, qui in medio candelabrorum aureorum, cæleſti reſplendens lumine, aſtas in fœliciſſima domo, in ſæcula ſæculorum. Amen.*

# IN S. HYACINTHVM
## CONCIO LAVDATORIA TERTIA.

*In qua puerilis inſtitutio, Sancti Hyacinthi deſcribitur.*

QVI vnum quendam lapidem, coram Ieſu Summo Antiſtite poſitum, apud Zachariam Prophetam diligentius contemplatus eſt, in admirationē eius excitatus, non poteſt illum non exoſculari, vel ampliſſimis honoribus non exornare. *Vidi*, ait Sacratus Vates, *& ecce lapis quem dedi coram Ieſu: Super vnū lapidem, ſeptem oculi ſunt. Ecce ego cælabo ſculpturam eius, ait Dominus exercituum. & auferam iniquitatem terræ illius in die vna.* Zach. 3. Qui ſingula verba huius viſionis conſiderauerit, dicebam, non poſſe illum, ſi non in admirationem pertrahi. Quid enim lapis quem dedi coram Ieſu? Num Saluator noſter, lapidum aſpectu oblectatur? An gemmarum cupidine æſtuat? Quid vero? *Super lapidem vnum, ſeptem ſunt oculi?* Quis vnquam inanimam petram, vitali donatā ſenſu audiuit? Quis inſenſatum lapidem luminibus præditum aſpexit? Quis diſſectam petram, *inſtar fabuloſi* Argi, non duobus tantum ſed pluribus oculis omnia contuentem vidit? Quid autem. *ego, ait Deus cælabo ſculpturam eius?* Ita ne Deus, qui manibus ſuis, ſolum hominem effinxit, & in eam quam videmus effomauit figuram, lapidibus dolandis inſudabit? Siccine ille qui verbo potenti, viſibilia & inadſpectabilia cuncta ex nihilo produxit, verbo ſolo ornauit, verbo perfecit, & verbo in ſuo gradu, pulcherrimè ſingula locauit, manibus ſuis vt lapidarius quidam, lapides tractabit? venuſtiſſimis figuris lineabit? vitali donabit ſpiritu? propter lapidem, omnem terræ iniquitatem, vna auferet die? Quod prodigium? Quam inſigne portentum? Quid eo ænigmate Spiritus Sanctus adumbrauit? Quiſnam iſte eſt lapis, in cuius culturam, artifex omnium Deus, tantū operæ inſumit? Qui oculi? Quemadmodum iniquitas terræ illius, vno die ſublata? Si quis ad Hyacinthum, noſtrum pretioſiſſimum lapidem, oculos ſuos conijciet, atque eius infantiam exploratam habebit, fatebitur, Prophetam oraculo ſuo Hyacinthum prædixiſſe, & hunc in viſione ſua, non quempiam alium vulgarem conſpexiſſe. *Vidi, & ecce lapis quem dedi corā Ieſu.* Omnia licet creata, Diuino Redemptoris pateant conſpectui, nec quidquam reperiatur, quod ab intuitu eius ſeſe abducere poſſit. Mens enim Diuina cum infinita & immēſa ſit, non operibus defatigatur,

tur, non obruitur curis, non ita negocijs maioribus impeditur, quominus etiam in intima licet viſcera terræ penetret, & ea etiam quæ ſempiternis tenebris abdita ſunt, euoluta perſpiciat: Non ita cœlum ſua moderatione connectit, & ratos, & æquabiles ſyderum curſus, ſua ſapientia diffinit, vt ſubcœleſtia non conſpiciat, nullamue eorum prouidentiam gerat; omnia igitur ob oculos ſuos poſita, licet contemplatur, & licet omnia coram ipſo, pulcherrimo ordine diſtincta ſint; Hyacinthum tamen, vbi ex monte illo virtutum ſublimi exciſus eſt, & vbi ex materno vtero in lucem proceſſit, ſibi propinquius admouit, in peculiaremq́; recepit curam. Alios quidem, ſub pedibus Saluatoris, ſcimus eſſe proſtratos; alij ad genua eius prouoluti accumbunt; alios manibus ſuis complexus eſt; nonnullos in brachijs; pleroſque in humeris ſuis deportat; ſub quorundã verticem læuam ſuppoſuit manum, & ad dexteræ amplexus admiſit; plurimos in ſinum ſuum recondidit; noſtrum Hyacinthum ſpeciali honore dignatus eſt. Non eum pedibus ſuis ſubiecit, non in humeros vel brachia leuauit, non refouit ſinu, ſed annulo manus ſuæ inſeruit. Deiecit ſublimes illos ſed duriſſimos lapides; exturbauit & in fauces inferni coniecit illa ſpolia, quorum *omnis lapis, operimentum erat*; illum deinde *qui Sardio & Thopaſio, & Iaſpide, & Chryſolito, & Saphyro, ſiue Onyce, ſiue Beryllo, ſiue Carbunculo, ſiue Smaragdo fulgebat*, ex cœleſti ærario repulit, & noſtro Hyacintho ſuos adornauit digitos. *Manus eius tornatiles, aureæ, plenæ Hyacinthis*. Nulla alia gemma adeo precioſa, ſicq́; refulgens fuit, vt Hyacinthus, quæ digna manibus Diuinis, digna annulo Summi Regis cenſeretur. Alios homines Saluator noſter, vno aut altero oculo reſpicere dignatur: Super noſtrum lapidem, ſeptem oculis intuetur. Vidit Propheta, *& ecce ſuper vnum lapidem, ſeptẽ oculi ſunt*. Nihil moror, (ita ſecum rationabatur Dominus exercituum) ſatis ſuperq́; meam circa Hyacinthum prouidentiam, duobus oculis declarari poſſe: neque inficias eo, illa acrimonia meos duos oculos omnia contueri, quid circa hunc lapidem pretioſum ſit agendum, quemadmodum colendus eius animus; quibus pulcherrimis virtutum characteribus inſigniendus. Neque illud affirmo, meos duos oculos, aliquo deprimi ſomno, ne videre queant, quid Hyacintus cogitet quas euoluat cogitationes? colligitne ſe intra ſe, vt rationem ineat, qua actiones humanas adminiſtret? Duciturne extra ſe, vt mente cœleſtia atq; Diuina conſideret? ſuumne retinere cupit fulgorem? ad cœleſtes recipiendas ſeſe efformet figuras? Nihil cunctor, ad hæc vniuerſa conſpicienda, meos duos obtutus ſufficere poſſe; quod tamen incredibili eius amore incenſus ſum, quod deſiderio, ſummæ eius pulchritudi-

Septẽ oculi ſuper Hyacinthum.

nis teneor, *ecce ego cælabo ſculpturam eius*. Ego perficiam, vt hic lapis & ſtabilitate ſit firmiſſimus, & multiplicis ſapientiæ ſplendore clariſſimus, & ampliſſimus ornamentis virtutis: ego operam omnem inſumam, vt nullum opus artificio excellenti cælatum, ſit cum illo, pulchritudine, & dignitate comparandum. ego induſtriam omnem in hoc vnum ponam, vt ex animo illius, virtutibus Diuinis exaggerato, opes immenſæ, admirandæ pietatis atque benignitatis, emineāt: ego ſummo ſtudio perficiam, vt in terra ſeu in terreo corpore illius, vbi mente ſua, ſalutare meum imperium complexus fuerit, peccatum vel labes aliqua minime dominetur: Ad hoc autem conſilium opere complendum, non vnum aut alterum, uel tertium, *ſed ſeptem ſuper eum aperiam oculos*, qui ſumma peruigilent circa Hyacinthum ſolicitudine. Volo & exopto, vt non tantum tria illa, in meo pectore corruſcantia lumina, Pater, videlicet, & Filius, & Spiritus Sanctus, ſed & Angelus cuſtos, & Pater Euſtachius, & Iuo Antiſtes, & ſapiens aliquis præceptor, ſuos in Hyacinthum aperiant oculos; eius curā ſuſcipiāt; obſeruent diligenter, ne quid pernicioſi ei accidat, ne quiſpiam latro perditus, eum in ſuos theſauros ſubducat; ne aliquid terrenæ labis ei adhærat. Volo vt iſti ſeptem oculi, proſpiciant eius inſtitutioni, dies noctesq; caueant, ne in cęnum flagitiorum decidat, ne puluere obſcuretur mundano; ne ſtercoribus inferni obruatur; ne peregrinas Dæmonum recipiat figuras. ſed in lucem editus, ſplendorem Diuinitus inditum conſeruet, tueatur mentis candorem; ad Diuinas ædes ſeſe transferre, & Diuinis manibus ſe inſerere contendat. Volo vt hi ſeptē oculi, ſuper eum ſemper intenti ſint, & nnnquàm dormitēt, aut ſomno obruantur; vt ſingulis momentis inſpiciant cogitatus, conſilia, inſtituta, facinora, inſuper & omnes receſſus mentis Hyacinthi. Et ſi quid (non id quidem mihi, in Hyacintho euenire augurabor) indignum, indecens, minus decorum vel inhoneſtum, in eo adſpexerint; corrigant, & ad honeſtatis æmulationem, ad compoſitionem morum elegantiſſimam, ad totius ſanctitatis obtinendam claritatem impellant; Volo vt ſuum ſplendorem quo illi elucent, maieſtatem, uitæ integritatem, morum exactam honeſtatem, cæteraq; animi ornamenta illi ob oculos ponant, amorem in eo ſuæ præclaræ ſanctitatis ſuccendant; illi tanquam ſimulachrorum, uel imaginum loco, ſuam obijciant uenuſtatem, ſuadeant ad imitationem, quò ad illorum exemplum ſeſe componere, & ad ideam pulchritudinis ſe effingere pergat. Quid exiſtimatis? Quibus moribus imbutus? Qua diligentia, ad honeſtatem informatus ſit Hyacinthus? Quibus artibus, poſtquam primæ illius ætatis crepundia depoſuit, ſanctitatem aſſumpſit? Quam

Hyacinthi æmulatio puerilis.

imaginem non ſtatuariorum, ſed maiorum ſuorum artificio & ingenio, ſed Diuino ſtudio & diligentia, ſuæ impreſſit mẽti? Videres Hyacinthum, ab initio ætatis, in clariſſima ſanctiſſimæ diſciplinæ luce verſatum, nulla errorum prauitate, nullo malorum morũ contagio corruptum, ita religionem & ſanctitatem ſuorum inſtitutorum aſſecutũ eſſe, vt eum non filium, non diſcipulum, ſed quandam illorum effigiem, non hominum manibus, ſed imitationis ardore expreſſam arbitrareris. Si etenim, tanta eſt vis educationis atque inſtitutionis puerilis, vt etiam vitia corporis ſuorum præceptorum, diſcipuli multi expreſſiſſe dicantur: Si tanto ſtudio obſeruarunt olim Ariſtotelem ſui diſcipuli, vt gibbum eius referrent.. quam virtutem Hyacinthus aſſecutus eſt? qui nihil niſi magnum, niſi laudabile, niſi Diuinum, in maioribus ſuis inſtitutoribus conſpexit? Tantum apud pleroſque educatio effecit, vt parentum vel præceptorum, ſanctiſſimos mores, quidam imitati fuerint, quidam fœliciter ſuperârint. Laurentius Iuſtinianus, Patriarchali dignitate apud Venetos primus, cum adoleſcens adhuc, videret matrem Quirinam, ieiunijs, orationibusq́; & eleemoſynis vacantem, & ferrea catena ſuos lumbos cingentem, nec interim diſciplinam domeſticam negligentem, maternæ pietatis æmulus, ſemper cum ea impubes adhuc agere, clamq́; ſibi lectum ſternere, virentiaq́; ligna pro molliore pluma ſibi ſubijcere; donec valedicto matri, ſecutus præterea nocturnam vocem, monaſticam vitam cõplexus eſt. In qua ſic claruit, ſic excelluit, vt Patriarchali poſtea dignitate, primus à Senatu Veneto donatus, hodie inter Diuos habeatur; ſcriptis etiam teſtatus, quæ hodie extant, ſeſe & Virginis pollicitatione, quæ per ſomnium illi occurrens, ſe Dei ſapientiam eſſe dixit, & matris exemplo, vẽram pietatẽ ſecutum.. Sanctus Athanaſius, noſtræ religionis acerrimus propugnator, cũ eruditus fuiſſet ab Alexandro ſanctiſſimo Epiſcopo, cuius animus, & ſingularis virtus, & ſapientia excelſa, in illa grauiſſima & difficillima cum Arrianis contentione enituit; ſic Magiſtrum ſuum pro fide zelantem, ſuo retulit ardore, vt nullis vnquam laboribus, nullis inſidijs, nullis periculis, nullo mortis intentato genere, potuerit a defenſione veritatis deterreri. Potuit ne vel Hyacintho deeſſe, in maioribus ſuis virtutum idea? vel Hyacinthus maiorum virtutis non imitari ideam? Sed illud temerarium, hoc prope impium, vtrumque autem ne cogitari quidem debet.

Baptiſtã Egnatius.

Hyacinthi inſtitutores.

Inſtitutus eſt Hyacinthus, non ab aliquo impio & improbo, ſed ab illis, quos propter manſuetudinem & clementiam, & pietatem erga Deum, & res maximas, cœleſtibus magis auxilijs, quam humanis viribus geſtas, tanquam de cœlis delapſos, homines vniuerſi admirabantur.

bantur. Inſtitutus eſt Hyacinthus, ab illis parentibus, qui non tam illuſtriſſimi nominis, non ampliſſimarum facultatum, non rei familiaris, non alicuius alterius quod precio aſtimari poteſt, ſed integritatis, religionis, & honeſtatis ſuæ legitimum hæredem Hyacinthum, relinquere optabant. Inſtitutus eſt Hyacinthus, ab Epiſcopo Iuone ſanctiſſimo, qui illud ſolum, votis ardentiſſimis à ſuperis exquirebat, ne ingenuus puer, vel in iuuentutis primæuo flore, aliquo acerbiſſimo intercideret caſu; vel in adoleſcentiæ creſcentibus annis, aliquo ſcelere ſuum obſcuraret, ne dicam denigraret honorem. Inſtitutus eſt à præclariſſimis ludimagiſtris, quos illi tum Polonia, tum fœliciſſima illa ingeniorum mater & altrix Bononia conceſſerat, qui lapidariorum inſtar, precioſiſsimum Hyacinthum, vt lapidem quendam adepti, Diuinas atque cœleſtes ſapientiæ, & morum honeſtiſsimorũ pulcherrimas formas, tenello ipſius animo inſculpere quærebant. Inſtitutus eſt Hyacinthus, ab Angelo Diuinitus ſibi oblato cuſtode, qui pulcherrimum illum candorem, quo ipſe rutilat & ſplendet, in beatorum ſplendenti regno, Hyacintho ob oculos ponebat, illiuſq; ſenſa, ad conſpiciendam & dignoſcendã pulchritudinem hanc aperiebat; permouebat affectus, ad illam amore complectẽdam; Diuino lumine colluſtrabat ipſius mentem; charitatis autem igne ſuccendebat uoluntatem; quandoque carbone ignito eius labia purgabat; alias librum quendam, ſcriptum intus & foris ei monſtrabat; nunc ſecreta regni cęleſtis reſerabat; modo ad contemplandam beatitudinem, qua ipſe potiebatur eleuabat: illud vero die noctéq; curabat, ne Hyacinthus, ſuæ cuſtodiæ & curæ demandatus, vel à virtutis recto tramite decideret, vel à maligno aliquo ſeduceretur ſpiritu. Inſtitutus eſt Hyacinthus, ab illo qui intus *loquitur pacem & concordiam* virium animæ, qui *mittit de excelſo cœlorum habitaculo, ignem in oſſibus hominis, & diſciplina quadam ſecreta, erudit & inſtruit illum; qui per ſomnium in viſione nocturna, quando irruit ſopor ſuper homines, & dormiunt in lectulo, aperit aures virorum, et erudiens eos inſtruit diſciplina, vt auertat hominem ab his quæ fecit, & liberet eum de ſuperbia.* Eruens animam eius, à corruptione, & vitam eius vt non tranſeat in gladium. Inſtitutus eſt, dico, Hyacinthus à ſummo illo, totius ſciẽtiæ & perfectionis magiſtro; *Tres illi oculi increati*, Pater & Filius, & Spiritus Sanctus, puerulum ad rationis uſum accedentem, ſingulis momentis contemplabantur, & vias eius omnes circumſpiciebant, omniq; induſtria & ſedulitate, ad talę tamque excelſum culmẽ uirtutis ducebant, vt vix vllum relinqueret, alijs conſcendendi locum illa animi ornamenta comparare iubebãt, quæ & illi, & poſteris, & Eccleſiæ ſummos adferrent honores; varia

Thren. 1.
Iob 33.

cognitione rerum, eius inſcitiam perficiebant, gratiæ radios eius exc-
rebant menti, illum occulto quodam motu, ad ſuperna trahebant,
& ex homine non florem quendam, non petram inanimam, ſed Deũ,
conſortem naturæ Diuinæ efficere contendebant, ſiue in Deum effor-
mare & commutare nitebantur. Nunc Pater ille fœcundus, potentiã
ſuam exponens Hyacintho, illum ad ambiendam ſpiritualem poteſta-
tem ſtimulabat. Dulcis Hyacinthe (ita puerulo, intra cordis archa-
num loquebatur) noui equidem ego, te ad meæ uirtutis poteſtatem
pertingere nõ poſſe; ſcio te, neque fulgorem tibi ſimilem, e cordis tui
receſſu, neque uerbum in ſua ſubſiſtens eſſentia, neque filium e tuis
viſceribus generare poſſe. Quis enim eſt, ſimilis mihi in vniuerſo ter-
rarum orbe? Cuius alterius pectus eſt, adeo fœcundum vt meum?
Quare nec illud à te percupio, ut progeneres filios, uel fulgidos bo-
nitatis ſubſiſtentes radios, uel creatricem aliquam ſapientiam, uel
aliquod ineffabile verbum, in tua concipias mente; percupio, vt
verbum bonum concipias; vt *eructet cor tuum, verbum bonum*; op-
to vt cogitationibus Sanctis, tuam imbuas animum: nihil aliud me-
diteris, præter id quòd rectum & ſumma cum honeſtate connexum
eſt: deſidero vt ſplendidiſſimos, inſtar cuiuſdam lapidis precioſi, cœle-
ſtis gratiæ diffundas ex temetipſo radios: cupio vt nomini à gemma
præcioſa deducto reſpondeas; velim quoque vt filios, non eos quidem
carnales, ſed Spirituales progeneres, multoſq; relinquas tuæ Sãctita-
tis æmulatores; quibus ſi non naturam, prout non naturam, ſaltem or-
namenta communices naturæ. Hæc quidem & alia multa, cœleſtis pa-
ter Hyacintho fabulabatur. Quid vero filius? Num ipſe ſuo mune-
re, perfunctus non eſt? Perfunctus equidem: & nunc pendulus ad ma-
tris pectus, nunc in præſepi poſitus, ſuper duriſſimum recubans fænũ,
nunc labores, & ærumnas infantiles ſuſtinens, modo inter Doctores,
admirabilis ſapientiæ diſciplinam tradẽs, alias pro noſtra ſalute, mul-
tis ac varijs diſcruciatus malis; modo cruci affixus, animã æterno pa-
tri, pro noſtrarum redemptione animarum tradens; nunc gloria im-
mortali circundatus, ad dexteram maieſtatis inacceſſæ, inter innume-
ras Beatorum Spirituum cateruas, in ſolio ſplendidiſſimo reſidẽs; alias
ad horrendum iudicium veniens, & ſingulis pro meritorum qualita-
te, ſua reddens præmia, & alijs atque alijs modis ſe conſpiciendũ Hya-
cintho, in ſuis imaginibus præbebat; talique ſermone contemplãtem
puerum compellabat. A crepundijs ipſis, ego iuſtitiæ cultui, me totũ
dedidi: *exciſus ego lapis de monte ſine manibus*, ſtatim figuram bonitatis
& Sanctitatis retuli, & characterem perfectionis, in mea excepi men-
te; lapidis appellatione mihi ſimilis es; tu quoque lapis quidam cen-

ſeris eſſe,*de altiſſimo illo monte*,licet adiuuante manu erutus & exciſus; ne igitur diſſimilem te efficias,in ſuſcipienda imagine Diuina;ſimulachrum Diuinitatis,tuæ quoque imprime menti;à crepundijs quoque, iuſtitiæ cultui te totum dedas. *Bonum eſt adoleſcenti, cum port uerit* imaginem cœleſtem,à pueritia ſua. Vides quæ ego,pró tua ſuſtuli ſalute? ne detrectes laborē,tu quoque pro tua, ne ignauia,& otio torpeſcas. Pro meritis ampliſſimam laudem & gloriam vt ego,tu quoq; recipies:in illam æternitatis domum, te pulcherrimis expreſſum characteribus, ego eueham, & in manus meas excipiam, (*Iuſtorum enim animæ in manu mea ſunt*,) maiori ſplendoreperficiam,inter ignitos illos lapides collocabo. & quid dico inter ignitos lapides? mearū manuum annulo te inſeram,& includam. Tu meo fulgore, meaque dignitate ncœlis,& ego viciſſim,tuo merito & virtute in terris illuſtrabor.Talia dum proponeret Hyacintho,Dei vnigena filius;dici nequit, quas,non ſcintillas quidem,ſed ardentiſſimas amoris Diuini flammas, in eius incenderet pectuſculo Spiritus Sanctus. Iam tunc ab infantili æuo,in eius pectore,*perflabat Cœleſtis ille Auſter;* iā in corde eius paruulo,ignes quoſdam Seraphicos ſuſcitabat; iam flagrantiſſimū charitatis ardorem,in eius mente fouebat; iam omnem ſcoriam, & labem peccati ex *ſpecioſo* illo lapide excoquebat, & purgabat;tunc iam in igneam *Diuinitatis* flammam,totum infantem conuertere, iam à terris ad Cœlum,à carne ad ſpiritum, ab humanis & perituris, ad Diuina ſempiterna,ad Beatæ vitæ meditationem eleuare incipiebat. Videres tunc in ſacrato eius corde,Diuinis ignibus feruente,non aliquos tres iuuenes, *ſed tria illa lumina,tres illos viros qui Patriarchæ Abraam, in feruore diei apparuerant,deambulare*;dum innocens puer Sacroſanctę Trinitatis incomprehenſibiles perſonas, aſſiduè in animo voluebat, ſuſpiciebat,& complectebatur, & ad eorum ſimilitudinem, vi amoris flagrantis tranſire aſpirabat. Videres quoque & illum *virum ſimilem filio hominis,in eius obambulantem* animo. Non inuidemus tibi ò cęleſtis ſponſa, quæ præſentia tui ſponſi elata, extra ſe ferebare; noſter Hyacinthus ſponſum ſanguinum Ieſum Chriſtum, ſanguine immaculato reſperſum, non *rore aliquo madidum, ſed aqua ſaliente in vitam æternam,affluentem; non ad fores aſtantem, non proſpicientem per cancellos, non per feneſtras obſeruantem*, ſed incorde inſtar fornacis ſuccenſo exſpatiantem, & ſe mutuo complectentem, & ardores iuuenilis fomitis reſtinguentem,& cœleſti latice perfundentem,& oſcula ſuauiſſima figentem exoſculatur,complectitur. Non ad illius oſtium neceſsū fuit adeo obnixe orare, *vt ſurgeret e lectulo,& aperiret*; ſurrexit illico è cunis adhuc,& introeuntem Chriſtum ſponte ſuſcepit. Non neceſſe habebat

Alluſio ad fornacem in qua tres pueri coniecti ambulabant.

bebat noctes inſomnes ducere, antequam illum ad ſuos admitteret thalamos; non obteſtari per amorem quo ei deuinctus fuit; non beneficiorum multitudinem, & magnitudinem tantum expendere; non monſtrare, opus fuit, *cincinni mei pleni ſunt guttis noctium, caput meum plenum eſt rore*: ſtatim enim vt audiuit obſecrantem, *Ne diſſimilem te mihi efficias, in ſuſcipienda imagine Diuina. A crepūdijs quoque iuſtitiæ cultui temetipſum dedas*; Statim vt vidit & recognouit Chriſtum, exuuijs mortalitatis noſtræ indutum, & ſanguine precioſiſſimo, pro noſtris animabus reſperſum; non conquæſtus eſt; *Peſſulum oſtij mei iam obduxi*, non prætendit cauſam ſocordię, *expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa?* non cauillis vſus eſt; *laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Subito vt admirabilis ſponſus locutus eſt, *Bonū eſt adoleſcenti, ſi ab infantia ſua portauerit imaginem Diuinitatis; ingredere* ad me digneris, ait Hyacinthus, ò candor ſine macula, & figura ſubſtantiæ paternæ. Nihil ego moror, ne pedes meos commaculare, ex tuo poſſim acceſſu; *candorem ſine macula* te fore conſpicio, non deturpabis, immò potius *ſi quas ſordes in pedibus meis* habeo, emundabis, & dealbabis. Ad te Sūme Sacerdos accedam, *vt byſſopo*, hoc eſt verbo tuo, in lauacro pretioſi ſanguinis, & aquæ ſalutaris immerſo, *me aſpergas, vt continuo munder, & niuis candorem*, Sanctitatis tuæ meritis, atque virtute recipiam. Nihil ego cunctabor, quomodo veſtem innocentiæ mihi abreptam denouo induam; Induam ego te ò pretioſiſſimum mortalitatis noſtræ ſpolium, *tu me circundabis veſtimento ſalutis, tu velo Hyacinthino gratiæ, me qui ſum tabernaculū* tuo nomini ſacratum operies, *tu calceabis Hyacintho pedes meos.* ex te ego ò ſponſe meus puritatem, innocentiam, Sanctiſſimam vitæ integritatem aſſequar, tu mihi veſtimētum, tu mea Corona, tu meum decus; *in te ego proiectus ſum ex vtero, de ventre matris meæ Deus* meus es tu. *In te proiectus ſum*, imprime te meo cordi, pone temetipſum *vt ſignaculum ſuper cor meum*; ne alienam patiare figuram meæ ſuperinducere menti. *In te ego proiectus ſum ex vtero*; ex vtero egreſſum materno, in tuas accipe manus, tuis digitis perfice vt lubet, quamcunque imprime figuram vt lubet: vt lubet, me, meaque omnia diſpone. *De ventre matris meæ Deus meus es tu, ne tranſeas puerum tuum*, declina ad me infantulum tuum; ſis *mihi Deus meus*, & ego quoque ero Hyacinthus tuus. Obſtupeſcitis? Hæretis ad deuotionem? Fortè dubitatis, de ea Saluatoris ad Hyacinthum, vel Hyacinthi ad Saluatorem confabulatione? Cui veſtrum, in mentem venit hæc dubitatio, conijciat oculos in Hyacinthum, & diligentius inſpiciat, quemadmodū ille pueriles traduxerit annos: hinc enim colliget, neceſſe eſt, Chriſtum cum Hyacintho tales miſcuiſſe ſermones: Quid

Alluſio ad tabernaculū legale.

igitur

igitur primum in Hyacintho exquiritis? Quas pueri virtutes, vt vobis exponam optatis? An eius ingenioſam induſtriam? Sed nullus eſt, qui excellens eius ingenium, ſe poſſe aſſequi confidat; cuius tã celeres erant, vberesque motus, tam conſtantes, & clari, nihil vt à cõmuni ſenſu remotum eſſet, quòd ille ſi paululum ſeſe excitabat, vel ad orationem ſe conuertebat, non facile admodum, & perſpicuè intelligẽtia comprehenderet. Breui decurſo ſpacio, non illa tantum, minuta pueriis doctrinæ præcepta, ſed & abſtruſas ſiue Iuriſprudentiæ, ſiue Theologiæ difficultates animo perueſtigauit, vt & Summus Orator, Summus Phyloſophus, Summus Iuriſperitus, & Summus Theologus, à plurimis cenſeretur. Inuiſa quandoque, incognita autem nequaquã diligere poſſe ratus, tanta cum animi voluptate, cœleſtia illa admiranda archana contemplabatur, ſicque aquilæ cuiuſdam inſtar, ſuos obtutus in Sole veritatis ſplendidiſſimo figebat, vt ſuauiſſimas exiſtimaret delicias, ſi obſcura myſteria ſalutis noſtræ, Diuino lumine illuſtrata cerneret. Puerilibus diſciplinis, ſimul cum puerilibus annis decurſis, non contentus vano ſapientiæ nomine, omni virtutum genere, rerum magnarum ſcientiam cumulauit, ſine quibus nihil ſolidum ſatis atque firmum, nihil ſalutare eſſe poteſt. Hoc autem cupiebat atque expetebat, imprimis, Diuinam voluntatem vt noſſe poſſet. hoc à Chriſto ſeruatore hominum in cruce pendente, uotis ardentiſsimis expoſcebat. *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu*. Bonitatem & diſciplinam, & ſcientiam doce me. Difficilia atque ardua ſalutis noſtræ ſecreta, mihi oſtende: eam mentem mihi tribue, ut multis poſſem quam maximè prodeſſe, & huius meæ doctrinæ aliquid, in ſalutem populorum, & in Eccleſiæ ornamentum afferre. Quæ vero pietas? quænam religio fuerit ipſius? Quemadmodum in eo præclara & admirabilis indoles eluxit? Qui mores? Quæ ſtudia? Me totam Hyacinthi pueritiam, paulo attentius expendentem, patienter audite. Elucebat iam tum atque eminebat, in illis teneris annis, maxima quædam ad uirtutem indoles; ſemina illa & illæ honeſtatis ſcintillæ, in eius animo reconditæ erumpebant & apparebant; mores infantiles iam tum ſignificabant ſatis, quæ ſanctitatis eſſet futura meſsis, quæ virtutum maturitas, qui fructus honoris & honeſtatis, ſpem maximã ſummæ ſapientiæ, & ſummæ probitatis, alias de eo concipiebant. Mirabantur qui uel audierant incedẽtem loquentem, uel uiderant Hyacinthum; tantam in eo grauitatem & prudentiam; modum quem ille in omnibus obſeruabat prædicabant; facilitatem, comitatem, modeſtiam, & omnes iuuandi ac ſubleuandi ſtudium, incredibili beneuolẽtia complectebantur; ſolidam in animi ſui ſalute, Diuinaque gloria

Hyacinthi pueritia qualis.

pro-

procuranda religionem ſuſpiciebant. Apud Iuonem quidem, propter expectationem, quam de ſe ſummam concitarat, tanto in amore erat, quantus indulgentiſſimi patrui, ſimul & Sanctiſſimi, erga nepotẽ ſuauiſſimis, amabiliſſimiſque moribus eſſe potuit. tanto vero in honore ac pretio, vt quodam quaſi futurarum rerum augurio, ſæpe dicere ſoleret; illum ſuum nepotem ſanguine, alumnum educatione, inſtitutione diſcipulum, ſucceſſione Epiſcopum, doctrina inſignem verbi Dei præconem, fore decus aliquando, ac lumen omnium, qui vnquam ex Poloniæ ampliſſimo Regno extitiſſent. Obſeruabat pater Euſtachius puerulum, balbutiente licet ore, non quidem obſcæna, & ſcurrilia (vt plerique alij) ſed grauiſſima nonnulla efferentem. Stupebat de rebus differentem Diuinis; cœleſtia euoluentem inaudita myſteria, attenta aure auſcultabat. Nulla ex ipſius ore blaſphemia, nullum periurium, nulla conuicia, non calumniæ, non ficta mendacia, non aliquid futile audiebatur. omnia prudentiam quandam inuiſam, maieſtatem occultam, religionem & honeſtatem redolebant. Iam tunc infantulus Diuinam ſalutare Matrem, Deum obnixe, & pura conſcientia obſecrare incipiebat: iam in oratione lachrymas fundere, proſtrato corpore dies & noctes, pro ſalute ſua, & aliorum compellare; iam Eccleſiarum frequentare non tãtum limina, ſed etiam venerãda myſteria; iã Dei verbum, ex Sacerdotis ore, intento corde percipere, aſſiduaque meditatione contemplari; dum quicquid legi Diuinæ contrarium videret fieri, ad Sacerdotis vocem, omne iudicium deferre. Sacerdos ſic iuſſit. iuſſit alta illa poteſtas, ſic è ſuggeſtu inſtitutum: & alijs modis ad Sanctitatem pertrahere peccantes, ſolebat: Cerneres elinguem puerulũ, balbutie ſua Chryſoſtomum quendam, vel Nazianzenum agere. Domus ſuæ parietibus incluſus, non ille in conſpectum omnium prodibat, nõ parentes, non familiam importunis congreſſibus diſtinebat; tempus quòd ſtudio pietatis, ſibi conceſſum arbitrabatur, non in leuitates, & cupiditates, impendebat. non volitabat erectus tota vrbe, nõ in ludis, vel voluptatum illecebris ætatem conſumebat. Maxime vero in illo ætatis flexu, quo ſæpe deliciæ ac voluptates, diutius incluſæ, & prima ætate compreſſæ atque conſtrictæ, ſubito ſeſe profundũt, & vi quadã erumpentes, animum puerorum ad dedecus, & flagitium pertrahere nituntur; ille ſummo ſtudio, & acerrima contentione animi repreſſas cõtinebat; ſi quæ verò inaduertente eo, ex illo duriſſimo carcere proruiſſent, reprimebat & continebat. Delicias victus, ac venenum quoddam reſpuebat, luxuriem veſtium aſpernabatur, morum effæminatã deteſtabatur molliciem. Quicquid aſſequebatur otij, vel in animi cõtentione, vel in ſacris precationibus, vel in rerum Diuinarum commẽ-

tatione

tatione collocabat. Ludos æqualium & ſtudia deſerebat; caſtigabat inedia corpus innocens, ne occultis & tectis ſathanæ deuinceretur artibus, hoſtem omnium teterrimum inopia cibi, & tenuitate deprimebat; Miſericordiæ & pietatis viſcera iam tunc aperiebat; ſi quem inopem aut mendicum, paternis foribus aſtantem cerneret, accurrebat ad patrem, & uel ab eo impetrata, uel ſuo conceſſa uſui largiebatur: ſi alium quouis caſu acerbo miſerè afflictum ſciebat, uolitabat ad eum, & uerbis ſolabatur, & quantum poterat iuuabat. In omni deniq; genere uirtutis, ſupra ętatē, & ſupra uires præſtare cæteris & antecellere conabatur. Conſpiceres tunc Hyacinthum, infantem quidem ætate, ſed ſenem & conſilio, & prudentia, & morum honeſtate. Videres Sanctiſſimum puerum, hominis quidem externam; ſed illam venuſtam, & propter virtutis cultum elegantiſſimam; dicam maius Angeli cuiuſdā, vel Dei potius, inter homines ſuæ iuuentæ tranſigentis annos, figurā atque ſimilitudinem ferre. Quid enim in puero, aliud eniteret niſi Sanctum, qui à Sanctis parentibus nutritus, & educatus eſt? Quid niſi Angelicum, qui Angelorum miniſterio inſtitutus fuit? Quid niſi Diuinum, qui Deum in cordis ſui ſecreto loquentem, & ad ſe pertrahentem, adque cœleſtia ſuperna illa allicientem, & gratiæ illuſtrantē lumine, & igne *flagrantiſſimo* expurgantem, geſtabat? complectebatur? *Quid niſi* admirandum in eo eluceret, qui illos ſeptem oculos, *ſeptem illa* ſplendidiſſima lumina obſeruauit? quem ſeptem illa lumina, dies noctéſque obſeruarunt? illius honeſtati proſpexerunt? illum ad puritatis candidiſſimam lucem eleuarunt? ***Septem oculi ſuper lapidem vnum;*** Septem cuſtodes vigilārunt ſuper Hyacinthum. Septem inſtitutores præclaros, aſſecutus fuit Hyacinthus. Septem admirandi artifices, labore & induſtria ſolerti, precioſiſſimum noſtrum lapidem elaborarunt, à ſordibus purgarunt, ornarunt fulgido decore, Diuinis characteribus expreſſerunt, & ad incorruptæ pulchritudinis, ornatiſſimam ſpeciem ſubiecerunt. Aemulamini vos qui filios progenuiſtis, Hyacinthi nobiles parentes; æmulamini & vos ò pueri puerum Hyacinthum. Scio, vos omnes qui filios procreaſtis, nihil magis expetere, quam vt veſtri nati, Hyacintho ſimiles efficiantur: perſuaſum habeo, vos optare, Hyacinthos potius illos habere, quam totíus orbis ampliſſimos Reges; inſtitutionem igitur Hyacintho ſimilem illis conferte. Vt enim in reliquis rebus, ita in prima puerorum educatione, exiſtimandum eſt omnia poſita. Qualia namque rerum initia ſunt, tales ſunt exitus expectandi. Si filios ſuos peſſime quis inſtituerit, futurū eſt vt illi omni ſe ſcelere & flagitio cōtaminent: ſi rectè illos domi ſuæ educauerit, & honeſta diſciplina deuinxerit, maximam virtutū gloriā

ex eis obtinebit. Quo enim recens teſta, fuerit imbuta odore, & quē primo receperit colorem tenuis lana, illum perpetuò conſeruabit. Nō vobis credo, excidit è memoria, illud exemplum quòd adhibebat Socrates, dum optimè natis ingenuiſque potiſſimum, adhibendam eſſe rectam inſtitutionem ſuaderet. Idem enim in his vſuuenire aiebat, qꝫ in equis; in quib. qui feroces ſunt ac generoſæ indolis, ſi ſtatim à primis annis rectè inſtituantur, egregij, & ad omnem vſum accommodi euadunt: ſin minus, efferati, intractabiles, & ad nihil vtiles. Eoque fit, vt fœliciſſima quæque ingenia, corrumpantur malitia inſtituentium; qui mox homines vertunt in belluas, quod erectos inſtruere ac liberis imperare neſciant. Idem Plutarchus de Lycurgo, illo qui Lacedęmonijs leges condidit, recenſet. Quòd cum ille ſuos Ciues, ad liberorum inſtitutionem honeſtam, pertrahere vellet; duos educauit catulos, eodem patre eademque matre progenitos: quorum alterum páſſus eſt domi lautioribus veſci cibis, alterum eductum venatibus exercuit. Dein, quum ambos produxiſſet in forum apud multitudinem, poſuit illic ſpinas, ſimul & eſcas aliquas delicatiores; mox emiſit leporem. Quum vterque raperetur ad aſſueta, alter ad eſcas, alter leporem inuaderet. An non videtis, inquit, ciues, duos catulos, quum eiuſdem ſint generis; tamen ob diuerſam educationem, admodū diſſimiles inter ſe euaſiſſe, pluſquē ad honeſtatem momenti habere exercitationem, quàm naturam. Res quidem efficax eſt natura, ſed potētior eſt inſtitutio, quæ malam naturam corrigit, & vertit in bonam. Si igitur filios veſtros, Hyacintho non diſſimiles habere optatis, inſtar Hyacinthi illos enutrire pergite. Religionem, pietatem, ſapientiam cœleſtem; teneris eorum animis imbuite; imaginem Diuinam, menti eorum inſculptam, pulcherrimis virtutibus exornate. Qui Regum ſtatuas faciunt, & imagines Imperatorum depingunt, multum conſequuntur honoris. vos qui non Regiam, ſed Diuinam imaginem (eſt enim homo ad imaginem Dei effectus) ornabitis, quam non merebimini laudem? quam innumeris potiemini bonis? Cogitate vobiſcū interim, filios veſtros, magis ad genus Diuinum, quam ad humanum pertinere. Deus enim illos genuit & informauit; Deus in eorum animis, ſimilitudinem ſuæ mentis impreſſit; eoſque veſtræ curationi, & moderationi commiſit; vobis præcepit, vt eos ſic tueremini, ne vnquam à via ſalutis aberrarent. Si indulgentia veſtra, perniciem eorū comparabitis; ſi illos corrumpi ſinetis, ſi præbebitis materiam flagitijs, ſi ſumptus illorum cupiditati, & intemperantiæ ſupeditabitis, ſi eorum inſolentia gloriabimini, ſi modeſtia eorum vobis nauſeam mouebit, ſi manſuetudo inuiſa erit, ſi Chriſtianæ pietatis ſemina, in

Plutarch. in apophi.

illorum

illorum mentibus vobis diſplicebunt; ſi eos ad eum modum inſtituere duceretis, vt immites, & feroces, & acerbi, & nullo non ſcelere contaminati euadant; ſi poſtremo eos ſic paulatim inſici, & contaminari permitteretis, vt, qui deſtinati erāt Ciues cœli, in immas Tartari ſedes deliberantur, quam huius depoſiti rationē, ſempiterno iudici reddetis? Quòd vobis perfugium comparabitis? Quo tandem modo, ſcelus hoc tantum, vt nullum fingi cogitatione poteſt, quòd ſit cum illo comparandum, expiabitis? Quòd filij Iſrael è captiuitate Babylonis liberati, templum Dei materiale dirutum, & deformatum neglexerant, atque ſuas ædes priuatas exornarant, adeo Deum exaſperarunt, vt mitteret eis Prophetam, qui famem miniſtaretur, magnamq; rerum neceſſariarum penuriam, atque hanc cauſam comminationis eloqueretur. Vos quidem in domibus, vndiquaque habetis manſiones, domus autem mea deſerta eſt. Quòd ſi illius templi neglectus, tantam excitauit iram Numinis; huius quòd eſt viuum Sancti ſpiritus habitaculum, quem furorem Diuinum excitabit? Deus, apud *Prophetas*, (concludo cum Oſorio) Iudæorum ſcelus, acriter atque vehementer inſectatur, quòd filios ſuos, in honorem Deorum falſorum immaniſſimè iugularent, commentitiaque numina, innocentium filiorum ſanguine placanda ſuſciperent. At vos, non filiorū corpora, *ſed quod longe eſt* deteſtabilius, animos contrucidatis, ipſiuſque Dei *imagines* deformatis, & ad effigiem Dæmonis infeſtiſſimi figurandas ſuſcipitis; & illi quidem falſa religione decepti, cum opinarentur, in eo ſe numini ſempiterno, rem gratiſſimam facturos, ſanguinis charitatem repudiabant, vt Deo ſatisfacerent. vos, contra, cum veriſſima religione ſitis inſtructiſſimi, contra Sanctiſſimam religionem, atque Diuinas leges & inſtituta, Dei legem negligitis, vt filiorum libidini ſeruiatis. Illi ſimulachris impuriſſima cerimonia conſecratis, ſui nominis hæredes immolabant; vos autem, viua mentis Diuinæ ſimulachra, turpitudini, flagitio, dedecori, furori, & inſaniæ dedicatis. Atque vt nihil aliud dicam, illi, pœna breuiſſima, furenter in propria viſcera ſæuiebant; vos autem liberis veſtris, deteſtabili iudicio, pœnam ſempiternam comparatis. Quo facinore, quid poterit fieri truculentius? O fratres chariſſimi, vos oro, & obteſtor, vt Dei Sanctiſſimum numen metuatis; & ne in illius iram incidatis, ſolliciti ſitis; & ſimul miſericordia vos capiat filiorum veſtrorum, quos Deus veſtræ curæ, & ſedulitati commiſit; non vt opibus, per iniuriam partis augeretis; ſed vt viam illis, ad opes ſempiternas fruendas, omni ratione muniendam curaretis; nec vt uoluptates peſtiferas ſectarentur, ſed ut uoluptatis ſempiternæ cupiditate flagrarent, & omnibus uitæ commodis,

In Euan. Ioan. ora. 12.

iuſtitiam & pietatem anteponerent. Veſtri etiam miſeremini. Nam indulgentia ueſtra in miſeriam ſempiternam, niſi reſipiſcitis, detrudemini: & cum filios ſalutari diſciplina diligenter imbuendos ſuſceperitis, illorum ſalutem minime negligatis. Exemplum hodierna die, uobis in Hyacinthi inſtitutione omnibus propoſitum cogitate, non ſolum uos, ſed & filios ueſtros ad honeſtatem & Sanctitatem permouete; ut ſic ſalute ſpirituali, & pulchritudine cœleſti in animis ueſtris conſtituta, ante conſpectum Ieſù Chriſti Saluatoris noſtri deducamini, fœliciſſimo totius candoris lumine, atque decore perfruentes, in ſœcula ſempiterna. Amen.

# IN S. HYACINTHVM CONCIO LAVDATORIA QVARTA.

*HYACINTHI ad religionem ingreſſum luculenter explicans.*

QVOD ſpecioſiſſimi alicuius horti, induſtrij agricolę, in eo exornando; hoc idem ſapientiſſimus Paradiſi huius terreſtris cultor, in illo excolendo atque perficiendo efficere ſolet. Illi vbi viderint è ſemine; quendam emerſiſſe venuſtum florē, non relinquūt in eadem terra, ſed inde reuulſam plantulam, in vas quodpiam pulcherrimum transferunt. ne tenello culmo inſiſtens germen, vel herbis ſuffocatum, vel conculcatum pedibus, vel turbine vētorum erutum intereat, vel ſuum candorem natiuum, propter gremiū terræ, diuerſo pollutum ſemine deperdat. Itidem facit hortulanus ille Cœleſtis, qui ſingulis temporum momentis, deſcendit in hortum Ecclesiæ concluſum, vt perluſtret ſi vineæ gemmas emiſiſſent, & malorum punicorum arbores floruiſſent, ſi aliæ plantæ ſalutares generarūt fructus, ſi flores temporis conditione flagitante, ſparſerunt odorē ſuū. *Si Cyprius, ſi nardum & croccus, canna & cinnamomum, thus & myrrha & aloes*, & quæcunque ſunt aliæ arbores in pretio habitę, & miro ordine in eo dimmenſæ atque deſcriptæ, admirabilem attulerunt Virtutū fœcunditatem. Quod ſi conſpexerit in aliquo Paradiſi huius angulo, aliquem pullulaſſe florem, qui & venuſtate, & odoris fragrantia facile alios ſuperet, hunc à communi conſortio aliorum hominum ſeparat; & ſiue in deſertam ſolitudinem, ſiue in religioſam ſanctorum congregationem tranſplantat, & quaſi in vaſculum quoddam, omni pretioſo lapide ornatū transfert; vt ſpecioſo flori maiori ſtudio prouideat, & flos ille venuſtus, cum maiorem ex cultu ſingulari obtineat candorem, tum maiorem exinde & oculis venuſtate, & naribus virtutis odore afferat oblectationē. Viderat olim in veteri lege Samuelem Prophetam, ac florem quendam, ex ſterili matre enatum eſſe: illico ex matris gremio exceptum, in Eccleſiam transfert, & in nouam educationem tradit. Anna ſiquidem Mater infantis, vbi ablactauit puerulum, præter ſpem proſeminatum in ſuo vtero, à domo tranſtulit, & in templum tranſplantauit, vbi perpetuæ ſunt ſcatebræ & irrigationes ſpirituales; vt tādem illud de ſancto Propheta dicere liceat. Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorū nō ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit, ſed in lege Domini uoluntas

Allegoria ingreſſus Hyacithi ad religionem. 1. Reg. 1.

tas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Et erit tanquam lignum, quod plãtatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuũ dabit in tempore ſuo. & folium eius non defluet, & omnia quæcunq; faciet proſperabuntur. Vt enim arbor de ſolo arido tranſlata, & prope riuos conſita, altiſſimas radices agit, & ſemper vireſcit; atque frondeſcit, foliumq; non amittit, vberesq; fructus opportuno tẽpore profundit; ſic Diuinus Samuel ad fontem ſpiritualium bonorum, de infructifera mundi terra tranſlatus, pietatis atque fidei radices firmiſſimas defixit, & in Eccleſia inſiti roboris ſtabilitatem, & viriditatis honeſtatem, & fructuum copiam, & vbertatem contentus eſt. Neq; enim poſt malitiæ experientiam, venit ad malitiæ remiſſionem, ſed ab ipſis cunabulis ad virtutem tranſilijt; non habuit conſortium cum conſeſſibus iniquitati obnoxijs, neque communionem habuit cum conuenticulis impietate plenis, ſed prima ſtatim pueritia, à mamma matris venit ad mammam ſpiritualem. Et quemadmodum arbor, perpetua irrigatione in magnam excreſcit altitudinem; ſic & hic Diuinorũ eloquiorum doctrina aſſiduè irrigatus, ad virtutis faſtigium peruenit. Viderat quoque in huius vitæ veſpere, admirabilem exortum eſſe Hyacinthum. Venuſtiſsimum eſſe florem conſpexit, qui multos alios in pulchritudine cœleſtis formæ, longo interuallo ſuperaret. Vidit nihil in eo reperiri, quod non ſit ſumma laude dignum, quod ab omnibus immortalibus ſpiritibus appeti, quod amari & deſiderari non debeat. Pro comperto habuit, nullam eſſe virtutis formam, & ſpeciem quæ in Hyacintho, ſingulari cum laude non eniteat; nullam fore orbis plagam, ad quam illius odor ſuauiſſimus non eſſet penetraturus; nullum mortalem quem ille virtutis exemplo, pietate quæ in eo vigebat, iuſtitiæ moderatione, modeſtia religioſa, charitate ardenti, cæteroq; honeſtatis candore, ad decoris ſtudium, & ad Diuinæ mentis imitationem arctiſſimẽ non deuinciret, atque permoueret. Tam ſuauiſſimos odores efflantem, & tali venuſtate aſpectus omniũ oblectãtem Hyacinthum, vbi in ampliſſimo terrarum prato, enatum agnouit, mox concitat matrem eius deuotam, quæ ab uberibus ſuis auulſum, in Eccleſiam deferret, Diuino miniſterio conſecraret, & Antiſti-ti, non illi cæcutienti, ſed ſecreta cœleſtia, acri intelligentia peruidenti atque cõplectenti, in manus deuoueret. Qui officij memor, Sanctis inſtitutis animum eius tenellum imbueret, nec mira florentem ratione in terra defoderet, ſed in lucem proderet, nec vulgari more in lucem proderet, ſed uaſculo illi pretioſiſſimo, nuper à Summo artifice effecto, & margaritis fulgentiſſimis, Sanctorum uirorum adornato inſereret. quò à Patriarcha Dominico, cœleſtis Prædicatorum uiridarij vigilan-

Alluſio ad Heli Põtificẽ.

gilãtiſſimo cultore, ad Diuini patris uoluntatē colerctur & conſeruaretur. Paret illa & ille mādato ſuperno; nullus ex eis moras obedientię præſtandæ facit. Obſequitur mater pijſſima. Illico enim ut Hyacinthum ab ubere ſeparauit, uocato uiro, de puero Superis dedicando conſilium captat, precatur, obſecrat. Oro, ait, permittas mihi, ut noſtrum Hyacinthum, ad Iuonem Antiſtitem ducam, ut eum Diuino cōſpectui ſiſtam, ut miniſterio Altaris tremēdi deuoueam, ut maneat ibi iugiter. Vbi Euſtachius Pater annuit, illa confeſtim Cracouiam properat, Sanctum Pontificem Sacra facientem requirit. Quem poſtquā reperit, ad eius pedes prouoluta, puerulum infantem pedibus eius admouet. Obſecro mi Domine, ait; uiuat anima tua: ego ſum illa mulier, quæ ſteti coram te, hic orans Dominum pro puero iſto. Oraui & dedit mihi Dominus petitionem meam, quam poſtulaui eum. Idcirco & ego, non commodo quidem concedo, ſed totum trado, deuoueo, conſecro Domino, cunctis diebus vitæ ipſius. Quas tunc lachrymas fundeat pia Mater? Qua potiebatur dulcedine Sāctus Antiſtes? Quam alacer, quam lætus ſenex ille, puerum in ulnas excepit? cōplexus eſt? oſculatus? Quod gaudium tunc Matris & patrui? illius quod non aurum, non lapides, non quoduis caducum, ſed florem qui nunquam decidit, & nunquàm marceſcit, ſed florem qui longe lateque ſparſurus erat Sanctitatis odores; ſed lapidem pretioſiſſimum Diuinis manibus cælatum, ſed theſaurum quēdam inæſtimabilem ſibi cœlitus nunciatum, Domino offerebat. Præ dulcedine interna, languebat tunc Sanctus Pontifex, dum & audiebat ſupplicem Matris precē, & ſanctum paruulum brachijs ſuis excipiebat, atque ſuper horrendā Aram offerebat. Beata es tu (aiebat, Pontifex lachrymis perfuſus) o pijſsima Parens, quòd talem filium tuo utero protuliſti; longe beatior, quod eum Diuino cultui mancipaſti; beatiſſima quod Summo largitori bonorum perpetuo conſecraſti. Beatum & te ò dulciſſime fili prædicabo, cui nolenti ea fœlicitas contigit. Naſcere parue puer, in nouam ſpiritualem uitam. Dei ſobolem te fore contueor, Diuinā plātulam te eſſe uideo, inſerere in hoc magnum cœli incremētum; in electis Dei mitte radices. O me fœlicem ſenem, o fortunatam Eccleſiā, o florentiſsimum Staniſlai hortulum. Suſcipe agricola cœleſtis in manus tuas, hanc nouellam plantam. Ne dedignare paruulum hunc florem, quē tuis aſpectibus admoueo. Odora naribus o altiſsime Deus ſuauitatem quādam ex eo fragrantem, dirigatur ſicut incenſum in cōſpectu tuo. Paruulum tibi dedico, magnam tamen de eo ſpem ego concipio. Non mediocrem ex eo uoluptatem concipies, ex eo quaſi è quodam ſurculo omnis honeſtas orietur, fundet ille uberrimas fruges

vit-

uirtutum. Venuſtate ſua tantum recreabit animum tuum, quantum lilia candidiſsima ſacrarum uirginum, uel rubentes roſæ inuictiſsimorum martyrum, uel purpureæ uiolæ Doctorum. Suſcipe, ſuſcipe oro, ſpecioſum hunc florem, & illo ſertum gloriæ tuæ exorna. Suſcipe Margaritam hanc præfulgidam, lapidem iſtum pretioſum, & eum annulo dexteræ manus inſere. Dum talia precatur, ſacris altaribus aſſiſtens Præſul, nullus tunc à fletu, nemo à lætitia ſpirituali ſeſe continere potuit. Mater quidem deuota, modo ea omnia quæ Pontifex orabat, ſedula prece ipſa quoque repetebat dicens. Suſcipe, ſuſcipe oro ſpecioſum hunc florem, & ſertum gloriæ tuæ illo exorna. Nunc vero extra ſe poſita, in eas prorumpebat voces. O me fœlicem, ſi infantulum meum ſuſcipiet Deus. ò fauſtiſsimum nuncium, qui Deo Opt. meum munuſculum non ingratum fore denunciabit. Miniſtri altaris auro induti, nunc in genua prouoluti, Pontificem votis ardẽtiſsimis iuuabant. ſæpius voluentes, Suſcipe lapidẽ iſtum pretioſum, & eum annulò dexteræ manus tuæ inſere. Modo autem in gaudium ſoluti, puero gratulabantur, Deum laudantes. Naſcere (ſæpius occinebant) magne puer, in nouam ſpiritualem vitam. Omnes autẽ qui ad ſpectaculum admirandum venerant, rei magnitudine permoti, in lætitiam, quam in cordis ſecreto continere nequibant effuſi, magnificabant Deum vna voce canentes. Te Deum laudamus, Te Dominũ confitemur. Te æternum Patrem, omnis terra veneratur, quod eam pulcherrimo exornaſti flore; quod plantulam fœlicem in illa prodidiſti, quæ ſuauiſsimos fructus germinabit, nos omnes voluptate ſumma afficiet, nos & vniuerſum Orbem, nunquam interituris ex ſatiabit bonis.

Vbi Sanctus Pontifex Hyacinthum excepit, nihil vnquàm in vita dulcius habuit, aut iucũdius, quam in eo totis viribus pugnare; vt florem ſpecioſum ſibi concreditum, ad glorioſiſsimi hortulani voluntatem excoleret, & excultum conſeruaret. Didicerat apud Xenophõtem, Lacedæmonios, vitæ inculpatæ exemplo, pueros ſuos inſtituere. Nam cum admonerent, (recenſet ille in Repub. Laconum) adoleſcẽtes vt temperantiam diſcerent; plurimum cõducebat, vt viderent ſenes ipſos, quotidie temperanter vitam agere. Cum traderent præcepta parendi magiſtratibus, multum conducebat, vt ſeniores intuerẽtur, magno ſtudio parere magiſtratibus. Eoſdem cum docerent, vt cibi potuſq; continentiam ſeruarent, admodum iuuabat, quod oculis cernerent ſenes, non prius abire ventris implendi gratia, quam Principes permiſiſſent. Ijdem pueros ſuos, iuxta Anacharſis & Platonis conſilium, in conuiuia vinolentorum hominum ducebant; vt temulẽ-

tiæ turpitudinem intuentes, quaſi pertæſi ignauiam, à uino promptius & luxu abſtinerēt, ac tam tetri aſpectus, tantiq; dedecoris, non ſolum pigeret, ſed etiam puderet. Ad eum modum Iuo Epiſcopus Hyacinthum erudiebat. Nihil ille præclari, ſiue domi, ſiue foras, ſiue in Eccleſia moliebatur, cuius rei Hyacinthum non faceret conſciū: nihil à Hyacintho fieri volebat, cuius non ſimulachrum in ſeipſo mōſtraret. Non eum à conſortio, non à menſa, non à cubiculo, non ab orationis ſecreto loco ſeparabat. oīa archana cordis ſui, viſcera quoque ipſa patefaciebat. Diſce, aiebat, ex me puer virtutem. Nihil eorum prætermittebat, quæ ad Hyacinthi religioſam inſtitutionem pertinere uidebantur. Cupiebat ut Hyacinthus Diuinæ ſapientiæ ſtudio ſe addiceret? libros ille ante conſpectum eius uoluebat, aſsiduè meditabatur, quæ ex lectione ſiue præſenti, ſiue præterlapſa didicerat, memoria repetebat, & Hyacinthum ſuo exemplo, ad ſcientiam pulcherrimam capeſcendam, pertrahebat. Deſiderabat, ut Hyacinthus, alteram diei partem, in orationibus ad Deum eiaculandis inſumeret? in oratione ardentiſsima ſiue priuata, ſiue publica, cum animi demiſſione, & uehemētiſsimo feruore perſiſtebat. Charitatis uiſcera Hyacintho ingenerare exoptabat? Mentis ſuæ abditos receſſus, illi declarabat, ardentiſsimas Diuini amoris flammas, ſua ui ex corde ſuo erūpentes oſtendebat, & ubi inſigne quoddā charitatis opus faciendum erat, Hyacinthum ducebat, vt optimæ indolis puer, ignem charitatis flammantem, ex igne patrui cōcipere poſſet. Sequebatur Hyacinthus nec ſegniter, præſulem antecuntem. quicquid ab eo fieri cōſpiciebat, id totum efficere, quin potius Præſuli præire nitebatur. Vnius forſan horæ ſpacio perſiſtebat Pontifex in oratione? Hyacinthus noctes inſomnes, in contemplatione altiſsima Supernorum bonorum, & in conſortio Diuino tranſigebat. Ieiunio domare inſtituebat ſuum corpus Antiſtes? Hyacinthus cilicium aſperum, flagra duriſsima, ferreas catenas ſuo addebat. In conſolandis atque iuuandis afflictis, unam atque alteram horam Iuo inſumebat? Hyacinthus totos dies, cauſis pauperum inquirendis, miſeris ſubleuandis, ut proximorum ſaluti & commodis proſpiceret conſecrabat. Ter uel quater in hebdomada, Epiſcopus pauperes ad recipiendam eleemoſynam vocabat? Hyacinthus ſingulis diebus manus apertas habebat, & totum illud quod uel à Parentibus, uel à Patruo liberaliſsimè collatū ſibi fuerat, hilari animo diſtribuebat. Vno atq; altero die ſacer Antiſtes Diuina faciebat? Hyacintho nil ſuauius, nihil optabilius erat, quā ſingulis diebus, ſingula ſacra uel ſumma cum animi attentione audire, ubi nondum ſacris initiatus fuerat; uel dum in Sacerdotum ſortem aſci-

Anthiteſis p Allegoriá pulcherrima. Ezech.

tus eſt, ſumma cũ demiſsione atque deuotione mentis dicere, & uberrimis lachrymis tremenda altaria abluere. Sacra illa Ezechielis animalia, præcurſorem ſuum ſubſequi, non autem præire feruntur. Sic enim de illis Ezechiel reliquit. *Vnumquodque eorum ante faciem ſuam ambulabat. Vbi erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur, nec reuertebantur, cum ambularent.* Dicere mihi liceat, ò præcelſa & admirabilia animalia; Hyacinthus quidem, ante ſuam faciem, uobiſcum obambulabat; illò tendebat, quò ei ſuá facies iter monſtrabat, pergebat illo, quò ſimulachrum Diuinitatis ei impreſſum ipſi ſuadebat: Faciem ſuam ille, pulcherrimam ſcilicet hominis dignitatem, ſublimitatem, maieſtatem; quod uultum humanum belluini, effrenes, immoderati, feroces, & laſciuientes dedecerent mores; quod faciem hominis flagitia deturparent, quod faciem uenerandam, ueneranda & præclara facinora exornarent; Faciem, dico, hominis Hyacinthus ante ſuum conſpectum locarat; ex illá ſuas efformabat affectus; ab illa quid eum conueniret, quidue de dignitate deſ ceret percipiebat; nũquam aliquid moliebatur uel cogitabat, uel perficiebat, quin prius faciem hominis ſibi obiectam perquireret: Facinus hoc quod inſtituo, faciem decet hominis, nec ne? Illud quod mihi neſcio quis Spiritus inculcat, dignum eſt fieri ab homine, an non? Sic ille cum ſua facie fabulabatur. Non ſecus ac ille alter, qui caneſcentem barbam oculis obijciebat, ab eaq; ſcrutabatur; O barba, meæ canitiei conuenit delirare, inſtar pueri, nec ne? Hyacinthus quidem (reuertor ad uos, ò Diuina iumenta) uobiſcum ante ſuá faciem obambulabat; nunquàm retro conſpiciebat; in ſalis ſterilitatẽ degenerare nunquàm uolebat; nunquàm reuertebatur, dum in uia ſpirituali procederet; ſemper ad ulteriora aſpirabat; quò eum impellebat Antiſtes, illò gradiebatur; Dicam amplius ueſtra pace, (admiratione licet & ſtupore dignum.) Vos pernici ſuo curſu, mihi uidetur præceſsiſſe. Vltra quam ſuo exemplo impellebat eum Antiſtes, Diuinus proceſsit Hyacinthus: ad faſtigium uirtutum, quò non pertingit Iuo, pertigit Hyacinthus. Multa hic à me prætermittenda ſunt, nec ad augendum eius laudem exigua, nec uobis ad audiendum iniucunda; ad illa grauiſsima, quorum uos magna iam teneri expectatione ſentio, feſtinat animus; uehementer enim timeo, ne ſi omnia perſequi uellem, ſero nimis uenirem ad ea, quæ maiorem dicendi uim, ubertatemq; deſiderant. Et primum quidem, quali animo & ſpiritu, ad Sacram Dominici religionẽ uenerit, diſpiciamus. Iuo Pontifex, ubi Hyacinthum, maximis artiũ diſciplinis non mediocriter inſtitutum, & animi egregio cultu pulcherrimè ornatum, tum in Chriſti diſciplina, multa cum laude uerſatum

Coram facie ambulare quid.

tum

tum, qui & in ueriſsimæ ſanctitatis ſtudio, maximos progreſſus feciſſet, & ad cœleſtis uitæ perfectionem, ſumma cupiditate contenderet, agnouit, Diuinæ uoluntatis non immemor, de Hyacintho flore, in uaſculum aliquod religionis transferendo cogitare cœpit. Vidit tunc, dum Romæ ageret, Patriarcham Dominicum, Diuino ſpiritu plenum nouum Prædicatorum Ordinem, in Eccleſia inſtituentem: Doctrina, & uitæ ſanctitate viros illuſtres, in eo iam exoriri cõſpexit. Inſtinctu quodam interno percepit, patres illius inſtituti nunc in lucem emergentes, magnam Dæmoni ſtragem, utilitatem uero Eccleſiæ permaximam allaturos eſſe. Audiuit Honorium Papam, F. Prædicatores, FVTVROS PVGILES FIDEI, ET VERA MVNDI LVMINA fore denunciantem. Oculis poſtmodum proprijs contuitus eſt, Dominicum Patrem, ſuam ſanctitatem atq; pijſsimum inſtitutum, miraculis uarijs atteſtantem. Vidit illum mortuos grauiter colliſos, integritati & uitæ reſtituentem: & in amorem tum ſancti uiri, tum religionis recens natæ exardeſcens, iam de Hyacintho illi diſciplinæ addicendo diſpoſuit: beatum ſe iudicans, ſi & Canonicum Prædicatorem, & Prædicatorem poſtmodum ſua Eccleſia ſuſciperet Hyacinthum. Prudentia tunc ſingulari uſus eſt Pontifex; non illico aggreditur adoleſcentem, non (quod modo proh dolor fieri uidemus) *allexit* promiſsis, non minis coegit; prius cum illo de Dominico, pro fratribus compellando conſilia meditatur; Dominicum ut ſibi quempiam ex ſodalibus concedere dignetur, obſecrat. Poſtquam tulit repulſam (nec enim tot erant fratres, ut eius precibus ſatisfacere poſſet; nec inueniebat aliquem idioma Polonum callentem) à Dominico, mox familiam ſuam conuocat, & ſermonem ad eos inſtituit, ad Sacratæ Religionis diſciplinam, omnes inſimul coadunatos hortatur. Non opus erat Præſuli longa uerborum ambage, non perſuaſionibus Oratorijs, non pollicitationibus, non minis, non blanditijs, non terroribus, ubi orationis ſuæ exordium cœpit, necdum exactè animi ſui deſiderium declarauit, & ecce Hyacinthus, Spiritus Sancti furore Diuino correptus, in mediũ exilijt. En ego Pater optime, uoluntati tuæ pareo, ego flammis neſcio quibuſnam aduſtus, in Dominici amorem exardeſco, ego diſciplinæ illius me totum tradere volo: me ò Pater bonè in clientelam illius dedica: me ueſtimentis illis, ab Imperatrice Orbis cœlitus demiſsis induere exopto. ego ſanctam illam uiuendi normam Diuinitus delatam, amplecti cupio: me meæ ſalutis deſiderium tenet. mihi à meis humeris, magna illa mundi moles deijcienda eſt, mihi è Sodomis fugiendum, ego ego ad Dominum meum, in meo Dominico effulgentem euolare pergo. O quis deſiderium meum

In bul. approbatio. Ord. P.

complebit? O quamdiu cunctatus ſum? O quis me pedibus Dominici aduoluet? quis beneficium quò ego nullum maius æſtimo, in me conferet? quando veſtimento illo, quod mihi purpura Imperatorum ſplendidius eſt, meam operiet turpitudinem? quando in amplexus Dominici admittar? Putas me ſuſcipiet? Videres hic nouum quendã Iſaiam, ampliſſimo prædicationis officio, ſeſe lubenti animo offerentem. Meminiſtis illius viſionis, dũ ſublimi throno inſidens, Seraphinorum vmbra velatus Deus, perquireret. Quem mittam? & quis ibit nobis? Iſaias flammanti carbone aduſtus, ſe obtulit dicens, Ecce ego, mitte me. Alterum Iſaiam, imo promptiorem quã Iſaiam habemus. Non videt Hyacinthus Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, non maieſtatem eius contuetur; non Seraphinos ſexialigeros volantes, & canticum cœleſte acclamantes exaudit: nullam hic vocem Diuinam percipit: Epiſcopum humili loco ſedentem aſpicit, huius vocem auſcultat. Quem ex vobis illi tanto muneri præficiemus? Cuius fidei hanc legationem committemus? Quis Dominico ſeſe ſubijcere vellet? Hyacinthus igneo carbone, à quodam Angelo tactus, igne illo qui intimos animi ſenſus exurit, cœleſtiumq; rerum cupiditate mirabiliter inflammatus & ſuccenſus, nõ expectauit vt eum Antiſtes nominatim appellaret, ſed vltro alacer ſeipſum obtulit, operam ſuã ſumma voluntate pollicitus eſt. Promptus & paratus ſum ego, ad omnia quæ imperaueris exequenda. ego me Dominico ſubijciam. nullũ erit negotium tam arduum quod recuſem, nullum periculum quod adire reformidem. nulli labores à quibus me ſubtraham, omnia & agere, & pati, & ſubire & perferre ſpondeo. Mirabatur Sanctus Iuo, adoleſcentis alacritatem, vniuerſa quoque familia domus, in ſtuporem verſa hærebat. Alij quidem ardentiſſimo eius deſiderio incenſi, in medium ſimiliter proſiliebant, & ſodales Hyacinthi fieri volebant: Sequebantur Ceſlai, Hermanni, Henrici, & manus Hyacintho dabant, & comites ipſius in religione effici optabant.

Allegoria pulcherrima.

Alij uero amore quodã terreno ducti, Hyacinthi animũ à propoſito diuellere conati ſunt. Reperiebantur plerique, qui eum his ſermonibus adorſi fuere. Hyacinthe, tu temetipſum horrendo clauſtrorum carceri intrudere cupis? Tune Deum in religione auſtera, omni reiecta uoluptate, ſqualidus, paupertie præſſus, inædia extenuatus, colere pergis? Quis tibi animus? Quam cœpiſti ſententiam? Quid te ad hoc arduum permouit factum? Alij ſæcularibus implicati curis, Hiacinthum ſe delegato muneri accingentem, multis artibus remorari tentabant. Quis tuæ iſtius, aiebant, pietatis fructus extabit? Quam utilitatem, anni uitæ tuæ in religione conſumpti, laboribus tuis afferent?

rent ? Quid iſta noua ſanctitas ? quid iuſtitiæ huius orientis cultus, conferet tibi ad beatæ uitæ rationem, & ad florentem ſtatum ope firma muniendum ? Quid tibi præſtare poterit religio iſta ? Diuitias dices ? at has omnes contemnas, & reijcias neceſſe eſt. Voluptates ? at his omnibus ſepta monaſterij præcluſa ſunt. Vitam dices ? rectè: at præſtaret mortem millies oppetere, quam uitam in ea ſeueritate, in tantis cruciatibus traducere. Honores inquies ? at ſpectaculum eris non mundo ſolum, ſed & ſupremis Beatorum ſpiritibus. Quod ergo præmiũ percipies, propter hũc Sanctiſſimum religionis cultum ? Temerarium eſt, cum poſſis Canonicus Cracouienſis Eccleſiæ, tanto patruo ornatus, uitam in delicijs conſumere, delicias & uoluptates, & honores, & facultates abſque ulla graui neceſſitate præcidere. Alij deinde Patris ſenectam, & matris anguſtias, ob oculos Hyacintho ponebant. Quum Pater tuus, aiebant, nuncium accipiet, putas non ægre feret ? Num illas non vſurpabit voces ? Meus Hyacinthus religioni ſeſe dedit ? Hyacinthus vilem & miſeram viuendi rationem complexus eſt ? Itane columen ſenectutis meæ cecidit ? Sic baculus meus confractus eſt ? Meæ ſpes omnes, in Hyacintho corruerunt ? Dominico cuidam, non Eccleſiæ Cracouienſi Hyacinthum ego progenui ? Quid vero mater tua ? Num in fletum reſoluta, non eiulatu omnia complebit ? Cum redieris domum, non ſparſo crine, vbera quibus te lactauit, tibi monſtrabit ? Non ſanguineis lachrymis perfuſa, te compellabit ? Ita fili ? Hæc cucula quam in capite geſtas, illane eſt Epiſcopalis infula, qua tuum verticem decorandum iri, nobis pollicebamur ? Quis te nobis abripuit ? Quis in eam deduxit mentem ?

Quem, illa verba, ab animi ſententia non ſeducerent ? Quis veſtrum omnia ſuauiſſima ſibi expoſita cernens, ab inſtituto non retrocederet ? Quis non tergiuerſaretur ? non decretum mutaret ? Hyacinthus, hęc omnia, ſurda aure audiuit; deriſit, ſpreuit, deiecit hæc omnia Hyacinthus. Firmiſſimam petram tunc ſe eſſe demonſtrauit. Vt cautes in medijs fluctibus ſita, vndis licet tumentibus quatiatur, & ventorum turbine hinc & inde concutiatur, immota ſemper atq; ſtabilis, permanere videtur, aquarum tamen orbibus viciſsim refluentibus, paulatim diſſoluitur. Hyacinthus nulla rerum, nulla perſuaſionum viciſsitudine diſſolutus eſt; Hyacinthus inuictum & conſtantiſſimum, ad omnes hominum ſuadelas ſeſe præſtitit. Flauerunt venti, irruerunt flumina; illa quæ petreum cor effringere poſſent, in ipſius mentem peruaſerunt, at ille immobilis & durus ad omnia perſtitit. Adamas lapis duriſſimus & inexorabilis eſt, robore enim indomito, & inſuperabili, limæ, ſcalptro, & malleo duritia inenarrabili reſiſtit: Fortitudinis Hyacinthi ſpecimen.

 quòd-

quòdque omnium maximè admirandum eſt, contra etiam ignis violentiam incolumis euadit, neque calore quidem admiſſo, ſanguine tamen tepenti diſſoluitur. Hyacinthus fortiorem adamante ſe exhibuit; non precibus amicorum, non Patris obſecratione, non matris eiulatibus, non lacte ab eius pectore manante, non denique ſanguine proprio, non demum vitæ propriæ commodis, honoribus, voluptate, delicijs, rerum ex mentis decreto fæliciſſimo ſtatu, non quopiam terreno vel conteri, vel diſſolui, vel auelli ab animi conſtantia potuit. O inſignem pietatem, ò fortitudinem illuſtrem. Quis, vbi audiret maternos ploratus, vbera protenſa, non commoueretur? Hyacinthus ne minimũ quidem permotus eſt. Quis audiens, Ita fili? cuculam pro infula tuo impoſuiſti vertici? non à pernici curſu deſiſteret? Hyacinthus nunquam retro aſpexit. Valeant ait honores, Abeant voluptates & diuitiæ in profundam abyſſum. Amplectantur hæc omnia illi, qui non adeo ardenter amant Deum, qui Diuino conſilio non ſunt ad vtilitatem Eccleſiæ reſeruati. Me amor iucundiſſimis exurit flammis, & ad illud officium impellit, quo non video, an poſtea præſtare clarius poſſim; ſi modo hanc tam inſignem occaſionem teſtificandæ pietatis amiſero. Perſequantur terreni homines, terrena bona; ego cęleſtia toto animo concupiſco, cœleſtium bonorum participio me fore beatũ confido. Non mihi tantam voluptatem afferre poſſunt, fallaciſſima hæc bona, quãtum illa ſuperna. Nihil ego vel exoptare potero, quòd mihi à Deo bonorum authore non eueniet. nihil enim eſt à me expetendum, quòd in theſauro religionis non ſit incluſum. Hic non potero in ſordibus, & mendicitate verſari: Dei enim ſingulari munificentia ſuſtentabor, & cœlitus veſtimento delapſo induar. Non deerunt mihi in religione honores; nulla enim dignitatis amplitudo maior eſſe poterit, quam Dei filium numerari, & mentibus illis beatiſſimis, quę opibus Regni ſempiterni fruuntur adſcribi. Non deerunt mihi voluptates; illi enim ſoli quos Diuinus Spiritus incitat, puras & ſtabiles atque ſempiternas voluptates hauriunt, & ingenti lætitia quæ verbis explicari non poteſt efferuntur. Non deerit mihi mei ſtatus fæliciſſimi ſtabilis poſſeſſio; illi enim ſoli qui Deo ſunt amore Sanctiſſimo deuincti, cœleſtique præſidio conſtipati, Diuino atque ſempiterno præſidio firmantur, ita vt nullis humanis viribus, queant de ſtatu ſuo dimoueri. Non mihi quicquam aliud deerit; religio enim eſt theſaurus quidam, qui omnia bona complexu ſuo continet, quæ homines ſitienter appetunt. Omnes ego conatus meos intendã, vt hoc tanto potiar bono. Non Mater, non Pater, qui mihi lucis vſuram conceſſerunt, non Angeli ipſi, non quicquid mihi vel dulce

Religionis bona. quæ.

ce vel infauſtum accidere poteſt, me à mei animi propoſito deducer. Procul hinc procul abeſte profani. oleum peccatoris non impinguet caput meum. in aliam ego Domini ſortem vocatus ſum. Te vero Sancte Antiſtes enixè oro, ne meis conatibus obſiſtas. iuua potius auxilijs mea hæc conſilia. quo ardore meam perflauit mentem cęleſtis Spiritus, hunc tu paterna cura incende. Fœlicem hanc quam ordior meæ ſalutis tramam, ad finem deducere perge. O quis me Dominico ſiſtet? quis mea vota explicabit? An forte dedignabitur indignum? Talia dum Hyacinthus in illa admirabili congregatione fabulatur, mox Epiſcopus manibus ſuis eum complexus, ad Sanctum Patriarcham deducit. illum per ſalutem animæ ſuæ obteſtatur, quò Hyacinthum Diuino ſpiritu actum, in Sanctorum cœtum recipiat. Veſtibus ſacratis induat, diſciplina ſanctitatis animum eius excolat. & vigilanti ſtudio tum artificis inſtar, pretioſum hūc lapidem, Diuinis imbuat characteribus; tum hortulani more, venuſtiſſimum hunc florem, vaſi admirando inſertum, colat, cuſtodiat, conſeruet. Non abnuit Sanctus Patriarcha, & Hyacinthum humi proſtratum, citius à terra ſubleuat, exoſculatur, Præclari facinoris conſcientia, & firmiſſima ſpe aſſequendæ ex Hyacintho voluptatis, inter aliorum lachrymas, atq; gemitus, gaudio mirificè triumphat; veſtimenta ex ſcrinio profert, mox Hyacinthum genua flectentē, cādido caſtitatis ſymbolo induit, tum obedientiæ teſſeram collo eius circundat, demum humilitatis pallio circumtegit, Hyacintho nomen olim cęlitus inditum, intactum conſeruat, ad labores amplexandos religionis, ad auſteritatem diſciplinæ, lubenti animo perſequendam hortatur. miſericordiam ſuam petenti concedit, Diuinam autem indubitata fide pollicetur. in agmen Sanctorum illorum illuſtriſſimorum patrum connumerat. Quo tunc animo erat Hyacinthus? Quo ſtupore attoniti aſtantes? Quæ Dominico lætitia? Quid tunc Iuo perpendebat? Exiſtimo Hyacinthum, iucunditate quadam inenarrabili perfuſum, talia ſecum meditantem. Labores mihi multos obijcis? ſuſcipientur. Moleſtiæ multæ? deuorabuntur? Auſtera diſciplina? mihi ſuauiſſima erit. Impendet vndique magna tentationum moles? omnia aduerſa ſuſtinebo. Vigilantem oportet me eſſe? in perpetua quadam cuſtodia ego peruigilabo; ne tantulum quidem ego deijciam oculos. cum hoc corpore, cum his membris quæ gero, longam ego ſubibo & difficilem contentionem. Pro decore ſempiterno, ſumma quoque perferam atq; acerba. Deus meus meos iuuabit conatus, Ille mihi in rebus incertis conſilium, ille auxilium in periculis, ille in aduerſitate ſolatium dabit, ille pudicitiam meam à tentatione Sathanæ & carnis, non inui-

cto

cto tantum præſidio cinget; verum honeſtatis & caſtitatis pulcherrimis muneribus luculenter exornabit. ille quod breuiſſimis laboribus, pro hoc marcido corporis mei flore, ſertum gloriæ ſempiternum, ex lilijs ſplendidiſſimis paradiſi confectum, meo capiti imponet.

Ferebatur ingenti gaudio Antiſtes, quod ſibi iniuncto officio feciſſet ſatis. quod Hyacinthum florem, de mundi ſylua in vaſculum religionis præclaræ tranſtuliſſet. quod pretioſum lapidem, annulo illi vndequaque perfecto inſeruiſſet. Lætabatur Dominicus, quod ſibi talem, & tantum florem Agricola cœleſtis in ſuum viridarium miſiſſet. Lætabatur Summus Pontifex, quod nouella Dominici plantatio, quodam cœleſti germine exornata eſſet. Vniuerſa Ciuitas, quæ Hyacinthum, olim Epiſcopi indiuiduum comitem aſpexerat, lætabatur, & ſuauitatem inenarrabilem, quæ nec verbis explicari poteſt, neque cogitatione comprehendi, percipiens, fœlicem eſſe Prædicatorum Ordinem, vocibus altiſonis prædicabat. cuncti qui Hyacinthum religioni eſſe dicatum audiebant, gaudium ſuum his ſermonibus teſtabantur. O fortunatum Dominicum, qui tam venuſtum florem, in ſuam recepit culturam. Fortunatam religionem, quæ tam illuſtri viro ſuum auxit honorem. Fortunatum Hyacinthum, qui Chriſti amore ſanctiſſimo, vehementer & acriter inflammatus, ſic ad ſtudium ſanctitatis exarſit? Fortunatos parentes, qui talem filium mundo prodiderunt, & Chriſti munijs conſecrarunt. Fortunatos quoque & illos parentes (vela meæ ſermocinationis contraho) qui Hyacintho Flori, ſimiles procreabunt filios, qui iiſdem ſtudijs, qui Diuinis obſequijs mancipabunt ſuos filios. Fortunatos, dico iterum, illos Parentes, qui ſuos liberos, iiſdem ſtudijs quibus Hyacinthus, iiſdem Diuinis obſequijs quibus Hyacinthus, ſuos mancipabunt. Quantos modo numeramus Helchanas? Vbinam locorum reperiuntur Sanctiſſimæ Annæ, quæ nunc Samueles à ſuo auulſos vbere, Diuino pectori admoueant? illis qui Nutricum loco in Eccleſia cenſentur, qui lacteam ſapientiæ cœleſtis candidā doctrinā, è ſuo corde paruulis miniſtrant, inſtituendos & educandos tradant? Non ſine graui dolore, circumſpicimus veſtros paruulos, à lacte depulſos, prius quam Deo Tallophoris, aut agonothetis, aut certaminum præfectis, aut chorearum magiſtris, aut nutricibus (dixiſſem meretricibus) ſcelestis, aut cæterarum artium profeſſoribus inſtituendos, traditos eſſe. Quanti reperiuntur, qui ſtatim à primis annis, ad diſciplinam Reipub. cœleſtis ſuos gnatos inducunt? Quanti qui Eccleſiaſtico miniſterio deuouent? Quanti qui religioni ab ipſis incunabulis conſecrent? Nemo veſtrum eſt, qui illa omnia quæ corpus attingent filijs

ſuis

ſuis nondum enatis non procuret; filijs ſuis jam in lucem editis, iam rationis vſum aſſecutis, quinam ſunt qui ſpiritualia prouideant? qui religioſum, ſanctitate & doctrina illuſtrem fieri velit? qui non potius mundo immerſum, & curis ſæcularibus implicatum vel militem, vel mercatorem, vel agricolam, vel mœchanicum euadere ſuum natum exoptet? O cæcitatẽ noſtrã. Filijs veſtris bona omnia præcamini? præmini illa quæ vera quæ ſolida, quæ ſempiterna ſunt. His autem omnibus religioni addicti perfruuntur. Corporis interitura commoda illis relinquere, & honores eorum ex conſortio ampliſſimorum hominum augere cogitatis? religioni Sacratæ illos deuouete: in religione opes illas quæ nec auerti, nec imminui poſſunt, ornamenta illa quæ nemo poteſt vnquam detrahere, præmia quæ nec humanis oculis ad ſpici, nec mente comprehendi poſſunt, immenſas voluptates, gloriam immortalem, ampliſsimos honores, fœliciſſimũ Regni Cœlorum Imperium, Angelorum ſplendentium, & Dei inſuper familiaritatem adipiſcentur; præſtante Ieſu Chriſto, ſpecioſiſſimi religionis Paradiſi cultore, qui ſuos venuſtate admiranda exornat in cœleſti viridario, nunc & in ſæcula ſempiterna.

Amen.

# IN S. HYACINTHVM
## CONCIO LAVDATORIA QVINTA.

*Quales progreſſus fecerit HYACINTHVS in religione?*

EA virtutis Chriſtianæ cultorum, vel non poſtrema theſſera cenſetur, ut ſanctitatis eximiæ ſtudio concitati, nihil de conſueto virtutum exercitio remittant, ſed ad longè præclariora facinora, totis viribus perficienda enitantur. Arborem illam, tunc uitali humore præditam arbitramini, dum è radicibus profundè fixis, in ſtipitem erecta, ſua ſtatis temporibus incrementa, fronde, flore, & fructibus demonſtrat: Sic & homo, tunc gratiæ Diuinæ fluentis rore puriſſimo irrigatus; tunc Spiritu Sancto vitam animabus afferente perflatus, tunc demum igne cœleſti inflammatus iudicabitur; ſi ex ſe venuſtiſſimos flores & vberrimos honeſtatis fructus quotidiè efferet; ſi nulla mortis flagitia admittet, ſi in mortiferas plãtas non ſylueſcet. Si opera Spiritu Sancto digna molietur: ſi deinde terrenis contemptis, totus ad cœleſtia aſpirabit, ſeq; in cœleſte faſtigium traducere, & in Beatorum ſpirituum conſortium aſſerere contendet. *Beatus vir*, aiebat Pſaltes, *cuius eſt auxilium abs te. aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in lachrymarum valle, in loco quem poſuit. Etenim benedictionem dabit legiſlator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur, Deus Deorum in Sion:* Dicere voluit Sanctus propheta. Ille ſolus rectè eſt appellandus Beatus, & multis Diuinis muneribus egregiè cumulatus, qui in lachrymarum valle per quam ad immortalitatis culmen procedit, hac mente eſt; vt vias Domini quibus ad gloriã perueniturin præcordijs ſemper habeat. ille beatus, qui opibus ſempiternis Dominum ornatum, præeuntem ſemper contuetur & ſubſequitur. ille ſolus iure ſuo Sanctus vocatus, qui in loco quem poſuit, aſcenſiones per ſcalam virtutis meditatur, qui magnos indies in veriſſima virtute progreſſus facit, qui pietatem ſuam miris acceſſionibus amplificat; vſque eò dum puriſſima mente, in Syone cœleſti atque ſempiterno, in quo Deus non terrenis hoſtijs, non adumbrato cultu ſed ſpiritu atque veritate colitur, ipſum Dominum quantum licet & fas eſt, pro incenſæ fidei meritis & ratione perſpiciat. Ob eam rem, exiſtimo ego, Iacob Patriarcha moriturus, dum Ioſephũ benedictione ſua conſecraſſet, tali ſermone beatitudinem illius complexus eſt. *Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens & decorus aſpectu: filia diſcurrerunt*

Pſal. 83.

Gen. 49.

*verunt ſuper murum, ſed exaſperauerunt eum, & iurgati ſunt, inuideruntq; illi habentes iacula. Sedit in forti arcus eius, & diſſoluta ſunt vincula brachiorũ, & manuum illius, per manus potentis Iacob: inde paſtor egreſſus eſt lapis Iſrael. Deus Patris tui erit adiutor tuus, & omnipotens benedicet tibi, benedictionibus Cœli deſuper, benedictionibus abyſſi iacentis deorſum, benedictionibus vberum & vuluæ. Benedictiones Patris tui confortatæ ſunt benedictionibus Patrum eius, donec veniret deſiderium collium æternorum. Fiant in capite Ioſeph, & in vertice Nazaræi inter fratres ſuos.*

Hæc omnia dum ego euoluo, iure meritò noſtrũ Hyacinthum, eximium ſanctitatis cultorẽ appello. Sed neque etiam temerè, alibi Hyacinthum pulcherrimo Ioſephi charactere inſignitum eſſe, ex Ioannis viſione denuncio. Priuſquam ea omnia vobis explicare incipiam, reuocate in mentem, illam Ciuitatem de cœlis ad terras deſcendentẽ, & eius portas ex ſingulis margaritis effectas contemplamini; conijcite oculos & ad fundamenta ex lapidibus pretioſis iacta, offendetis in ea *Vndecimam portam, & vndecimum fundamentum ex Hyacintho vtrunque excisum eſſe.* Circumſpicite deinde quodlibet iſtorum, & portam ſcilicet, & fundamentum, nomina ſingulorum Patriarcharum, & Apoſtolorum, & Angelorum expreſſa circungeſtare; tum deinde ſuo ordine tam Patriarchas, quam Apoſtolos percenſete, Hyacinthum Ioſephi vel Aſſeris, nomenclaturam & characterem obtinuiſſe, vobis ex collatione facta perſpicuum erit. An vero incongruè Ioſephi charactere, noſter Hyacinthus inſignitus eſt? Nunc ſi lubet videamus. Ioſephum eſſe *filium accreſcentem*, nec ſemel ſed *& iterum accreſcentem*, Scriptura perhibet. Accreuit enim ille, nõ in bonis animæ ſolũ, ſed & corporis. Quid vero Hyacinthus noſter? Nonne & ille quoque, maximis incrementis ſuam auxit ſanctitatem? Auxit profecto. Filius accreſcens Hyacinthus, filius accreſcens & decorus aſpectu Hyacinthus, accreſcens in muneribus gratiæ gratum hominem facientis. accreſcens & in donis gratiæ gratis collatæ, accreſcens & in venuſtate illa, quæ oculos beatorum ſpirituum percellit atque in amorem corripit: accreſcens & in decore illo fulgentiſſimo, inadmirabili iuſtitiæ cultura, in ſplendore illo, qui cum primum oculis cernitur, ingentes ſui amores excitat, & animum Diuinum cupiditate acriter, ſupra quam explicari poteſt inflammat. Ioſephum eſſe filium accreſcentem, ob eam rem dixit Patriarcha, *quod Aegyptiorum laſciuientes filias, diſcurrentes per murum contempſerit*, nec amoribus illarum, præter vnius Aſeneth, Sacerdotis Helioploeos filiæ, amoribus illectus fuerit. Accreſcens & in hac electione Hyacinthus noſter fuit: illecebras ille carnis contẽpſit, amores væſanos à ſuo pepulit corde. Nõ alicuius voluptatis deſiderio,

non pulchritudinis cupidine dementatus, exarſit. filias quæ ad conſpiciendam eius ſpeciem vndique volabant, quæ caſtitatis eius integerrimum florem carpere nitebantur, ſpreuit, repudiauit, vt permaxima ſe ab eis explicuit. *Solam Aſeneth*, ſiue mauis dicere ſubleuationem meam, ſiue melius ignis aſperſionem, *à Summo Pontifice Ciuitatis Solis progenitam*; dicam clarius, ſolam religionem Prædicatorum ſanctiſſimam, igne charitatis flammantem, & radios doctrinæ igneos per totum orbem ſpargentem, & ſplendore non lucido ſolum, ſed & ardentiſſimo per vniuerſa orbis clymata, ad vſque extremos Indos & Antipodas, vſque ad ſuperos cœlorum globos, mirifice fulgentem. Solam Summi Sacerdotis Ieſu Chriſti, qui in luci diſſima illa, ſeptemplici Sole illuminata Eccleſia, mediator & Pontifex conſpectui Diuino aſtare dignatur: *Solam Heliopoleos Solis Ciuitatis Summi Pontificis, nuper progenitam filiam*, miro gratiarum fulgore ornatam, in perpetuũ connubiũ complexus eſt. Solius religionis Sacratæ, quam ignis aſperſionem iubet dicere, amoribus deuinctus eſt: religionem à Summo Pontifice prognatam omnibus prætulit, cætera propter hanc repudiauit, hanc ſolam ſibi deuincere, huic ſe totum dedicare, huic omnia ſua conſecrare, atque cuiuſdam ſponſæ, huius ſolius voluptates & delitias deguſtare, tota animi intentione exoptans. Quod ſi & aliam Aſenetis filiæ explicationem afferre licet; ſolã præ cæteris Aſeneth, meam vel ſuam ſubleuationem, ardenti dilexit amore: Religio Prædicatorum, (non pigeat vos oro, benigna aure excipere, Hyacinthi memorandam ſermocinationem) cui ego memet deuoui, mea ſubleuatio eſt. Hæc enim Diuinam legem, animis imprimere & inſculpere ſuorum fratrum contendit. Hæc inſtruit quibus ſtudijs, fides atque pietas retinenda ſit, quibus artibus fortitudo aſſequenda, quibus actionibus exercenda iuſtitia, quomodo opes cœleſtes augendæ, & gratiæ Diuinæ munera indies amplificanda. Hæc demonſtrat normam, quẽadmodum quis cupiditatis regnum extinguere, & tyrannidem peccati delere poſſit. In hac nihil eſt, quod vel voluntatem aſtringere, vel mentem flagitijs inquinare, vel animum metu fractum dilacerare, vel eum denique, quominus omnium maximarum virtutum muneribus ſtrenuè fungatur, impedire ita de facili poſſit. In hoc præclaro ſodalitio, in ſempiterni Regis ſocietatem vocati, recti Diuinis armis, & inuicto, Chriſti Imperatoris noſtri præſidio muniti, omnes hoſtium fraudes facili negotio eludere, omnes inferorum manium vires effringere & proſternere, glorioſa de Principe Dæmonum trophea reportare valent. Non hic vllam vim libidinis experiuntur, quàm non facillimè propulſare; non impetum aliquem furentis paſſionis perſenti-

Allegoria ſapientiæ & religionis.

re, quam non mox vt inuenerit comprimere queant. Illorum qui religioni Sacratæ ſeſe dicarunt, pectus & vota Spiritus S. numine reguntur. Illi qui mentes ſuas in cultu Diuino firmiſſimè conſtitutā habent, vitam cum ſumma iucunditate, non ſine maximo emolumento traducunt. Illi in ſummum rerum omnium Dominum, puris & incenſis animis intuentur, & in cœlum denique euolant: illi Angelorum choris ſtipantur, Et quid amplius? Illi in Diuini fœderis conſortiū tranſeunt, illi quòd longe ſublimius eſt, Diuinitatem aſſequuntur, illi gaudio perfunduntur inenarrabili, illi in omni ſæculorū æternitate, bonorum Diuinorum copia magnificentiſſimè redundant. Religio, ſuos cultores de terris ad cœlos, transfert: religio de hominibus in Deos ſubleuat. Hæc eſt illa precioſa Crux, quæ ſuis baiulis ſplendorem creatum obducit, & increatum illum inadſpectabilem aperit. Hæc eſt quæ Dæmone, & carne & mundo proſtrato, ſuos in ſupernam eleuat domum. Hæc omnibus qui eam complexi ex animo fuerint, ſempiternos parit honores. Hæc eſt currus ille igneus, qui ſuos Elias ad Paradiſum euehit; hęc aſperſio ignis, quæ ad thronum flammantem ſupremū, & Altipotentis Dei, illum quem aduſſerit, traducit. Hæc eſt mōns Altiſſimus ſuper omnes colles elatus, in quo fugientes exardeſcentem mundum, & ſeſe ab incendio inferni ſaluare, & veræ ſapiētiæ fructus percipere, & Dominum gloriæ tranſeuntem, contueri poſſunt. Hæc eſt ſubleuatio mea, (aiebat Hyacinthus,) hæc mea ignis aſperſio! Propter hanc ego, me à peccatorum conſortio ſegregare, propter hāc flagitiorum ſordes exurere, propter hanc & effrenes motus comprimere & refrenare potero. Propter hanc & militiæ cœleſtis Sacramentum, & virtutis præclara ornamenta, ego aſſequar. Propter hanc & admirabili Sanctitate excellere, & in Beatorum commertium tranſire, & voluptate cœleſti ſumma cum dulcedine potiri, & in Deum aliquem euadere, ego ſpem habeo. Hęc eſt ſubleuatio mea, me illa dè mea ſorte ad celſiſſimum ſtatum eleuabit, & ſuſtollet. At quia eſt ſubleuatio, de ſubleuatione mihi cogitandum erit. hoc dies noctesq; mihi voluendum eſt, vt, aſſiduo ſtudio, & exercitatione altior in dies fiam. Subleuationi meæ me dedi, ſubleuationis legibus parendū eſt. ita vt me filium, & ſponſum Aſeneth meminerim eſſe. Perueni ad deſideratos complexus Diuinæ iſtius ſponſæ; illius dicto me audientem neceſſe eſt, & maiorem in modum metuendum; ne quem Diuina benignitas, ad præclarum hoc connubium euexit, ſocordia & deſidia, ad æterna deprimat ſupplicia. Summi Pontificis Christi conſors, & famulus effectus ſum: nihil mihi diligentius curandum erit, quam illius amicitiam excolere, & vnum cum ipſo, vinculo inſolubili fieri. Schalam

lam Iacobi, ad quam Dominus innixus perſiſtens, me ad ſuum conſortium pertrahere exoptat, ego primo pede conſcendi; non mihi amplius ad terram reſpiciendum erit; deſidia omnis excutienda, omniſq; illa vetus negligentia procul hinc, procul repellenda & fuganda, impigro & acri animo ad ſumma ego contendam, adiungam ego mihi alas & volabo. O quis dabit mihi penas, vt columbæ, & ab hinc vſque ad ſolium gloriæ Diuinæ euolabo, & requieſcam? Volabo ego per hanc cœleſtem Schalam, vſquequo faſtigium cœlorum meo attingam vertice. Volabo vſque ad Dominum innixum Schalæ huic altiſſimæ, adiuuabit ille me ardua iſta petentem, ſuſcipiet ille me ſublimia illa conſcendentem. Cuius ſimilitudinem, (æſtimate vos ipſi,) noſter Hyacinthus hic retuliſſe videtur? Quonam charactere, noſtrũ lapidem pretioſum expreſſum eſſe iudicabitis? Ioſephi? rectè quoad typum. Subleuationem enim ſuam ſummo dilexit amore: Rectius vero, Apoſtoli cuiuſdam, vel ſatius Angeli, quum & Apoſtolico, & Angelico inſignitus fuerit ſymbolo. Quòd enim Simon Zelotes, qui Vndecimo obtigit fundamento; quòd ſupremi Spiritus, ardenti expetunt deſiderio, vt terrenis calcatis, ad ſupremum Orbis Moderatorem, Sanctiſſimis cogitationibus ſeſe eleuent, illi ſoli nexu perpetuo coniungantur, huius conſortium exquirant, cum eo in perpetuas æternitates ſuauiſſimam conſuetudinem ducant, hoc Hyacinthus præ cæteris meditabatur. Non illum imbecillitas naturæ, non valetudinis tenuitas, non fluctus tentationum, non auſtera illa viuendi norma, non alia quæpiam cauſa, honeſta licet atque non iniqua foret, à gradu reuocabat; non à pernici curſu, non à profectibus, non à fæliciſſimo religionis, ſed illius ſubleuantis congreſſu auellebat. Omnia ille vincula, omnes laqueos ignauiæ deſidiæque facile perfregit, atque perrupit, & euolauit per hanc Schalam ſublimem, ad thronum maieſtatis Diuinæ. Optarem ſanè dilectiſſimi, vt mentis veſtræ oculis eò aſpiceretis, quò mea fertur acies. Video enim ego quendam nouellum Eliam, in igneo axe ſuprema cœli, cogitatione ardentiſſima petentem, & vſque ad Paradiſum illum, non terreſtrem ſed cœleſtem; cryſtallino fonte de ſede Dei, & agni promanante irrigatum, & ligno quodam inexplicabili conſitum; ad illam fælicitatis regionem ſeſe attollentem, & ſuaues ſermones, & dulciſſimos complexus, animo ſuo, cum Admirabili Sacerdote miſcentem. Video ego Angelum quendam, miro ſplẽdore corruſcum, mira velocitate, per hanc Schalam religionis aſcendẽtem, nec deſcendentem, quouſque Dominum Maieſtatis, Schalæ innixum votis ardentiſſimis, & puritate immaculata contigiſſet. Conſpicio quendam Apoſtolum ardentem, & Chriſto amoris fœdere ſempiterno

terno implecti cupientem. Video Moyſen alterum, in nouum montem ingredientem, & Diuinis colloquijs perfruentem. Video & quẽdam Dauidem, & opes, & honores, & voluptates aſpernantem, & in illas voces prorumpentem. Mihi adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam. ¶ Nemini dubiũ eſt, illud eſſe primum & pręcipuum, quòd à quoquam religioni dedito expeti debet. vt nodo inexplicabili, ſeſe conglutinare cum Deo contendat. Ab hac enim vnione ſpirituali, penè omnia religionis bona proficiſcuntur. ſine hac vero, nullum officium, non aliquod bonum, non aliqua virtutum ſpera exerceri, nulli fructus ampliſſimæ voluptatis percipi poſſunt. Siue enim quis flagitijs finem imponere cupit; Deo iungatur neceſſe eſt, qui ſolus peccata relaxat, quique ſordes aqua ſalutari abluit. Siue quis Dæmonem in duellum euocare, & de eo victoriam referre meditatur; Dei nexũ expetat neceſſe eſt. ab hoc enim ſolo vires animæ augentur, & præſidio cæleſti firmantur; ille ſolus pugnantes adiuuat, ille hoſtes teterrimos proſternit, & deuincit. Si conſiſtant aduerſum me caſtra, (ita ſibi pollicebatur Dauid) non timebit cor meũ. Si exurgat aduerſum me prælium, non concidet vtique cor meum, quoniã tu mecum es, ò fortitudo mea & firmamẽtum meum. Si quis deinde virtutis munera glorioſè obire expetit; exoptet neceſſe eſt Diuinum conſortium. ab eo enim ſolo, & quod volumus, & quod operamur bonũ prouenit. oĩs ſufficientia noſtra ex Deo eſt, nos autẽ non ſumus ſufficiẽtes ne dicã facere, ſed ne cogitare quidẽ aliquid ex nobis, quaſi ex nobis. Deus ille eſt ſolus, qui in nobis & velle & perficere operatur. Si demum quis ſuauiſſimos virtutum fructus deguſtare nititur; Deo iungatur neceſſe eſt. ille enim ſolus dat ſuis cultoribus manna abſconditum, quod nemo nouit niſi qui labijs ſuis attigerit. ille ſolus arboris viuificæ exſatiat fructu: apud illum ſolũ eſt fons vitæ, de quo omnis ille qui biberit, nunquam ſitiet in æternum. Ille ſolus vocat omnes. Si quis ſitit, veniat ad me & bibat, & de ventre eius fluent aquæ viuidæ, & fiet in eo fons ſalientis aquæ in vitam æternam. In ſumma, qui omne id quod ad ſalutem animæ attinet deſiderat; deſideret conſequens eſt, & intimam communionem cum Deo. hæc enim vnio, radix, fundamentum, & origo omnium eorum eſt. In hoc igitur noſter Hyacinthus omnes animæ neruos intendit, vbi religionem ingreſſus eſt: vt indiſſolubili nodo, cum Summo religionis progenitore Deo, copularetur. Nihil eorum vnquam omiſit, quæ ad hãc vnionem, ſiue efficiendam, ſiue confirmandam, ſiue augendam, vel etiam conſeruandam, conducere viſa ſunt. Puritas animi ea eſt, quæ nos puritatis auctori connectit? Omni ſtudio Hyacinthus niſus eſt, fugere impro-

Religioſi primũ munus.

improbitatem; & puriſſimam vitam, ei ſimilem ad cuius ſe ſimilitudinem contulerat inſtituere. Necem ille ſenſibus afferebat, domabat libidinem, ſtatum animi tutum & incolumem ab omni perturbatione ſeruabat, eneruabat cupiditates, paſſiones ſupprimebat, in perpetua quadam cuſtodia peruigilabat, contra omnium rerum mortalium illecebras. Non in illo iracundia, non odium, non libido, non ambitio, nō immanitas, non auaritia, non quoduis ſcelus viuebat. Viuo ego iam non ego, dicebat, viuit vero in me Chriſtus. Tam acerbo & immani odio ille proſequebatur flagitium, quoties vt in mentem irrepſiſſet, illum indigni ſceleris contagione maculari æſtimaret. Intenta illi cuſtodia erat ſenſuum, aſſidua cuiuſlibet omiſſionis exomologeſis, multo diligentius ille animum ſuum ab omni labe tuebatur, quam qui pretioſis ornatus veſtibus, via lutulenta incedens, indumenta à lutulento cæno immaculata conſeruat. Summa ille circumſpiciebat cura, quicquid ad puritatem vel augendam, vel tuendā quoquomodo pertinere intelligebat. Nulla ei lux, vel aſſulgebat vel occumbebat, quin oratione aut contra aſtutias Sathanæ non ſe præmunierit, aut pro omiſſo aliquo facinore, Deum miſericordem non obſecrarit. Nemo illo extitit, vt exiſtimo, in præclaro Dominici tunc congregato ſodalitio, qui eſſet in expurganda anima diligentior, & in legis Diuinæ ſtudio vigilantior, & vita incontaminata continentior. Omnes illum puritatis quoddam ſpeculum vocabant; ſuis omnibus ille (vt eorum ſententia ferebat) candoris, iuſtitiæ, probitatis, & religionis exemplar fuit: ea ille puritatis animi, & virtutis ſigna dedit in terris, vt in eo potuiſſet vitæ Cœleſtis ſplendor animaduerti. Puritatem ille Angelicam aſſecutus fuiſſe, ab omnibus iudicatus eſt. Poſt animi puritatem, Sapientia quoque illa eſt, quæ mortales ſapientiſſimo Deo cō-glutinat. Sapientiæ nāque munus eſt, docebat eloquentiſſimus Oſorius, Deum ſemper intueri, & illius ſpeciem, & pulchritudinem vehementer admirari. Ex aſſidua vero Dei conſideratione, amor ſummus exoritur: amorem autem imitatio conſequitur; Libenter enim nos ad eorum mores effingimus, quos miro amore diligimus. Ex ea vero imitatione, mira quædam ſimilitudo Diuinæ virtutis & claritatis effloreſcit. Ex ea ſimilitudine, animorum coniunctio naſcitur, illudq́; ſanctiſſimæ amicitiæ fœdus, quod tantas vires habet, vt nō liceat amico dabere quidquam, ab amici vſu & vtilitate ſeiunctum. Vt enim vitæ diſſimilitudo alienat animos, ita ſimilitudo conglutinat. Quod cū eſt in Deo vehementius, quò fides illius eſt in omni rerum varietate conſtantior, & potentia maior, & ſtudium quo ſibi adiungit homines admirabilius; *Qui adhæret Domino*, (inquit Paulus) *Vnus ſpiritus eſt cum*

*tum eo.* His ego, adiungo tertium vinculũ, quo Deo connectimur, vt funiculus ſit triplex qui difficile rumpatur, & qui nos perfecte ſummo opifici & reparatori colligat: hoc autem vinculum eſt charitas. Hæc vna eſt, quæ mortis inſtar, animum diſiungit à corpore, quòminus vinculis illius irretitus, cum Diuina mente conglutinari poſsit. Hæc mentis oculos, in ſpeciem illam præcellentiſſimã eleuat, ut nihil aliud uelit & nihil cupiat, quam immenſa illa pulchritudine frui, & maiori ſtudio in Diuinum decorem, & ſempiternam dignitatem inflammari, ſe ad ſpeciem Diuinæ pulchritudinis effingere; arctiſſimo vinculo illi deuinciri, & in ſplendidiſſimum authorem commutari atque tranſire. *Fortis eſt vt mors dilectio, dura vt infernus æmulatio.* Vt mors ſeparat animam à corporeo carcere, ita purus amor mentem & uoluntatem à ſocietate corporis auellit, ut à terris abſtractam Diuinis amplexibus adiungat. His duobus, ſapientiæ videlicet & charitatis aureis funiculis, Chriſto ſe obligabat Hyacinthus. Non animo ille in terram depreſſus, non corporis legibus adſtrictus, non uitiorum aliquorum uinculis colligatus, vt eò mentem conuertere nequiret, vbi lucem veritatis aſpicere poſſet. Non rerum vmbris ille aſſuefactus, nõ imaginibus deluſus, nõ falſa voluptatis dulcedine liquefactus, ut in ſuperas oras euaderet, & effulgentem ſupernorum ſplendorem contemplaretur; liber & ſolutus ab his vinculis ille, mente ſua Orbes cœlorũ tranſcendebat, & ad Maieſtatis thronum procedens, Speculum illud admirabile, Deum Opt. lumine inacceſſo ſplendentem mirabatur, Non quidem rerum cauſas, & ſpecies, & mundi huius quem cernimus imagines, ſed illa quæ mente & cogitatione complecti non poſſunt, ſupremum rerum Opificem beatiſſimo ſplendore collucentem; characterem illum Diuinæ ſubſtantiæ inexplicabilem, ſimulachrum Diuinitatis ineffabile atque inadſpectabile, complexum deinde perpetuum patris, & filij, contuebatur. Præter tria illa fulgentiſſima lumina, in vno lumine corruſcantia, etiam in noſtræ ſalutis Oeconomiam oculos inijciebat, & magnitudine myſterij obrutus & attonitus ſenſibus oppreſſis obſtupeſcebat, indicibile conſilium Dei ſuper ſalute humana. Et mente atque ratione tandem compoſita ſilebat, quòd non intelligebat, mirabatur; quòd non aſpiciebat amabat; quòd intelligentia comprehendere nequibat, charitatis amplitudine complectebatur; quòd non complectebatur, ſummum genus ſapientiæ ſe conſequutum eſſe dicebat. Mox acriori cogitatione, in ſalutis noſtræ reparatorem Chriſtum reſpiciebat. huius imaginem ob oculis ſemper voluebat. intimos ſeceſſus cordis ipſius, per ampliſſima illa quinq; vulnera introibat, & illic amorem immenſum, patientiam à ſæculis inau-

Sapientia Hyacinthi

ditam, profundiſſimam humilitatem „ inuictum animum, puritatem immaculatam contemplabatur. illic in corde Saluatoris archana ſecreta ſcrutabatur. illic conſiderabat, quomodo ſanguine Chriſti totius mundi maculæ elutæ, quomodo expiatæ hominum mentes, & animi à tyrannide liberati, quomodo mortales à terrenis ad Diuinæ probitatis amorem excitati. illic quomodo legis Vmbræ euanuerunt, & imagines exterminatæ ſunt, quemadmodum peccati vires fractæ, & debilitatæ iacent, Regnũ mortis excisum, monſtra feritatis, & immanitatis euerſa; quibus cõſilijs iuſtitiæ cœleſtis ratio cõſtituta, qũo expreſſi, & ſolidi fructus extitere, atq; chariſſimus Diuinæ virtutis ſplendor eluxit, illic meditabat & circũſpiciebat theſauros pretioſiſſimos, ex archa cordis Ieſu profuſos, quòd propter paſſionem, & mortẽ eius acerbiſſimam, aditus in cœlum pijs hominibus patefactus, quòd vita lux, ſalus, honeſtatis ſempiternæ decus, quòd Sacramentorum ineſtimabilia ſymbola, quòd virtutis monilia, quòd gratiæ Diuinæ pulcherrimus ornatus, quòd Spiritus Sancti chariſmata, inſolitæ benignitatis amplitudine hominibus conceſſa ſunt. Et dum has ſuæ Theologiæ ſpecies voluebat, atque diutius circunſpiciebat, reflexo mentis radio, in ſeipſum quoque oculos deijciebat; & an his muneribus à Deo exornatus ſit, diligentius perquirebat. Quòd vbi perſpexiſſet, quòd ille quoq; à vinculis horrendæ mortis, à teterrimo Dæmone, è clauſtris horribilibus inferni, ex faucibus ardentiſſimis tormentorum; propter mortẽ & Crucem Dei noſtri erutus eſſet: quòd ille quóque vitam, lucem, ſalutem, honeſtatis ſempiternæ decus, baptiſmi ſignaculum, innocentiã olim ereptam, puritatem mentis, gratiæ Diuinæ ſplendorem, virtutũ eximiam pulchritudinem, quòd theſauros qui neque auro neque lapidibus pretioſis comparari poſſunt, quòd ſempiternæ vitæ opes inæſtimabiles, è latere Ieſu Chriſti Crucifixi recepiſſet, quòd innumeris beneficijs auctus eſſet. quo amore tunc rapiebatur? quo ardore incẽſus è corporeis clauſtris euolare, atque in intimis Crucifixi viſceribus ſuum conſtituere tabernaculum optabat? Quid non faciebat? quibus artibus vſus non eſt, vt terrenis ſolutus, cœleſtia quoque tranſcẽderet, atque ad gloriæ Diuinæ ſolium procederet, vt quòd per tranſennam, & in ænigmate in præſenti vita, illic aperta facie ad faciẽ videre mereretur? Quæ conſilia ſecum ille non inijbat, vt ſummo authori tantorum bonorum, copulari in perpetuum potuiſſet? vt mentem ſuam, animum, ſenſus, memoriam, cogitationes in illo defixas haberet? vt illi nexu perpetuo conglutinaretur? vt in ipſum quoque ſi poſſibile foret commutaretur? *Per ſapientiam ſuam plumeſcebat hic noſter accipiter, & expandebat alas ſuas ad auſtrum?* *Ad præceptum, eius* ele-

*eleuabatur aquila* mentis ipſius, & *in arduis ponebat nidum ſuum*. Pro- Iob. 39.
pter ſapientiam ſuam Hyacinthus *manebat in præruptis ſilicibus, atque* Alluſio ad Iobi ſẽtẽtiã pulcherrima.
*in inacceſſis rupibus commorabatur*. propter ſapientiam *ille ad Auſtrum*
*charitatis ſempiternæ*, vbi ſempiternis bonis beati omnes fruuntur. e-
uolabat. propter ſapientiam ſuam, ille *in foramina petræ*, *& in cauer-*
*nam maceriæ*, in præruptam Petram, clauis confoſſam, & lancea tranſ-
fixam introibat. Non digitos tantum, non manum dexteram tãtum
vt quidam Thomas, in Chriſti latus mittebat. Non faciem ſolam vt
ſponſa monſtrabat; totus in ſpecũ miro lumine fulgẽtem penetrabat;
ſe totum in immenſa abyſſo bonitatis immergebat; totus in cor Ieſu
pretioſiſſimũ ingrediebatur & illud manibus complectens, oſculaba-
tur; in eius familiaritate atque conſuetudine dies noctesque perſiſtẽs,
ebrietate ſempiterna puriſſimi eius ſanguinis exhilaratus, iucundiſſi-
me viuebat. Si qua illum cura ex ſuauiſſimo complexu auocabat, il-
lud ſemper in ore habebat. *Heu me quia incolatus meus prolongatus eſt,*
*heu me* quia multum incola fuit anima mea. ô me infælicem quia cum
*his qui* oderunt pacem & quietem internam, qui nihil ſapiunt quan-
ta ſit dulcedo in corde Saluatoris conquieſcere, cum his qui exoſum
habent glutinum Diuinitatis, ego habito. Quis me rurſus ſuſtollet ſu-
per altitudinem cœlorum? Quis aduſque ampliſſimum cœli ſolium
deducet? Quis me iterum *funiculo triplici Deo colligabit?* O *quis An-*
*gelus mihi reuoluet lapidem, ab oſtio meæ* requietionis, quam ego in pe-
tra Chriſto meo elegi & excidi? Quis *Iacob amouebit lapidẽ ab ore fon-*
*tis vitæ*; vt laticem ab eo profluentem bibam, & non amplius iſtas cy-
ſternarum putridas aquas expetam? Veniet, veniet tandem aliquis
Iacob, qui mihi venam fontis vitæ aperiet. Puteus *credo altus eſt, in quo*
*hauriam licet non habeo*, me tamen ego per humilitatem deijciam. Hu-
militate mentis, altitudo illa ſublimis contingitur; me humilẽ & man-
ſuetum vbi viderit paſtor ille bonus, extrahet paululũ aquæ & meos
refocillabit ſenſus. Veniet, veniet tandem aliquis ex Beatis Spiritibus;
qui occluſum requiei meæ monumentum reſerabit, me illic introdu-
cet; conſpiciam ego in illo ſingulari noſtræ redemptionis monimento
Sanctum *Sanctorum immortalitatis veſte amictum*, *ſyndonem & faſcias*,
*illic reperiam*. Syndone puritatis, & charitatis meam ego cooperiam
turpitudinem. faſcijs ego pretioſiſſimis meas manus, & meos pedes
conſtringam, me velit nolit Beatiſſimo illi Triumphatori colligabo.
Et quis poſtmodum diſrumpet vincula mea? Quis à ſuauiſſimo con-
greſſu auellet? Quis à charitate Dei ſeparabit? Quis me à Sacratiſ-
ſimo repellet monumento? Non ego milites verebor, non hortulani
alicuius, non peregrini, non dico, peregrinæ rerum creatarum formę

me ab eius contemplatione auocabũnt. Nulla res condita viſibilis,& inuiſibilis,ſit licet Angelus me à meo ſponſo repellet. Hic ego introgreſſus, acriori ſtudio in eius lucem reſpiciam, in eius aſpectu mentis aciem defigam, illi arctiſſimo amicitiæ fœdere memet coniungam. Tali inflammatus ardore Hyacinthus, omnes modos perueſtigabat diligentiſſimè, vt optato connubio potiretur. Carnis motus & deliciæ,in eius animum vi quadam erumpentes, illum à Deo diuellere conabantur? Affligebat ille membrorum vires,vt illam beſtiam immanitate ac diritate teterrimam domaret, vt corporis frangeret impetum, furorem frenaret, rabiem coerceret. Detrahebat quantum poterat de cibo. exiguo victu reficiebat corpus, ſingulis ferijs quibus Dominicæ paſſionis memoria colitur, SS. Virginis & Apoſtolorum vigilijs non à carnibus ſolum, cæteriſq; vetitis epulis abſtinebat, nihil adhibebat obſonij, pane tantum & aqua vitam ægre tolerabat. Vt in eo etiam, quod de Ioſepho Patriarcha ſcriptum recitauimus, uerum ſit. *Diſſoluta ſunt vincula brachiorum & manuum illius, per manus potẽtis Iacob.* Diſſoluta brachia,vires effractæ,corpus debilitatum, domatæ paſſiones feroces, manus ad flagitium procliues colligatæ, & infirmatæ, atque a ſuo impetu ſolutę: ſolutæ a catenis ferreis, quibus ad operandam nequitiam, vitio naturæ trahebantur. Solutæ per manus potentis Iacob; ita enim Hyacinthus cum adiuncto ſibi comite manus conſeruit,tantum vim carni ſuæ intulit,ſic eã ieiunijs & abſtinentia, ſic catenarum vſque ad ſanguinis profuſionem verberibus, quibus ad imitationem Patriarchæ Dominici, eam ſingulis noctibus trina vice penè enecabat,compreſſit, vt neruus femoris ipſius, omnis illa ad peccatum propenſio, inordinati motus, paſſiones effrenes deuictæ,& a ſuo impetu ſolutæ, atque infirmatæ remãſerint. Proſequamur alia. Mundi fallaces vmbræ,& ſpectra illa diuitiarum,honorum, & dignitatum, Hyacinthum ab inexhauſto theſauro auocare nitebantur? Pauperiem ille extremam profeſſus eſt. omnes ille dignitates, omnes honores,diuitias oẽs terrenas nec in affectum inducere potuit oẽs abiecit,calcauit,& in ſolo Deo omne bonũ ſuũ collocauit. Sathanas teter, illum a contẽplatione pulchritudinis immenſæ abſtrahebat? *Iurgati ſunt contra eum infernales exercitus, inuiderunt ei habentes iacula* phalanges,quibus incautos conficiunt in eum quoque ſua tela intorſerunt,vt vitam ſpiritus illi eriperent, & in ſuos retraherent tumulos? Aſt *ſedit in forti arcus eius.* apprehẽdit ille quoq; arma & ſcutum, corripuit ſagitas verbi Dei acutas, eiaculatus eſt contra atroces hoſtes,vulnerauit plurimos ex eis,vicit,proſtrauit. Sine ferro profligauit atque confecit. Vibrabat ille tãquam acutiſſimos quoſdam Di-

Alluſio ad Iacobum luctantem.

uinæ

nimæ doctrinæ gladios; vt clypeum ſic fidem conſtantem Sathanæ telis opponebat; Chriſti memoria quaſi galea munitus, eos adoriebat, lata & inſigni lorica iuſtitiæ protectus, ſtabat & manebat in ſingulari duello; neque vnquam a paleſtra certatoria diſcedebat, quin prius hoſtem in ſuam pernitiem intentum concidiſſet. Quam victoriam reportarit? Non erat me neceſſe dicere, breui tamen perſequar oratione, id quod vobis admirationem, non modicam adferre perſpicio. Boriſthenes latiſſimus fluuius, Polonos a Scythis diſterminans, furibundo impetu multam deportans arenam, non multum a Kijouia, ſatis amplam in medio amne affecerat inſulam. Hanc vt arborum vmbris opacā, & a conſpectibus Dei veri cultorum ſemotam, aſpexit ille qui Diuini honoris oſor, ſuos idolocultus in tenebris inſtituebat; ſuum in ea domicilium collocauit. In qua & portenta monſtrare, & naturæ occulto artificio multa prodigia efficere, & reſponſa dare, & multos fallaci ope iuuare; in sūma diuinos ſibi titulos & honores vſurpabat. Nouam ille religionem quandam inſtituebat, hoſtias ſtatuebat, partim minis atque terroribus, partim pollicitationibus vanis ad ſui cultum ſimplices illos Ruthenos impellebat. Capite ſanxit, ſi quis non ſibi hoſtias imolaret. ſi quis religionis teſtandæ gratia, non in eam inſulam conueniret. Magna multitudo tunc ad idolum dæmoni erectū confluebat, oēs victimas præſcriptas deferebant; alij maiores hoſtias, alij minores ad arā ſtatuebant, rituq; ſolenni mactabant. Eo venerat Dęmonis atrocitas, vt ex condicto, alij ſuos filios & filias imolarent, alij propria viſcera inciderent; alij ſeipſos viuos, væſani & ſtupidi homines, in rogum ardentem conijcerent. In tantum exitium exardeſcebat teter ille ſpiritus, vt omnia illorum, chariſſima quæque, ipſos etiam cū anima & corpore, ferro & flāmis abſumere properaret. Qui edicto nō paruiſſet, ſtatim vel ipſe ſuas vindicabat iniurias, vel Principis & miniſtrorum amentium furorem concitabat, qui acerrimo diræ ſuperſtitionis ſtudio commoti, immanitatem & crudelitatem intolerandā exercebant. Illud malum Hyacintho & acerbiſſimum & maximè luctuoſum, & minimè ferendū videbatur: quamobrem diuinis confiſus præſidijs, atque armis ſpiritualibus munitus, properat Ruſſiam, Kijouiam quæ regionis & idololatriæ caput erat accedit, multos in tenebras diriſſimas coniectos, & in peſtis ſempiternæ regionem detruſos, verbi Dei ſplendore colluſtrauit, monſtra illa quā horribilia forent declarauit: Quiſnam Deus eſſet colendus? quomodo Deus, vt homines turbulentiſſimis erroribus liberaret, è cœlo delapſus ſub humana forma & ſpecie, quam ſibi Diuina ratione copularat mortalibus apparuit? quis Deus terras inuiſit? quis multis

opibus

opibus atque muneribus homines exornauit; breuiter omne quod ad ſalutem attinet, in quo beata vita conſiſtit, quibus adiumentis bona cœleſtia paranda, cœleſtibus diſciplinis inſtruxit. Mox ubi dæmonem idolorum principem in proxima Boriſtenis inſula, ſedem ſuam locaſſe, & iniquos honores ſibi ab uniuerſa gente uſurpaſſe intellexit, Diuino furore percitus è ciuitate exilijt. Non Boriſthenis rapidiſſimos exhorruit uortices, ſicco pede tumentes traiecit undas, in illam Dæmoni dedicatam inſulam impauidus procedit. non horribiles ſathanæ uires expaueſcit, ſed zelo fidei accenſus, idolū ad terrā deiecit, cōminuit, & in fruſta contriuit, Dæmonem ab eo pulſum pedibus concalcatum in fugam uertit. Miramini Ioſiam ſanctum Iſraelis Regem, idola demolientem: Simonis Apoſtoli in cultu dæmonum ſubruendo & in propaganda religione Chriſtiana, zelum ardentiſſimum prædicatis. Hyacinthus Ioſiæ atq; Simonis feruentem zelum æmulatus eſt, Infideles ille ad fidei culturam deducebat ſubuertebat idola, religionis fines longe lateque amplificabat. Miramini Dauidem quod is ſine clamore militū, & ſine tubarū ſono Golyam immanē proſtrauit; ludus fuit atque iocus Dauidis duellum, cum Hyacinthi difficillimo certamine collatum. Non enim hominē aliquem Barbarum atq; ferocem, non gentem quantumuis truculentam, ſed teterrimum draconem, cuius ſitis infinitā, hominū ſtrage expletur deuicit. Miramini Angelum in Apocalypſi de cœlis delabentem, & Sathanam hoſtem antiquum è terris in ſtagnum ardentiſſimum depellentem. Hyacinthus noſter Angeli victoriam aſſecutus eſt; ille Diuinis confirmatus præſidijs, hoſtē cuius furori nullæ uires, niſi Diuino fultæ auxilio, reſiſtere poſſunt, crudeliſſimamq; belluā, quā ne illi quidem ſuperare unquam potuerunt, qui ſuis armis orbem terrarum omnium ſub ditionem poteſtatemque ſuam ſubiecerunt, ſuperauit & ſubiecit. Hyacinthi poteſtate ſubactus Dęmon, in ſpecie hominis in medio fluminis apparens uociferabatur. O infelix Hyacinthe, cur me his locis in pace regnantē deturbaſti; nunc etenim, ait, propter tuam fidem & orationem cogor recedere. Refert hiſtoria, quod ſanctus uir cognoſcens in ſpiritu ipſum fuiſſe Diabolum, iracundia in ipſum exardeſcens, baculo cui nitebatur ſpectrum illud percuſſit, & uſque ad alteram rippam
Deut. 33. ſuper aquas decurrens, uerberibus multis affecit. Moyſes dum filijs Iſraelis ſuas benedictiones diſtribuebat, in Ioſephum eam tulit ſententiam. Cornua Rhinocerotis cornua illius; in ipſis uentilabit Gentes uſque ad terminos terræ. Noſter Hyacinthus cornua quoque ſed uiuificæ crucis geſtabat, & in illis Dæmones, uſque ad terminos fluminum uentilabat, omnes illos qui ipſum a conſortio diuino ſecernere

uolebant in fugam uertebat. Diuinũ cum hominibus conſortium(ut ad priora regrediar) efficit,ſi aliud,magis certè frequẽtiſſimus Sacramẽti Euchariſtię uſus. Qui.n.manducat hunc panẽ,ut dicebat Saluator, in me manet,& ego in eo. Quocirca Hyacintho nihil magis conſuetum fuit, quam cœleſtia frequentare myſteria. Quocunque ille iret, ſemper uel ſacrificium facientes Sacerdotes diligenter & attente audire,uel ſi ipſe poterat, prout ſemper poterat, ipſe ſingulis diebus ſacrificare ſolebat.Qua pietate animi, qua numinis Diuini reuerentia,quibus lachrymis,quo dolore cruciatus & mortis Chriſti, quibus ſingultibus, quanto mentis ardore? facilius uos cogitatione depingere,quam ego uerbis commemorare poſſum. Deplorabat ibi, non ſua tantum ſed & orbis uniuerſi peccata.ibi pro incolumitate multorum, pro Eccleſiæ conſeruatione,pro fidei augmento, principum concordia,inimicorum Crucis Chriſti extirpatione,pro conuerſione infidelium, pro peccatorũ ſalute,pro ſuæ religionis fœliciſſimo incremẽto uotis ardentiſſimis expoſtulabat.Ibi pretioſam illam olim cruentam Dei in cruce pẽdentis hoſtiã, Deo in aſpectum ponebat.Quo tandẽ facilius optatis frueretur,uincla,ſputamina,alapas,flagella,ſpineam coronam,clauos acutos,diram lanceam,acetũ felle permixtum, opprobria,conuitia,*blaſphemias*,dolores,uulnera,uibices,Crucem denique & acerbiſſimam mortem Saluatoris Diuinis aſpectibus præſentabat; & quaſi pro ſuo iure contendebat, ſi Deus pater filium illum tot & tanta perpeſſum agnoſceret: ſi unicum & ſibi coæqualem ſummo amore proſequeretur; ſi olim eum pro generis humani liberatione impiorum telis & morti crudeliſſimæ obtuliſſet, ne tantos illum labores, ne tantàm ignominiam fruſtra ſubijſſe, ne tantum ſanguinis eum profudiſſe,ne mortem in uanum pertuliſſe pateretur.

Orationis & meditationis catena, aiebat Chryſoſtomus, de cœlis ad terras deiecta,de terris ad cœlos homines ſubleuat,& in Diuorum conſortium transfert. Hanc quoq; Hyacinthus familiarem habebat. Præter diuinum nocturnumq; officium, præter omnes precationes ad omnes horas publico ritu decantatas, orationi & contemplationi ſe totum dederat. Nulla præterlabebatur hora diurna & nocturna, qua ille vel poplite flexo,vel mente ad ſublimia eleuata, pias aliquas orationes,ad ſummum maieſtatis ſolium non eiaculaſſet. Nunquam alia re oblectari poterat, quamdiu ſe a colloquio Diuino ſeparatum eſſe videbat. quò magis ad Deum ſupplices iactabat preces, eò magis ac vehementius eius cõſpectu,frui cupiebat. Tanto orandi deſiderio flagrabat, ut naturam ſuam & neceſſitatem ipſam obliuiſci videretur. Noctis tempus quod alij quieti membrorum concedere ſolent, ille oratio-

orationibus dare volebat totas noctes inſomnes, in contemplatione patriæ cœleſtis, & in beatiſſimo illo conſortio inſumebat. Si quando naturæ neceſſitas, laſſum & penè emortuum ſomno languentia mẽbra reficere cogebat; non ille puluinaria, non molles plumas, non ſtratos exquirebat lectos, peregrinum ſe eſſe ratus, in loco ſancto terribili ſuper nudam humum paululum declinabat, & *Iacobi Patriarchæ inſtar, lapidem ſuo ſupponebat capiti*; ne graui ſomno depreſſus, mentem vigilem ad cœleſtia attollere nequiret, leuiſſimum & modicum ille carpebat ſomnum; corpore dormiente, mente vigilabat. Contemplabatur & in ſomnis quoque *ſcbalam illam Cœlos contingentem*; in ſomnis quoque conſpiciebat Deum altiſſimum ſupremo gradui innixum; & cogitatione à corporeis nexibus ſoluta, conſcendebat vſq; ad ſydera, & vſq; ad Deum in throno fulgidiſſimo ſedentem; tunc cum à nullo diſtineretur, ſe totum ad immortalitatis ſcabellum deijciebat. Pedes illos Cherubinorum alis velatos explicabat, amplectebatur. Læuam ſibi manum ſupponi præcabatur, dexteræ quoq; amplexus optabat, tunc in leuiſſimo illo ſomno dulciſſimas carpebat delicias, ex vnione ineffabili cum Deo promanantes. Poſtquam enim Diuini ſpiritus appulſu ad Chriſti ſolium ſe adiunxit, quæ tunc vidit? quænam percepit? quæ mente & ratione complexus eſt? Quid mente pura & caſta perſenſit? Quid ſenſibus intimis expertus eſt? Qua lætitia & voluptate perfuſus? Quam gratiam? qualem ſanctitatem adeptus? Exiſtimo enim nullam vel dignitatem, vel vtilitatem, vel ſuauitatem maiorem Hyacintho cõtingere potuiſſe, quam arctiſſimum illud vinculum; quo puritate, ſapientia, charitate, & oratione, immenſæ maieſtati Diuinitatis coniungebatur. Quod enim fidei ardentiſſimæ multa ſpecimina edidit, quod animi robore inuicto multam Dæmonem ſtragem perfecit, quod clariſſima mentis altitudine in oculis omnium effulſit, vt in eo poterat vitæ cœleſtis ſplẽdor animaduerti, quod probitatis & charitatis, & diligentiæ magnitudine Diuinæq; ſapientiæ ſplendore, Eccleſiæ Septentrionalis religionem tanquam ſuis manibus plantare, & ſuis humeris ſuſtinere viſus eſt. quod labores immenſos pro multorum commodis exantlauit, quod in dies magis, ac magis ſtudio Diuini decoris inflammatus, in ſpeciem illam præcellentiſſimam aciem mentis intenderit, nec unquam ab ea diuerterit. quod Diuinæ conſors naturæ, in cœleſtem hæreditatem vocatus, & ornamentis Diuinis illuſtratus in Deum quendam tranſierit, & non Ioſephum tantum, non zelotem Apoſtolum, non Angelum quoque; ſed Deum ipſum in ſua mente expreſſum retulerit, quod ampliſſimos honeſtatis fructus, *benedictiones cœli deſuper, & benedictiones abyſſi ia-*

Allegoria

*centis deorſum, & benedictiones vberum ſuorum ſpiritualium* receperit. quod *benedictiones Patrum eius in eo confirmatæ fuerint*, quod *in lapidem pretioſum*, & ſanctitate inæſtimabilem, *fuerit egreſſus* in vniuerſa terra credentium. quod *ſit in capite inter fratres ſuos*, quod illum omnes ſui fratres vt probitatis, & totius virtutis integerrimum exemplar, & ſimulachrum, Patrem & protectorem ſuſcipiunt & venerantur. quod in tanta, quanta vix cogitari poteſt, ſanctitate progreſſus faciens, ſeipſo altior excreuerit, & ſuo vertice præalto, altiſſimas mentes attigerit, id totum ex connubio illo fœliciſſimo proceſsit. Vnio illa præcelſa, cum Deo optimo; conſortium illud cum Aſenethe filia ſummi Pontificis; ſubleuatio mea Hiacinthum in eam extulit ſedem, quam omnes quidem expetere, paucisſimi vero conſcendere poſſunt. Religio incrementa Hyacintho miniſtrauit, coaluit, & in eam magnitudinem deduxit, vt ab vniuerſo terrarum orbe, MAXIMI SANCTI nomenclatura nuncupatus ſalutetur. [ Non poſſum hic præterire, iudicium SS. Gregorij XIIII. quod in Hyacinthum, ex ſolius tantum imaginis ipſius aſpectu, cum admiranda pietate protulit. ]

Orator Sereniſsimi Polonorum Regis, imaginem S. Hyacinthi ad viuum expreſſam, Summo illi Antiſtiti, munuſculi loco obtulit. Cõgregaſſet vtinam Deus, in hanc anguſtam ædem, omnes omnium nationum populos, ad Chriſti in terris Vicarij, de Hyacinthi ſanctitate percipiendum edictum. Vos qui adeſtis nunc, arrigite aures, attendite inexſpectatam deuotionem, demiramini humilitatem. Is qui primatum in vniuerſo terrarum orbe obtinebat, ut uidit Hyacinthi imaginem, caput ſuum, ille (cui omnes Reges terræ, cui & Angeli inflectebant uerticem) ad eius ideæ aſpectum aperuit; mox genua, flectens, ſupplex cum lachrymis adorauit; eamq; diutius contemplans, in hęc verba, Diuino actus Spiritu prorupit. VERE SANCTI HOMINIS FACIES EST. Neque etiam ſilentio tegendum puto, communem totius Orbis ſententiam, in Hyacinthum ab vniuerſis Chriſticolis pronunciatam. Quis enim his temporibus, modo vel minimam facinorum Hyacinthi notitiam habeat, illorum magnitudine in ſtuporem conuerſus, non illud idem de Hyacintho profert edictum? quod Sigiſmundus I. Poloniæ rex, in hæc verba reliquit. S. HYACINTHVS egregijs factis & SVPRA HVMANVM CAPTVM, DIVINA QVADAM OPE GESTIS, æternitatẽ meruit. Quis apud florentiſſimã Italiã, virtutes Hyacinthi demiratus & obſtupefactus nõ exclamat *S. Hyacintho è ſtato vn grãdiſſimo Santo?* Quis apud Hiſpanos, Gallos, Portugalos, Germanos, Polonos? Quis apud extremos Indos. Quis apud Garamãtas quoq; illud SS. Clementis de Hyacintho pręclarum elogiũ non habet in ore.

In Bulla Canoniz. Beatus Hyacinthus, virtutum ac miraculorum ſplendore, longe ipſis parentibus præluxit. Beatus Hyacinthus inter ordinis ſui viros ita excelluit, vt propter eximiam eruditionem, cum præclara & inſigni pietate coniunctam, tanquam ardens lucerna, cæteros clariſſimos virtutum ſuarum lumine colluſtraret. Beatus Hyacinthus omnes Theutoniæ & Poloniæ innumerabiles populos, tum verbi Dei prædicatione, tum vitæ ſuæ innocentia in ſui admirationem excitauit. S. Hyacinthus, quam a S. Dominico, tanquam è puriſſimo fonte hauſerat viuendi rationem, eandem ad extremum vſque vitæ diem, ſanctè & religioſe ſeruauit. Hyacintho, ſiue chriſtianę humilitatis ſpecies ante oculos proponatur, nihil erat ſubmiſſius, nihil modeſtius. Siue caſtitatis, ac virginei pudoris imago pulcherrima deſideretur; illo nihil purius, nihil candidius fuit. Si denique veræ in Deum, & proximos charitatis forma exquiratur; charitate illius nihil potuit abſolutius, nihil perfectius exoptari. Quanta porro in caſtigando corpore, atque in ſeruitutem redigendo illius fuerit ſeueritas? ſingulæ noctes indicio fuerūt, quibus ſeſe vſque ad ſanguinis profuſionem affligebat. Qua vero continentia & moderatione in omni victu fuerit? præter ſextas ferias, Beatiſſimæ etiam Dei matris Mariæ virginis, & ſanctorum Apoſtolorum vigiliæ, ad unam omnes declarant, quibus excepto pane & aqua nihil omnino guſtabat. Diuini autem nominis propitiandi tanta cura, tantaque ſolicitudine tenebatur, ut totas noctes in templo, fundendis ad Deum precibus, inſomnis perſæpe conſumeret; & ſi quando inedia, ac ſopore feſſis & cadentibus membris, ſomnum capere cogebatur, aut ſtans lapidi tātum Altaris innixus, aut iacens humi, ſcilicet proſtratus quieſcebat. Et quoniam nihil magis quam otium, homini præſertim religioſo uitandum eſſe ſciebat; idcirco quicquid temporis uacuum illi ab oratione ſupererat, id omne partim colendis ſacris ſtudijs, partim habendis Concionibus, partim confeſsionibus audiendis, partim etiam ægrotis inuiſendis, partim denique Deo & proximis ſeruiendo impendebat. Cuius quidem ſingularem ſuſceptæ uitæ rationem, qua Coelestis potius quàm humanus uir, merito reputabatur, frequens multorum, qui ſe eius precibus & orationi comendabant, ad eum concurſus, atque adeo noua in dies rerum ab eo geſtarum præſtantia, & pleraque miracula, minimè obſcura declarant. Ad hoc igitur ſanctitatis faſtigium, complexus SS. religionis, Hyacinthum euexit, vt omnes omnium nationum populi, ſanctorum Pontificum decreta ſecuti, illum ſuſpiciant & uenerentur, & ſanctiſsimæ uitæ ſummam aſſecutum perfectionem deprædicent. Quæ omnia quo maiora, mirabilioraque uidentur, A.O. hoc nos ue-

hementius

hementius decet, ut uirtutum ipſius diligentiſsimi æmulatores ſimus. Quid enim eſt, quod nos ab eodem uitæ curſu retrahat, uel reuocet? Adoleſcentiam & iuuentutem, adoleſcentes & pueri prætendent? Sed Hyacinthus ut enixus eſt, illum tenere cœpit. Senectutem accuſabunt alij? At Hyacinthus ſeptuageſimum excedens annum, in eo certamine ad mortem uſque perſeuerauit. Imbecillitatem naturæ oſtendent cæteri? At licet nobilis, licet molliter educatus, non retroceſſit Hyacinthus. Dignitatis uelamine ſe obtegent plerique? At quam ſublimis eſt celſitudo, in Deum quendam euadere? quam præclarum, diuino potiri conſotio? quam fauſtum, Regem uniuerſi orbis conſtitui? quam denique iucundum, ſuauiſsimos cum illo ſponſo cœleſti miſcere ſermones? Ad hoc igitur Diuinum connubium contendamus, illud toto mentis niſu exoptemus; fiet enim ut in tabernaculum admirabile Diuinum gradibus & ueſtigijs Hyacinthi introducti, ſingulari ſanctitate & integritate uitæ effulgentes, conſcendamus ad beatam immortalitatis domum, præſtante Ieſu Chriſto Saluatore noſtro, qui cum Hyacintho uiuit fœliciſſimam uitam in ſæcula ſempiterna. Amen.

# CHRISTOPHORI SPLVGAE ORDINIS S. FRANCISCI,

Dialogus inter SS. D. P. Dominici religionem, Sancti Hyacinthi Poloni apud Cæſarauguſtanos feſta celebrantem, & Hoſpitem.

*Hoſpes.* *Dic mihi Religio, cur cingis tempora ſertis?*
*Cui tot carminibus lætaque feſta paras?*
*Religio.* *Aduena quod quæris, poteris cognoſcere recte*
*Si paulo intentus carmina fixa legas.*
*Hoſp.* *Nomen vbique lego (ni fallor) ſcriptum Hyacinthi*
*Cuius & hoc nomen neſcio tale ſiet.*
*Relig.* *Hoſpes amice, quidem rem percontaris apertam*
*Scito quòd noſter, filius iſte fuit.*
*Qui vanis mundi, toto de corde relictis*
*Diuitijs, voluit pauper & eſſe humilis.*
*Perpendens animo Dauidis carmina Regis*
*Dulcia quæ cecinit voce tonante ſua.* Pſal. 84.
*O Pater omnipotens ſuperi regnator olympi*
*Qui mare, qui tellus, ſidera cuncta creas.*
*Fac nos Cælicolis conſórtes vrbe Syonis*
*Ne illa cæleſti deſtituamur ope.*
*Namque dies multis potior mihi millibus vna*
*Vna mihi in tectis lætior hora tuis.*
*In cuius vocem Diuinas flexit hic aures*
*Summe parens tribuens pignora grata ſibi.*
*Et ſua* CLEMENTIS *profecto eſt cognita nobis*
*Iam pietas; ſiquidem talia dona dare*
*Complacuitque ſibi, cui nunc pro munere tanto*
*Quamplures laudes ore referre decet.*

# IN S. HYACINTHVM CONCIO LAVDATORIA SEXTA.

*In qua HYACINTHI præclara quædam facinora diſcutiuntur.*

QVEMADMODVM præpotens ille Deus, mortalium illuſtret & ad ſe conuertat animos, dum apud me peruestigabam, viſionem quandam admirabilem apud Ezechielem Prophetam conſpexi, quæ hanc Ezech. 10 cœleſtem Dei operationem, mihi conſpicuã, aliqua ex parte effecit. [Vidi, & ecce in firmamento, quod erat ſuper Cherubin, quaſi lapis Saphyrus, & quaſi ſpecies ſimilitudinis ſolij, apparuit ſuper ea. Et dixit ad virum, qui indutus erat lineis, & ait. Ingredere in medio rotarum, quæ ſunt ſubtus Cherubin, & imple manum tuam prunis ignis, quæ ſunt inter Cherubin, & effunde ſuper Ciuitatem. ingreſſusq; eſt in conſpectu meo. Cherubin autem ſtabant a dextris domus, cum ingrederetur vir, & nubes impleuit atrium interius. Et eleuata eſt gloria Domini deſuper Cherub, ad limen domus, & repleta eſt domus nube, & atrium repletum eſt ſplendore gloriæ Domini. Et ſonitus alarum Cherubin audiebatur vſque ad atrium exterius, quaſi vox Dei omnipotentis loquentis. Cumq; præcepiſſet viro qui indutus erat lineis, dicens. Sume ignem de medio rotarum, quæ ſunt inter Cherubim; ingreſſus ille ſtetit iuxta rotam. Et extendit Cherub manum de medio Cherubin, ad ignem qui erat inter Cherubin, & ſumpſit & dedit in manus eius, qui indutus erat lineis, qui accipiens egreſſus eſt.] Quinam vir iſte ſit indutus lineis? quid lapis Saphyrus? quid ſolij ſimilitudo? Quæ uolubiles rotæ? Quinam Cherubin? Quod myſterium prunarum? Ad quem vero modum prunis aſperſis, mortalium animas & illuſtret, & ad ſe conuertat, ſumma illa poteſtas? Quænam ratio ſecretorum? Quid conuerſioni cum carbonibus? Qui veſtrum noſſe velit, abſtruſa hæc atq; recondita archana, reuocet primum in memoriam, ſponſam illã cœleſtis Sacerdotis filiam, cuius connubium Sanctiſſimus Hyacinthus expetijt. Dixeram in præcedenti laudatione, Hyacinthum Aſenethã Heliopoleos (quod idẽ eſt quod Ciuitas Solis) Antiſtitis filiam, illam non tantum *meam ſubleuationem* ſed etiam *ignis aſperſionem* in conſortium ſuum deduxiſſe. Aſeneth enim Hebræis, ignis aſperſio eſt Latinis. Illud quoque leuiter attigeram, quod Hyacinthus candore & puri-

puritate mentis immaculata, ad eum modum inter mortales effulſit, vt in eo poterat vitæ cœleſtis ſplendor animaduerti. Attigeram & illud, quod idem Hyacinthus monimẽtum redemptionis noſtræ introgreſſus, vbi in eo ſyndonem clariſſimam (ſiue caſtitatis, ſiue charitatis, ſiue totius decoris ſpiritualis dicas,) reperit, mox ſeipſum in eam inuoluit, & ueſtimento gloriæ indutus, multa ſpecimina virtutis edidit. Demonſtraram poſtmodum, quod Hyacinthus ſeipſo altior factus, in virum tantæ magnitudinis excreuit, ut ab vniuerſo terrarum orbe, MAXIMI SANCTI nomenclatura nuncupatus ſalutetur, atque deprædicetur. Si igitur uirum indutum lineis, in medio rotarum, quæ ſunt ſubtus Cherubin ingredientem, & ardentiſſimas prunas, tum corripientem, tum ſpargẽtem, noſſe deſideratis, Hyacinthus ille eſt; Hyacinthum eſſe & fuiſſe ſcitote. Hyacintho enim ſymbola uiri illius cõgruunt. Hyacinthus ueſte puriſsima totius decoris ſpiritualis, candida & immaculata indutus; Hyacinthus vir eſt ea mentis altitudine ſupra ſe eleuatus, ut uerticem ſanctitatis, inter choros ſupremarum mentium retulerit, atq; plurimos ſanctorum, magnitudine uirtutum præcellens, maximi Sancti titulos promeritus, omnes in ſui uenerationem & laudem excitarit. Hyacinthus ſupra ſe in admirabilem Dei Regnantis aulam elatus, quadrigam fulgentiſsimos radios exerentẽ qua Deus uehitur propius accedebat; nec ad iuga ipſius ſiſtebat pedem, nec alatos Cherubinos tantum, nec miranda illa animalia oculis ante & retro plena, plena & maieſtate, plena omni gloria; nec Thronos ſplendentes, qui triumphanti Imperatori ſupponunt dorſum; nec ornatum indicibilem ſupremi currus Diuini, ille contemplabatur. Pertranſibat & Thronos, & Cherubinos, & Seraphinos, & innumeras Beatorum ſpirituum acies prætergrediebatur, & axes cœleſtes diſpicere dedignabatur; & animalia ſtupenda videre non ſuſtinebat. Introibat in mediũ rotarum, ſub Saphyrino colore corruſcãtem Thronum, ibi pedum SS. Trinitatis uelamine retecto, illos primum exoſculabatur; exoſculatus mirabatur maieſtatẽ illam immenſam, & lumine illo ſuperineffabili ſuam reficiebat mentem, rimabatur ſecreta a ſæculis inaudita, archana illa quæ non licet homini loqui contemplabatur, & ſuſpiciebat. Mox ad igne flammantem aram protendebat manus, & prunis verbi Diuini correptis, quid tum faciebat? Num illas vt Moyſes uorabat? Num ijs exſatiare cupiebat uentrem? An cœleſti flamine ſuas tantum paſſus eſt exuri manus? Neutiquam. Sed poſtquam volam ſuam flammantibus repleuit prunis, poſtquam ab illo Cherubino in terris fulgente, Dominico inquam, cœleſti excultus eſt doctrina, poſtquam e ſupernorum contemplatione, & ex tremenda

da ara in qua omnia ſus deque admiranda reuolutione pertranſeunt, carbones uaſtatores excepit. poſtquam in medio Angelorum ſiue illorum quibuſcum unius anni circulo perfectam aſſecutus eſt diſciplinam, ſiue illorum cum quibus aſsidua mentis attentione in immenſum diuinitatis fulgorem, ſuam inijciebat cogitationem, & beatiſsimo ſplendore collucentem Orbis uniuerſi Principem contemplabatur, Poſtquã in medio Cherubinorum, ad inuiſibiles quadrigæ Diuinæ rotas accedens, ſuas manus ardentiſsimis & ignitis eloquijs repleuiſſet, ardore quodam inflammatus, egreſſus eſt, & cæpit ſemina ignita ubique diſpergere. Factus eſt Deus meus, in meo corde (aiebat ſic cum Hieremia Propheta) quaſi ignis exæſtuans, clauſusq; in oſsib. meis. Et defeci, ferre non ſuſtinens. Ita me adurebat incendium (dicere uoluit) Dei, qui ignis conſumens eſt, ut cum in corde meo ſuſtinere non poſſem; profundere illum ad extra in populos, adactus ſum. Ita inflammatus ſum ignito eloquio Diuino, quod inter cœleſtes axes, ſub Cherubico ſolio Diuinitatis concepi; ita carbones uaſtatorij incendebant meum animum, ut quemadmodum ignem, nemo eſt qui in uola ſua contineat, quin illum non protinus eijciat, ita & ego flagrantiſsima uerbi Dei flamma exuſtus, iam diutius prunas ardentes meo in ſinu concludere nequeo; egrediar neceſſe eſt & diſpergam ſuper aliquam ciuitatem: & non tantum ſuper unam, ſed & ſuper uniuerſum Septẽtrionem. Noui dulciſsimam patriam meam, ob frigidiſsimum peccatorum Boream congelatam eſſe; noui refrigeſcere charitatem in corde multorum; mihi iam incumbit, in gelidum illud clyma inuolare; mei muneris eſt gelu illud liquefacere, mearum erit partium frigida illa corda incendere & exurere. Hier. 20.

Hyacinthus ergo, religioni ſacræ, uoto ſolenni adſtrictus, poſtquam a Patriarcha Dominico, illo inquam Cherubino terreſtri, in Patriam dimiſſus fuit, Diuino ſuccenſus igne, ut Saluator noſter Deus, *ille quoque ignem mittere in terram* quantocius proceſsit. *Exultauit tunc & ille, tanquam alter gygas ad currendam viam* & ſecum reputare cœpit, ne a loco a quo egreſſus fuerat, uſque ad terminos Poloniæ, quos calcare inſtituebat, ullus eſſet *qui ſe abſconderet a calore ipſius*, quique ab eo ardentiſsimis facibus eloquij Diuini, ad amorẽ cœleſtium, non inflammaretur. Venit Friſacum quod Carinthiæ ciuitas eſt, & itineris moleſtia atque laboribus licet defatigatus, tamen ab iniuncto munere, ſeſe continere non potuit: ſuggeſtum in media ciuitate collocatum conſcendit: *illic prunas ardentes verbi Dei ſpargere exorſus* tantum frigida illa corda inflammauit, ut repentè uideres, ſtudio pietati Friſacenſes incenſos, de terrenis cœleſtes euaſiſſe. Omnes prorſus, peccatorum ſuorum

ſuorum ſordes exurere contendebant, alij a contagijs mundi huius ſeſe explicare, alij ſæcularibus reſignare curis, alij diuitias omnes a ſe deijcere, voluptates a ſe præcidere alij, alij cœleſtem inijre viuendi rationem nitebantur; plurimi Hyacintho ampliſſimas facultates proferebant, multo plures ſe illius conſortio adiungere cupiebāt: plerique terras linquere, & ad ſupremas euolare ſedes, totis animis exoptabāt. Erat neceſſum, vt Hyacinthus ſemeſtri ſpacio temporis illic commoratus, locum ampliſſimum, & Eccleſiam ſiue magnitudine ſiue ornatu ædificij inſignem, erigeret; vbi vniuerſi illi qui terram ſpreuiſſent, & ſe ſupra ſe attollentes, cœleſtem Philoſophiam meditari decreuiſſent, Deo famularentur: Cui te ſimilem dixero, ò præclariſſime Hyacinthe? Moyſi cuidam, vel Salomoni? Præcellis. Alicui ex ſupremis ſpiritibus? Eorum munus ſuperaſti. Oeconomiæ noſtræ ſpiritualis architecto? Huius ardorem tuo flagranti animo aſſecutus eſſe, mihi videris. Fruſtra ego Hyacinthum Moyſi, vel Beſeleeli, vel etiam Salomoni æquiparare adnitor. Quantum enim Hyacinthi ædificiū ſublimius & auguſtius eſt, tantum, Moyſen, & Salomonem, & Beſeleelem, Hyacinthus præceſſit. In hoc magnifico templo quod Hyacinthus erexit, non videas licet Archam ex materialibus lignis compactam; reperies tamen archam, ex Diuina & humana natura in vna hypoſtaſi confectam, in qua omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei reconditi, & in qua omnium bonorum ampliſſimæ copiæ repoſitæ ſunt. Non conſpicias hic licet virgam Aaronis florentem; reperies tamen virgulam Ieſſe ex aromatibus myrrhæ & thuris, venuſtiſſimum campi florem progignentem. Non hic tabulæ petreæ digito Dei exaratæ, ſed character ille ſubſtantiæ paternæ, liber intus & extra deſcriptus, volumen clauſum ſigillis ſeptem, quod nemo dignus eſt aperire, præter Agnum immaculatum, qui a dextris maieſtatis Dei conſtitit. Non hic tabernaculum ex tabulis compoſitum, ſed Sacrarium Spiritus ſancti, ex quo immortalitatis & honoris ſempiterni dona proceſſerunt. Non candelabrum aureum, ſed lumina mundi fulgentiſſima, quæ ſanctitatis & doctrinæ clariſsimos radios, longe lateq; ſparſerunt. Non menſa propoſitionis, ſed altare propter Sacratiſsima redemptionis noſtræ Symbola tremendum, cui ſumma cum reuerentia Beatorum ſpirituū innumerabiles exercitus aſsiſtunt. Non hic panes azymi, ſed panis ille viuus de cœlo deſcendens, qui ſuauitate inennarrabili & cœleſtes & terreſtres incolas exſatiat. Non hic Cherubinorum ſimulachra, ſed ipſi Cherubini & Seraphini, & alia Angelorum pulcherrima agmina, Dominum gloriæ velaminibus opertū, poplite flexo adorantes, eiq; canticum iubilationis, demiſſo capite, & voce elata, Sanctus, Sanctus

Antitheſis

ctus, Sanctus Dominus Deus Sabbaoth, alternis choris concinentes. SS. Trinitatis templū quale Cracouię.
In auguſtiſſimo templo quod Hyacinthus erexit, non videas licet nebulam, aut caliginem fumantem; tamen conſpicies ignem charitatis immenſæ, in altiſſima Crucis ara flagrantem; conſpicies & lucem illam, omnes homines in mundum venientes illuſtrantem, conſpicies demum & ipſum Deum ſplendidiſsima luce corruſcum, oculos ſupernarum mentium percellentem. Salomon Rex Iſraelis, maximum illud templum, ſumptibus maximis extruxerat, vt ſummum Auctorem vniuerſitatis rerū, ſummus Pontifex cum Leuitarum cætu, vno ritu cerimoniarum coleret, & hoſtijs innumeris placaret; in templo quod *Friſaci Hyacinthus* erexit nihil tale, quale in legali fieri aduertas; nō enim hic Sacerdotes, lanionum more animalia cædentes, non ſanguine iumentorum omnia reſpergentes, non armos aut pectuſcula attollentes; non hic fumo tecta implentur, non tabie cadauerum omnes parietes conſpurcati, non altaria cadaueribus immundis occupata. Sed offertur hic Agnus ille immaculatus, qui tulit peccata totius mundi, & ea in crucis aram deportauit. Hic incruentum illud, ſed Deo acceptiſſimum ſacrificium, pro vniuerſorum ſalute, Sacerdotes ſtola ſanctitatis amicti conſecrant: Hic ſanguine immaculato filij Dei, animas ſordibus flagitiorum contaminatas aſpergunt. Hic fonte viuifico & maculas omnes abluunt, & ſitim inſatiabilem reſtinguunt. Hic clauibus aureis, portas cœlorum altiſſimas cuiq; aperiunt, & ſingulos, modo velint ſubſequi, ad immortalitatis & ſempiterni gaudij tabernaculum introducunt. In Hyacinthi magnifico templo, ſcaturiunt flumina limpidiſſimæ cœleſtis aquæ; vitam, candorem & pulchritudinem animis afferentes. In Hyacinthi auguſtiſſimo templo, germinant plantæ fœlices, fœlicitiſsimos ſalutis humanæ fructus producentes: quos vbi quis deguſtauerit, omnem ſaporis ſuauitatem perſentiet. Erumpunt in tēplo Hyacinthi odoriferi ſuffitus, ad cœleſte thalamum aſcendentes; & illic quidem immortalium ſpiritum animos oblectantes, hic autem Dæmonum furorem comprimentes atque depellentes. In hoc ſacrato templo, puritatis candido amictu religioſi induti, ad altare beatis etiam mentibus horrendum prouoluti, ſuauiſſimos hymnos Deo decantant; & Angelorum æmulati concentus, totos dies & integras noctes, in laudibus Deo fundendis ſummo cum ardore perſeuerant, nec aliud, quam omnibus diebus in Dei familiaritate & conſuetudine perſiſtere, vota ei ſua deferre, puras manus ad eum leuare, caſtis contingere affectibus, omne ſuum officium ei deuouere exoptant. Tam magnificum igitur templum, cum noſter conſtruxerit Hyacinthus, cedant huic Beſeleeles, cedant Salomones, ce-

dant & ipſi Moyſes; in hoc ædificandi genere, Hyacinthus, facile primas obtinet. in propagando vel etiam conſeruando cultu Diuino; in doctrina cœleſti diſſeminanda, in ignitis eloquijs ſpargendis, nec Beſeleel, neque Salomon, nec Moyſes, Hyacintho comparādus eſt. Hyacinthus enim non expauit ſolium Diuinitatis igneum, ut Moyſes rubum flammantem; non ſtetit a longe, ſed introgreſſus eſt, & totum ſe in fornace illa ardentiſsima immerſit; non veritus eſt vt Salomon Rex, tabernaculum Dei, ignea caligine obumbratum accedere, acceſſit inter medios Cherubinos, & manibus prunas ardentes corripuit; inde egreſſus flammas correptas, vbique exerere & diſpergere cœpit. Ecce pluſquam eſt hic quam Salomon; longe ſanctior Beſeleele, non comparandus Moyſi, auguſti illius tabernaculi Architectori. Sed Hyacinthum hinc abeuntem, & ad ſuam Patriam properantem ſubſequamur. Poſtquam Friſaci innumeros ad meliorem frugem reduxit, non illius tātum ciuitatis anguſtis mænijs, ſuam debere circumcludi famam iudicans, inde recedens verſus Cracouiam properè contendit. Quantam attulerit lætitiam omnibus Polonis eius aduentus? qua exultatione illum exceperit Cracouia? qui concurſus tota vrbe facti ſint? quæ proceſſiones ſolennes, in occurſum ipſius exeuntes? quanta tenuerit omnem Ciuitatem admiratio? quàm humaniter & benignè, tecto atque domo Epiſcopus inuitarit? quo ille gaudio præ cæteris repletus fuerit? ſuperſedeo dicere in præſentia, vos tamen facile conijcere & aſſequi poteſtis. Vbi Cracouiam ingreſſus eſt, quid primum ſibi faciendum putauit Hyacinthus? Quæ conſilia inijt? quid inprimis molitus eſt? Num a Rege importunis & iniuſtis precibus contendit, presbyteri S. Trinitatis vt a ſuo domicilio, per ſummum ſcelus eijcerentur? Num alicuius monaſterij ſepta inuaſit? ſeque in locum aliorum religioſorum intruſit? Poſtquam ab vniuerſa populi multitudine, lubenti animo ei oblata eſt Eccleſia parochialis, Num pauperes ſuo loco circumuicinos domibus pepulit? An pecunias ingentes coaceruatus, eorum poſſeſſiones pecunia numerata occupauit? Num arces quaſdam erigere cœpit? An Reip. arduis negotijs ſe immiſcere? An per domos Principū volitare, huic neſcio quidnā inſuſurare, alterū cōtra alterū concitare, matrimonia ſtabilire, pacē vniuerſi Regni interturbare, nouos ritus introducere, Regis lateri aſſidere, & omnia quæ ad ampliſſimi imperij moderationem ſpectant ad aures muſſitare? breuiter, Num a ſæcularibus curis, contra Pauli præſcriptum, contra religionis inſtituta, contra ſtatum illorum qui ſe totos Diuinis mandatis dedicarunt; Num a ſæcularibus curis dico, initia religionis orſus eſt? Neutiquam. Viderat Romæ, Sanctæ Sabinæ Conuentum, ædificij

quidem humilitate anguſtum & obſcurũ, pietatis tamen cultu longe illuſtriſs.atq; ampliſſimũ? Probè tenebat ſanctũ Patriarchã Dominicũ, non amplas facultates hominum, ſed ipſos homines eorumque ſalutem ſummo ſtudio quæſijſſe: Nouerat parentem religioſiſsimum, mundo perfectè vale dixiſſe, eiuſq; curarum moles, honores, dignitates, faſtum & præſumptuoſam gubernandi ſubdolam rationem, a ſuis humeris abieciſſe; ſeq; ab omnibus ſæcularibus explicatum, eã obrẽ clauſtris monaſterij abdidiſſe: quo ſupra mundum elatus, cœleſtia ſolum tractaret, ea dies & noctes meditaretur, propter illa ſolum illuſtris haberetur, illorum occaſione nomen ſuum longe lateque diuulgaret, atque ad illorum cupidinem plurimos alios, tum exemplo, tum verbo incitaret. Ferunt veterum annales, Themiſtoclem inclytum Athenienſium Principem, adeo inflammatum eſſe ad gloriam, adeoque rerum maximarum appetitione honoris cupidum extitiſſe, vt quo tempore ſuperatis in Marathone Barbaris, Miltiadis Ducis gloria celebrata eſt, iuuenis adhuc cum ad ſe rediens diutius omnia volutaret animo, & nocturnis vigilijs indulſiſſet, & conſueta conuiuia repudiaſſet. Rogantibus vero admirantibuſque eius vitæ mutationem, reſpondiſſe dicitur. Miltiadis trophæum, ſibi ſomnos adimere. Itidem Hyacinthus noſter præclarè effecit: Dominicum ille ſemper in animo ſuo voluebat; quibus geſtis, quave ratione nunquam intermorituram ſibi gloriam pepererit, quemadmodum aliorum ſibi conciliarit amorem, quibus artibus ſanctitatis nomen compararit, quæ initia religioſo inſtituto dederit; hæc omnia adamuſſim Hyacinthus perpendens, nihil potius, nihil præclarius, nihil dignius facere ſe poſſe arbitrabatur, quam iiſdem veſtigijs ad immortalitatẽ tranſcendere, ea religioni ſacratæ initia dare, iiſdem artibus quibus Dominicus & ſanctitatem internam, & diuinum amorem, & beneuolentiam mortalium, ſibi comparare. Dominici, aiebat, illuſtria facta, mihi ſomnum adimunt, vt neque lecto decumbere, nec in pedes conſiſtere, ne quicquam cogitare poſſim, ſi non video excellentem Dominici virtutem me eſſe aſſecutum. Contendite nunc Hyacinthi memorabilia facta, cum Dominici inſignibus geſtis comparare, huius iuſtitiæ ſplendorem, cum illius ſanctitate illuſtri; huius paupertatem ſpiritus, cum illius contemptione mundi: huius ardorem Diuinum, cum illius deſiderio cœleſti; huius demiſſionem animi admirandam, cum illius inaudita modeſtia; Dominicum quidem exemplum ſanctiſſimæ vitæ reliquiſſe, Hyacinthum autem illud ſtudioſiſſimè arripuiſſe: diceris & Hyacinthum in Dominico, & Dominicum in Hyacintho reſplenduiſſe; & ambos omnium gentium literis atque linguis celebrandos eſſe,

SS. Dominici & Hyacinthi comparatio.

quod vterque id fecerit,quod antea & poſtmodum vel pauciſſimi,vel nulli fecerunt. Dominicus pulchritudine virtutis captus,honoribus & facultatibus, omnibuſque rebus humanis nuntium ſemel remittens, eas ſemper a ſeptis monaſterij profligauit: ſecutus eſt Hyacinthus eiuſdem virtutis amore incenſus; vbi ſemel omnia mundana lubenti abiecit animo; vbi delicias reſpuit, calcauit honores,omnia quæ iucunda ſunt faſtidiēs,omnibus cum voluptatibus corporis bellum gerere, vbi omnia fluxa & vana commertia atque negotia reijcere inſtituit: his omnibus clauſtra monaſterij occluſit. Non amplius corrumpebatur caducarum rerum blandimentis,non defluebat mollitia,non liqueſcebat delicijs, non faſtu eleuabatur, non mundum voluebat, nulla honorū ambitione ducebatur,non zelo ut vocant Reipub.conſeruandæ ardebat, ſed virtutis deſiderio inflammatus, contentiones grauiſſimas quidem,ſed non pro STATV, ſed pro animarum ſalute ſuſcipere;multis magniſque in laboribus, ſed non pro gubernando regno,ſed pro amplificanda religione,ſe exercere;contento curſu non pro nouo Rege eligendo, ſed pro vita renouanda hinc & inde petere;acerrimo ſtudio, non matrimonia, ſed virginitatis candorem; non turbationes Principum,ſed pacem & concordiam;non piam aliquam vſuram,ſed liberalitatem,ſed miſericordiam in paupertate depreſſos, non quippiam ſæculare,ſed omnia ſpiritualia animis ſuorum ingenerare optabat. Nihil ille gratius quicquam habebat;quam intra ſepta monaſterij cum religioſiſſimis fratribus verſari, vna de rebus cæleſtibus fabulari,vna cibum capere, vna viuere, vna præcari, vna mundo ſeipſos & mundum ſibijpſis cruci ſuffigere. O beatos illos quibus omnia quæ hominibus magna, illis vero nihil, & ſomnia delirantium & vmbrarum effigies inanes eſſe videntur. O fœlices homines quibus mundus crucifixus eſt,& ipſi mundo: O fortunatos; qui prorſus a ſe remouerunt omnia, quæ animorū ſtudium,a cœleſti ſapientia vel retardare vel retrahere poſſunt. Dominicus (ad priorem contentionem reuertor) ſanctæ Sabinæ locum, non ædificiorum ſtructura,ſed pietatis cultu pulcherrimum efficere niſus eſt. niſus eſt & Hyacinthus ſanctæ Trinitatis Conuentum,non mœnibus elatum,non incruſtatis lapidibus,non depictis laquearibus,non parietibus artificioſe exſculptis, ſed iuſtitiæ ſplendore corruſcum efficere. Aſpiciebant tunc homines, non hominem,ſed vnum quendam ex ſupremis ſpiritibus, in templo ſacroſanctæ Triadi conſecrato verſari. Suſpicabantur comitem illum in Diuinam illam, maieſtate ineffabili impletā ædem admiſſum *quendam Seraphinum* non mortalem fore,qui vitæ caſtimonia,morum integritate,veræ virtutis ſtudio,& ſapientiæ cœleſtis amplitudine,clarius

Alluſio ad Iſaiæ viſionem in 6.c.

aſtris fulgorem quendam admirandum, per totam vrbem diffundebat, & auguſtiſſimum illud templum, magnitudine virtutum *vt pulcherrimis quibuſdam alis* exornabat, & *iiſdem virtutum alis, Deum iratum, in ſublimi ſolio ſedentem protegebat*, & quandoque *obuelatos Dei pedes*, ſecreta ſcilicet redemptionis noſtræ reuelabat, & ipſe ſpiritu Diuino nixus, ad dignitatem atque amplitudinem gloriæ cæleſtis enitebatur, & alta quadam animi contemplatione, defixos in clariſſima luce oculos habebat, & Deo opt. dies noctéſque famulabatur, & *duabus alis tum faciem, tum pedes Diuinos*, contemplationem videlicet in Diuinam mentem, actionem autem in terris poſitos Dei pedes, egentes videlicet protendebat, & Deo hymnos ſuauiſſimos concinebat, & proximis beneficia ſalutis ſedulo impendebat. Videbant tunc Sacratum illud templum, non fumo ſed odoramentis orationum repleri; non veſtimentis vmbratilibus, ſed candido puritatis religioſorum amictu exornari. In eo.n. mira religio vigebat: in eo Hyacinthus ineffabili pulchritudine effulgens, aīos omniū perſtringebat; in eo numen Diuinū ppetuo verſabatur; in illa domo Deus ſanctiſſimè colebatur; a diuino complexu nunquam diuellebantur religioſi; in illa cor perculſum & abiectum, & ad dedecoris admiſſi deteſtationem acriter iucitatum omnes offerebant; in illa vitam omnem, omnes cum Hyacintho in iuſtitiæ ſtudium conferebant; in illa animum incenſum Diuino amore, Diuinæque pulchritudinis & bonitatis ſpecie inflammatum Deo vouebant; in illa inſtaurabat Hyacinthus, ne vnquam ritus religionis ſanctiſſimæ in terra deficeret, ſed vt in ea ſumma veritas, & ſanctitas, non fucata eluceret. O fœliciſſimum templum, tali Seraphino adornatum. O beatā Ciuitatē, quę tantā pulchritudinē ex Hyacintho obtinuerat. O fœlices vos nouos Iſaias, qui non vmbratiles, ſed veros nouos Seraphinos, in ſacroſancto Trinitatis tēplo, ſpecioſiſſimas virtutū plumas dilatantes aſpexiſtis. S. Dominicus, præſidijs diuinis potius quā humanis, religionis fines amplificauit; amplificauit & Hyacinthus religionis fines, non humanis ſed Diuinis potius præſidijs. Poſſem hic exponere quam grauibus verbis, quam ſapientibus ſententijs, quanta contentione animi cum hominibus agebat, vt eos a lethali flagitiorum veterno excitare, atque ad contemptum rerum mortalium pellicere poſſet. memorare poſſem quo tonatu atque artificio eos hortabatur, vt terrenis ſpretis, ſe Chriſto fideliſſimos & caſtiſſimos exhiberēt: ignita illa verba, quibus animos ſingulorum, ad amorem imortalium bonorum incendebat poſſem repetere. hæc enim omnia & dici ornatiſſime & iucundiſſimè audiri potuiſſent. Illa tantum in medium adducam, quæ primo in Dominico expreſſa, Hyacinthus proximè inſecutus

ſecutus

ſecutus eſt. Plurimi Cracouienſium ſanctitate admiranda ipſius permoti plurimas & ampliſſimas facultates Hyacintho proferebant. Inexhauſtos redditus non pollicebantur quidem, ſed vltro ad pedes Sancti viri deijciebant; ingentem aream pro Monaſterio ædificando multis deiectis circum adiacentibus ædiculis, coemere volebant. Quid tum ille? Num pecunijs illectus eſt? Num mercatum inijt? An aliquas vicinorum ædes coemit? Et quidni? dicet quiſpiam veſtrum. Quis enim eſt qui auri non capiatur amore? Quid vero auri ſacra fames, in homine non efficit? Sed eſto, hanc auaram cupidinem Hyacinthus a ſuo pepulit corde, Quidni reciperet, amplas facultates, vbi vidit familiam religioſorum, pauperie preſſam eſſe extrema? An forte non præſciebat futuris temporibus euenire, vt ardētiſsimus ille amor frigeſceret, in cordibus multorum? Num poſteriorum temporum, neceſſariam fratrum egeſtatem non proſpexit? Proſpexit equidem, at non in bona terrena vnquam exarſit. Audite, audite inſignem viri pauperiem; & pecunias oblatas ille calcauit, & amplas facultates vltro conceſſas repudiauit. Vereor, aiebat, ſi religio mihi opes parere incipiat, ne filia (quod in nonnullos, quidam Flandrenſis vſurpare ſolebat dicens. Religio eis opes peperit, ſed verendum eſt, ne filia ſuffocet matrem) quandoque internecione turpiſsima ſupprimat matrem. Vereor ne a parente meo, vel in hoc deſciſcam. Pauper ille pauperem Chriſtum ſubſequitur. Beatum me ego cenſebo, ſi vtrumque pauperem, pauper ego inſequi merear. Beatū prædicabat Eccleſiaſticus, virū qui poſt aurū non abijt, nec ſperauit, in pecuniæ theſauris. Quis igitur non beatiſſimm fore Hyacinthum enunciabit, qui neque poſt aurum abijt vt illud coaceruaret, ſed & ab alijs coaceruatum ſibique oblatum reiecit? Beatum dicunt omnes Dominicum, quod in pauperie religionē peperit, & vſque ad extremos fines terræ eā paupertate propagarit, & ꝓ tot myriadas annorū, eandē paupertate refouit, & intactā cōſeruauit; & ꝓpter paupertatē eandē illuſtriſsimam atque ab orbe vniuerſo ſuſpiciendam effecit: fœlicem quoque iudico Hyacinthnm, qui eandem a Dominico prognatam religionem, eodem paupertatis ſqualore, & dilatauit, & illuſtrauit, & integerrimmam conſeruauit. Magnūm eſt hoc & inſigne facinus animi excelſi, accipite aliud eximiæ charitatis in propaganda religione, nihilo ſuperiore leuius. Tanta inerat ei comitas, atque ad omnia ingenij dexteritas, vt facile diuerſis contrarijſque hominum moribus ſeſe accommodaret. Ceu Chamæleon quidam, quem aiunt albedine tantum excepta, ad omnes colores ſuſcipiendos eſſe aptum natura, ſic & ille amore quodam incredibili, dexteritatem ingenij eius adiuuante, ſi quem pro ſuis flagitijs plorantem videbat,

debat, lachrymas ſimul vberrimas fundebat. Si alterum erga ſe ſeuerum & circa alios placidum conſpiciebat, beneuolum ſimul alijs, ſeipſum ſibi auſterum & grauem præbebat. Si alium alio quopiam uel honeſto ſtudio, uel ob honeſtum ſtudium paſsione permotum aduertebat, ijsdem afficiebatur & ipſe rebus. Contendebat aliquis ad immortalitatem? comitem ſe ei exhibebat. Errabat alter, nec uiam ueritatis inquirere poterat? magiſtri & Ductoris officio Hyacinthus fungebatur. Dabat utilia & ſalutaria cōſilia, nullū laborē, nullū certamen recuſabat, modo unus aliquis emergeret e tenebroſo peccatorum carcere, & ueram lucem aſpiciens, ſe ad bonam frugem reciperet. Hos monebat, illos obiurgabat. hos obſecrabat, illos duriſsimè corrigebat. Hos qui in luctu & mœrore iacebant ſolabatur, illorū animis ſapientiſſima oratione medicinam faciebat. illis pupillis parentem, his viduis præſidium, illis miſeris perfugium, portum iactatis, deſperatis ſolatiū, patrem pauperibus ſe exhibebat. Nemo erat qui optatum quiddam ab eo non obtineret, nullus qui vacuis manibus, vel aīo deiecto ab eo recederet. Segetes grandine quaſſatas, non ſine graui anxietate corā illo explicabat aliqua Clementia? Multitudo virorum, ac mulierum ad pedes ipſius ſe proſternens, egeſtatem futuram ob annonam turbine euulſam, vel percuſſam deplorabat? Beatus Hyacinthus, vt refert hiſtoria, matronæ illius & ſubiectæ multitudinis permotus lachrymis, ipſe ex intimo corde collachrymans, eos conſolatur. Aequanimiores eſtote filij chariſſimi, aiebat, & cum patientia ſuſtinete tentationem, & tribulationem veſtram. Pater enim miſericordiarū Deus, qui poſt tribulationem peccata remittens conſolationem inducit, cōſolabitur uos. Nec tantum verbis ad patientiam inducebat, verum & in orationem proſtratus pro tribulatis, & afflictis coram Deo totus effuſus, cum lachrymis poſtulabat & agros ſegetibus pulcherrimis refertos, plorantibus reddebat. Fœlicia aliqua, lamentatili voce, deſideratam prolem a Hyacintho ſibi impetrari poſtulabat? Ad eius preces vir ſanctus ſuſpiria & lachrymas emittens, ualdeque ei compatiens dicebat. Vade filia Fœlicia in domum tuam, fideique & ſpei in Deum hæres, filio donaberis; ecce enim paries talem natum, ex cuius genealogia & poſteritate plures Epiſcopi & Nobiles generabuntur. Aliquis Prandotha matrem ſuam paralili oppreſſam, ad Hyacinthum adducens, tales pro ea obſecrationes orabat? O fœlix Hyacinthe, ecce filiam tuam matrem meam, ad te adduxi, quæ nec loqui, nec vllum uerbum formare poteſt. quare te obſecro, ut eam per tuam interceſſionem adiuues. illico ſupplicem orationem Deo offerens paraliticos ſoluebat dicens. Filia mea Iudha, Dominus Ieſus Chriſtus liberet

Hyacinthi charitas.

beret

beret te ab hac infirmitate, & reſtituat tibi modulos loquelæ. Sine mora, ad uocē illius diſrumpebatur vinculum linguæ paraliticorum, qui incipiebāt diſertè loqui, benedicentes Deum talia patrantem per Sanctos ſuos. Aliqua alia nobilis matrona, cæcis natis filiolis uiſum reſtitui ab eo obteſtabatur? Subſiſtebat a cæpto itinere ſanctus Dei, & lachrymis obſuſus, ex intimo affectu Deum benedictum per interceſſionem glorioſæ Virginis Mariæ deprecabatur, ut cæcorum illorū miſereretur. Statimq; completa mentali oratione, accedebat utrumque puerū, & ſigno facto crucis ſuper oculos amborum orabat. Dominus noſter Ieſus Chriſtus natus ex Virgine, qui cæcum illuminauit, ipſe uobis beneficium oculorum impendat. Mira res., vix uerba finiebat, & ecce in locis ubi nullum oculorum veſtigium natū fuerat, oculi creabantur, & cæci nati lumine donabantur. Ingens erat multitudo aliorum, voluntates uariæ, ſtudia diſſimilia, neceſſitates diuerſæ; alius aliud petebat; mihi hoc beneficij gratiæq; cauſa concede, mei capitis dolorem ſubleua, claudū illum in pedes erige, a febribus meam vxorem libera, a meo filio aqueum humorem depelle, illi miſeræ & morbis diuexatæ ſubueni, illum ægrotum impera curari. Omnibus ille pro re, pro perſonis, pro neceſſitate, mira charitate reſpōdebat. in eoq; vehementer laborabat, & facile oratione conſequebatur, ut omnes à ſe Diuinis muneribus auctos dimitteret. Veniebat deniq; ad quemlibet in extremis conſtitutum; iam iam animam ſpirantem a corpore exire prohibebat, & manuum impoſitione & a grauiſſimo morbo, & ab imminente morte, ad miraculum cunctis ſtupentibus reſtituebat ad vitam. Conueniebat illum poſtmodum, vel Flauislaua, vel quæpiā alia Przybyſlauia, filios ſuos vndis tumentibus ſubmerſos deplorantes, atq; Sanctum ut eis natos extinctos uitæ redderet, cum eiulatibus multis obteſtantes. Arduam licet rem peterent, ille tamen ſtatim miſericordia motus lachrymas fundebat; & oratione ad Deum porrecta, orbitatem matrum, uita filijs recuperata ſolabatur. illico mortuos adibat, & a morte implacabili defunctos abripiebat; præcipiebat uni. Petre, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cuius gloriam ego prædico, per interceſſionem Beatæ Virginis Mariæ, reſtituat te uitæ priſtinæ. Alterum compellebat. Fili Viſlae, Dominus Ieſus Chriſtus, cui omnia uiuunt, ipſe te uiuificet. illico adoleſcētes demortui, è faucibus mortis proſiliebant, Deum ſummis laudibus celebrantes. Quid hic primum mirer? Poteſtatem? an uero charitatem? Potentia quidem ampliſſima eſt, amplisſima & miſericordia, illa admirabilis & ſuſpicienda, hæc ab uniuerſis complectenda. Cuperem ſanè, Chryſoſtomi cuiuſdam uel Baſilij poſsidere linguam, ut ſi non comprehendere, ſaltem

tem narrare poſſem, quæ ſublimitas potentiæ, quæ charitatis flam ma Hyacinthum admirandum effecit. Cum enim hæc duo, animo ac memoria repeto, tantam dignitatem, eamq; magnitudinem in eis perſpicio, ut ſupra conſuetudinem, ſupra naturam, ſupra mortalium poſſe, quod vix in ſummis viris. Quid dico ſummos? Quod vix in vllis viſa ſunt, in Hyacintho fuiſſe aduerto. Magnum fuit illud miſericordiæ opus, quod Helias vates patraſſe, in ſacra ſcriptura dicitur. Sub tempus Achabi ſceleſti, dum cœlum eſſet clauſum tribus annis, ta nta erat ſiccitas agrorum Iſraelis, ut & frumenta naſci non poſſent, & homines ac iumenta ſiti miſerabiliter ſtrangularentur, & fierent paſſim pernicioſiſſimi morbi, & tanta fames ob caritatem rei frumentariæ cõſecuta eſt, quod matres filijs ſuis, ſuam ingluuiem explere adigerentur. Helias qui eius pœnæ auctor extiterat, commiſeratione motus, nunc viduæ lecythum olei & farinam augebat, nunc cœlum aperiens, optatam pluuiam ſitibundis, & fertilitatem annonæ famelicis miniſtrabat. Simile quiddam, imo maius, noſter Hyacinthus perpetrauit. Non enim neceſſe habebat cœlorum portas perfringere, non grauidas aquis nubes, è profunda abyſſo educere; nõ pluuias ingentes ſuper terram diſtillare. oratione ſola præuia nouam produxit meſſem. Et Helias quidem fertilitatem miniſtrabat, ordine tamen naturæ ſeruato. Non enim eam ob rem tantum quod cœlos diduxit, quodq; pluuia copioſa irrigauit agros, illi ſegettem innumeram protulerunt: oportebat & terram aratris proſcindere, & ſemine iacto grauidã reddere. ob hanc enim & illam cauſam fœcundata, annonam germinauit. Hyacinthus uero, non iubet agricolis, terram vt aratro ſcindant, non præcipit, ut nouo ſemine conſerant agros; verbo prolato & proſtratas ſpicas in culmos erigit, & quaſſatas ſegetes in primum reſtituit ſtatũ, & nouas fruges, nouo & inſolito modo, è terræ gremio producit. quò declararet ſibi nihil eſſe antiquius, quam eſſe pauperum altorem beneficum, quam ab omni ſpe derelictorum conſeruatorem. Magna illa ſunt pietatis ſpecimina, inſigniaque charitatis & potentiæ facta, quæ edidit Dominicus: non minora quæ Hyacinthus ipſius aſſecla. Quantum enim poterat ingenio & induſtria, quantum charitate & poteſtate perficere, quantum viribus & labore contendere, tantum faciebat, ut omnes ætates, omnes ſexus, maxima etiam neceſſitate affectos adiuuaret. Prætereo hic multa quæ de Beato viro prædicantur; non enim tantum eſt in me ingenij, neque ſi eſſet, magnitudinem eorum conſequi poſſem; neq; ſi poſſem, uobis grauis & moleſtus eſſe vellem in eis recenſendis. illud tantum, concludens hanc partem, breuiter perſtringam. Quod non temerè, noſter Hyacinthus Ioſephi vel Aſ- Deut. 33.

Aſſeris benedictio. ſeris Patriarchæ charactere inſignitus eſt. Ioſephi enim inſtar, famelicos annona multiplicata refecit: Aſſeris autem ad modum, pedes intinctos oleo habuit. Sic enim Aſſeri Moyſes benedicit. *Benedictus in filijs Aſſer, ſit placens fratribus ſuis, & tingat in oleo pedem ſuum. Ferrum & æs calceamentum eius. Sicut dies iuuentutis tuæ, ita & ſenectus tua. Aſcenſor cœli auxiliator tuus. Magnificentia eius diſcurrunt nubes, habitaculum eius ſurſum, & ſubter brachia ſempiterna eijciet a facie ſua inimicum, dicetq; . Contere.* An hæc omnia in Hyacinthum quadrent, non multum mihi laborandum eſt, in eo demonſtrando. Aſſer *Placidum & beneuolum, ſe omnibus ſuis fratribus exhibebat.* Quid vero Hyacinthus? Non affabilem, non miſericordem ſe vniuerſis oſtendit? Oſtendit plane. Nulla erat natura, tam aſpera, tam difficilis, tam ab humanitate aliena quam non ſibi beneuolam redderet. Nullus erat cui placere non cuperet. *Aſſer oleo intinxerat pedes ſuos.* Quid autem Hyacinthus? Num & ipſe pedes ſuos oleo non madefecit? Glorientur alij, ſe ſuos pedes butyro lauiſſe; Hyacinthus ſuos, oleo miſericordiæ perunxit. Quo ille ſe vertebat, quacunque conſtiterat, quicquid moliebatur, ſempiterno quaſi riuulo oleum miſericordiæ ex ipſius veſtigijs effluebat. *Ferro & ære licet pedes ſuos calceabat*, licet ſibi ipſi inexorabilis & ſeuerus, alijs tamen lenis & benignus eſſe ſtudebat. *Ferro & ære poſtmodum pedes ſuos calceabat*, ſiue quod ardua & difficilia pro ſalute multorum, ſiue quod forti & inuicto animo omnia illa ſubibat. Non ille ignes inferni metuebat, & de inferioribus quoque partibus animas mortuorum eripiebat. Non ingluuiem mortis verebatur; de faucibus ſiquidem ipſius mortuos extrahebat. Non Sathanæ, non mundi potentiam, non totius naturæ conſpirationem pauebat; ſi contra Sathanam, contra mundum, contra naturam quoque ipſam, pro cuiuſq; liberatione pugnandum erat, magno animo negotium ſuſcipiebat. *Magnificentia ſua diſcurrebat per nubes*; tranſcendebat ad illud habitaculum ſupernum, *Subter brachia illa ſempiterna Diuina eleuabatur; & quia aſcenſor cœli auxiliabatur ei, eijciebat a facie ſua inimicos; dicebat ſingulis. Contere.* Mundi aſtus deprehenſos deludebat, Sathanæ impetum comprimebat, effringebat vires, iura inferni violabat, chyrographa diſrumpebat. Quod ſi & natura ſeſe opponeret, hanc ille pedibus ſuis ferro candenti, ignea. ſ. fortitudine calceatis calcabat. dicebat naturæ. Contere. Tu audebis potentiæ Diuinæ temet obijcere? Tu legibus altiſſimi reſiſtere perges? Tu voluntatem Dei firmam & immobilem perfringere tentabis? Lubet adhuc diligentius ferrea calceamenta Hyacinthi contemplari. Pul

Alluſio ad Iobi dictū

Cant. 7. cherrimos ſponſæ ſuæ greſſus, aiebat ſponſus, dum illa calceata corio

ince-

inccedebat. *Quam pulcbri ſunt, in*quit, *greſſus tui in calceamentis filia Principis?* Quis (volebat dicere)ingreſſus tui venuſtatem,o filia Prin cipis,& calceamentorum quibus induta ingrederis ornamenta,poterit dicendo explicare? Quis mortificationẽ (calceamenta enim quia ex mortuorum animalium pellibus conficiuntur,mortificationem carnis noſtræ deſignant,qua illa ac calceamento quodam circumdata, & ſcrupulos peccatorum euitare, & inoffenſo pede ad cœleſtem patriam conſcendere poteſt) carnis tuæ, poterit celebrando commemorare? Tam auſtera viſa illi fuit,ſponſæ ſuæ mortificatio,ut nec uerba, nec ſententias, ſe poſſe inuenire teſtaretur, quibus illam ſatis digne prædicaret. Quid ſi videmus Hyacinthum, non Hyacintho ſolum, ſed & ferro calceatum? Quid ſi Hyacinthus, non loris ſed cathenis ferreis corpus ſuum inuoluebat, atq; caſtigabat? ſponſa enim corio hic ferro; ſponſa communi forſan modo, Hyacinthus inuſitato mortificabat membra. Illa virgis forte vel funiculis,hic catenis ferreis,noctibus ſingulis ſuum conficiebat corpus. Quid igitur dicemus, ubi conſpicimus Hyacinthi pedes ferro eſſe calceatos? Cuius oratio narrabit? Quis ſenſu percipiet, admirandam illam pedum Hyacinthi venuſtatem,ex ferrea diſciplina reſultantem? Caſtigatio corporis, fiat licet non adeo ſeuera,pulchritudine tamen mirifica exornat animam. reprimit enim corporis libidines,tuetur & cuſtodit caſtitatem, auocat mentem a curis uiliſſimis fluxarum rerum,ad Diuinas & æternas contemplandas conuertit,diminuit de onere quo illa deprimitur ad terras,auget curſus in ſempiternam illam domum celeritatem,magnifice ſentientes & loquentes de ſe compeſcit, ſubmiſſe ſe gerentes & ſui cognoſcentes excitat, ſuperbiam & contumaciam contundit, alit animi ſubmiſſionem & modeſtiam, ſatisfacit Deo de peccatis & maleficijs admiſſis,in poſterum ne plura committantur obſtat;offenſionem illius magni patris ſi quam habemus,delet; ſi quam timemus vitat. mentis ſordes eluit;ſtultam & ſcurilem loquacitatem repudiat; ſobriam & moderatam orationem ſemper amplectitur;in ſumma,omnium vitiorum fluctus a noſtra pernicie depellit, actus ſpecioſiſſimo ornatu, virtutum condecorat; Si igitur caſtigatio corporis, non adeo ſeuera,tantorum bonorum cauſa exiſtit. quorum erit, fons & origo tantopere ſeuera,vt Hyacinthi? Si loris & corio ſubigens corpus ſuũ indicibilem aſſequitur pulchritudinem; ferro & nodoſis funiculis,ſanguinis riuos quaſi è fonte corporis extorquens, quam obtinebit? Si corio calceata fœmina ſpecioſiſſima apparet, *Quam ſpecioſi erunt pedes tui o Hyacinthe in calciamentis ferreis.* Quam pulchrę erunt plantæ tuæ,roſeo cruore delineatæ? Quam venuſti erunt greſſus tui, o Hyacinthe

Mortificatio Hyacinthi.



cinthe

cinthe in calceamentis æreis ? Splendidi utiq; & effulgentes. Hos enim Sathanas diuturno tempore obſeruans,nec morſu appetere,neç muſcipula illaqueare potuit. eiecit ille a facie ſua inimicum atrocem, dixit. Contererę truculenta beſtia. *Super aſpidem & baſiliſcum ambulauit,& conculcauit leonem & draconem.* Hos pedes Hyacinthi ferro edomitos,dicam calceatos,non lutum mortiferum,non ſordes quotidianæ deturpare poterant ; immaculatos,impollutosq; illos ſemper ſeruauit. Hos pedes,non aliquid corporeum remorari quibat. Ferro ille ſe de terris ad ſydera ſubleuabat. Cœlum ſemper ſpectabat,Chriſti meritis innixus,ſupra cœleſtes orbes ſublimis ferebatur, Diuinæ mentis agitatione beatorum regionem peragrabat. Diuinæ mentis ſpeciẽ,quoadlicet & fas eſt,in hac vita,mẽtis oculis vſurpabat;amore tantæ pulchritudinis incenſus,extra ſe proſiliebat & colloquio Diuino iucundiſſimè frui exoptabat. Ferro ille ſe de infima hac miſeriç valle, ad fęliciſſimorum ſpirituum conſortium efferebat. Quoties ille diuturnam ſuam vitam ſecum ipſe quærens,exibebat è cellula, & Eccleſiam accedens,laboribus & vigilijs confectum corpus,in terram proſternebat? Quoties in modum crucis ſeſe ante altare tremendum diſtendebat, & gemens grauiter cum fletu & lachrymis, magno animi dolore ac ſenſu, uel miſericordiã Diuinam pro noxis, uel benignitatẽ pro ſui corporis diſſolutione implorabat? Quoties erecta facie,tendebat in cęlũ ſupplices manus?Quoties imaginis Crucifixi Dñi pedibus, ſeſe ſine mente & ſine ſenſu aduoluebat?Sacra illa ſtigmata lachrymis abluebat?amplectebat? oſcula figebat?Quoties puriſſimũ pectus verberans pugnis,& eiulatibus Eccleſiã complens,ſeipſum & Poloniç Regnum, & nouellam Dominici plantationem, Orbis reparatori commendabat?Quoties vero poſt diuturnum eiulatum,mæſtiſſimas quærimonias Deo referens illa verba vſurpabat? O quando venies ad me,o dulcis Ieſu Saluator meus?Quando amplexu tuo me circumplicatum,in ampliſſimam domum Cœleſtem deduces? Putas veniet tempus fœlix,quo ego te in tuo decore cõtemplabor?Quo tandem tempore *concides viliſſimum corporis mei faccum,& me circumdabis lætitia?* O quando diſrumpes fædus animi mei & corporis, vt ille ab hoc ergaſtulo citius euolans,ad te ſolum quem vnice dilexit,cuius deſiderio iam pene conflagrauit, perueniet? Surgam tandem quandoque ab hoc anguſto clauſtro,& perluſtrabo immenſum tuũ Regnum;vel etiã tu quandoque ad meum corporis tabernaculum deſcendes,& vel ſaltem *per feneſtram,vel ſaltem per cancellos,aut rimas quas in cõciſo corpore meo ferreis cathenis diduxi,me* circumſpiciens,tuam mihi exeres lucem, tuoque me dignabere conſpectu.Quam iucunde,eo tempore tua conſuetudine

Alluſio pulcherrima.

ſuetudine fruar? Quã mihi tunc afferes voluptatẽ? Videbo, videbo te tandẽ. Si tu me a tuo depellis conſortio, ſi tu mihi tuũ præcludis tabernaculum, conſpiciam *te quandoque foris, apprehendam te, & in domum matris meæ deducam:* vbi qua ratione poſſim te aſtrictum perpetuo mecum retinere, me inſtrues; & ego quantum pro viribus potero, te mecum oblectabo. Ferro ille calceatus (dicam iterum) ſe de hac infima valle miſeriarum, ad beatarum mentium conſortium efferebat: *magnificentia ſua diſcurrebat nubes, habitaculum ſuum erigebat ſurſum, ſubter brachia ſempiterna caput ſuum ille leuabat.* Non equidem crederem, neque vero comitterẽ, vt meam apud vos fidem ſi qua eſt, diminuerem, ſi pro certo, hæc omnia de noſtro Hyacintho cõmemoro. Non crederem dico, hæc omnia de Hyacinthi ſermocinatione, niſi in hiſtoria ipſius legiſſem, quod eundem contigit, quadam die ſolenni aſſumptionis glorioſæ Virginis, ante altare eiuſdem, in Eccleſia Cracouienſi F. Prædicatorum feruentius orantem, & in oratione magnitudinem myſterij & immenſæ gloriæ eiuſdem glorioſæ virginis, quæ hac die conceſſa fuerat contemplantem; raptum fuiſſe ſpiritus dulcedine, & præ nimio gaudio, lachrymis offuſum, per omnia myſteria incarnationis deuote diſcurriſſe, atque in ſuo corde per deſiderium æternæ beatitudinis inflammatum fuiſſe. Cum vero ex intenſiſſimo affectu, vt admitteretur ad æternam gloriam, per Diuinam gratiam, lacrymabili voce deprecatus fuiſſet, ecce ſubito vidit maximam lucem, ſuper altare deſcendere de cœlo, cuius ſplendore, oculi ipſius dulciter reuerberabantur. In medio vero illius ſupernaturalis lucis æternæ beatitudinis, Regina mater Dei, videbatur ſenſibiliter apparere, quæ dixit ad eum Fili Hyacinthe gaude, quia orationes tuę acceptæ ſunt, & gratæ in conſpectu filij mei ſaluatoris omnium, & quicquid petieris nomine meo mediante, per me apud eum impetrabis. Atq; his dictis, cũ illa admirabili luce, & melodiæ Angelicæ concentu, ferebatur in cęlũ poſt ſe dulcẽ harmoniã & admirabilẽ ſuauitatis odorẽ relinquẽs, quẽ humana lingua æternis non aſſueta, nec perſentire, nec deguſtare, ſed & explicare nõ põt. Quis hic oratione conſequetur? quis verbis explicabit illius excelſæ mentis, tacitos recõditosq; ſenſus, ex illa admirabili viſione delibatos? Quis ſuauitatẽ non humanitus conceptã, ſed in illud caſtiſſimũ pectus, a matre puriſſima incluſam, mẽte cõplecti poterit? Quæ cogitatio capiet illius animi gaudia cæleſtia, ex altiſſimæ Imperatricis, & Beatiſſimi Regis Regum præſentia, ac lætitia perpetua quaſi deriuata? Mene illam videre contigit, (in dulcedinem ſolutus dicebat) quam ſummus architectus manibus ſuis expoliuit, & ſyderibus exornauit, & Diuinæ virtutis inæſtimabilibus ornamentis illuſtrauit,

Viſio Hyacinthi.

ſtrauit, & ſupra omnes etiam ſupremos Seraphinos in altiſſima ſedē euexit? Mene hanc contueri obuenit, quæ orbis uniuerſi Imperatorem Deum, ſuo protulit vtero? Ad me Deus præpotens, cum ſua genitrice illuſtriſſima delabere dignatur? O me fœlicem, o beatitudinē nunquam a me indigno promeritam. Te, te Sacratiſſima Virgo appello, te imploro, te o cœli Regina obſecro, te in meum præſidiū adopto. Te cœli totius oblectamentum, in meum perfugium inſtituo, tu me in patrocinium ſuſcipe. tu filiolum tuum precibus inflecte, ut meis peccatis ignoſcat, meoſq; pios conatus dirigat. O animum uerè magnum & excelſum, ò Diuini numinis nunquam auditum ardorem, ò ſanctitatem egregiam, & his miſeris temporibus inuſitatam. Non amplius ueſtra patientia abutar, ſermonem meum in anguſtos fines contrahens, ad illud quod initio tractabam regredior: hiſce Diuinis præſidijs, Hyacinthus religionem in Septemtrione propagauit; hæ fuerunt ardentes prunæ, quas Hyacinthus per totam Poloniam ſpargebat. Hi ſuccenſi carbones, quibus ſordes multorum expurgabat. Orationibus aſſiduis, contemplatione, humilitate, benignitate, charitate, pauperie, rerum humanarum deſpicientia, puritate, fortitudine, ſapientia ponè Diuina, cæteriſq; animi ornamentis, propter quæ velut Sol lucidiſſimus, omnium aſpectus colluſtrabat, omnium in ſe oculos atq; ora conuertit, & vniuerſorū corda ac ſi carbonibus vaſtatorijs inflammauit; ut paucis annis, Deo adſpirante non modo id effecerit quod maxime optabat, ut magni motus & inſignes ad ueram fidei doctrinam conuerſiones exiſterent, ſed etiam quod minime laborabat, ut ipſius nomen ac fama vaſtiſſimam Poloniam, & non eam ſolum, ſed & vniuerſum Septentrionem, ingenti cū admiratione perſuaderet. Fœlices vos terrarum oræ, quæ Hyacinthi flagrantem ſementem excepiſtis: beatæ vos gentes atque nationes quæ a carbonibus Hyacinthi concaluiſtis, & ad eximiæ pietatis cultum excitatæ fuiſtis. Fortunatos nos Polonos, qui Diuina benignitate obtinuimus Hyacinthum, Doctorem, & Magiſtrum & Apoſtolum, cū noſtris ſuperioribus Apoſtolis, quorū celebrata eſt ſanctitas & charitas, certantē. Fateor & lubenter fatebor, qđ prima religionis fundamenta, apud nos iecit Adalbertus. Non diffitebor, quod eadem ſuo ſanguine reſperſit Stanislaus. ſed Hyacinthus ad culmen perduxit, Hyacinthus ornauit documētis, corroborauit exēplis Hyacinthus. Dicā audacter; qđ vniuerſa Pruſſia, quod Pomærania, quod Ruſſia, quod Maſouia ab idolorum cultura (quæ tunc maiori pro parte exercebatur) ad ſummi Dei agnitionem deducta eſt, quod idola deiecta, aræ diſſipatæ, ſacrificia abolita neſanda, quod Dæmones pulſi, quod luce Euangelij plurimi

rimi illuſtrati,quod ad Sanctæ matris Eccleſiæ gremium innumeri reducti,quod religioni Sacratæ dicati pleriq;, quod ad pulchritudinem virtutis totus fere Septemtrio aſpirauit,Hyacinthus effecit. Gaudetis, in Gracouia auguſtiſſimum Sanctæ Trinitatis templum religione eſſe illuſtratum? illuſtrauit Hyacinthus. Oblectat uos illud ſpiritualium bonorum inexhauſtum ſacrarium,ex quo pabula vitæ,& inæſtimabiles refertis animarũ theſauros? illud extruxit Hyacinthus.Summa voluptate percipitis, Gedanenſes & Culmenſes,& in ſumma,vniuerſos Pruſſos & Pomæranos, & Ruthenos, venuſtiſsimam frugem virtutum olim protuliſſe? Conſæuerat illa ſemina Hyacinthus.Quid plura? Omnia quæ apud nos,ijs in locis quæ ſanctiſsimus vir ſuæ culturæ partes eſſe uoluit, piè,religioſè,caſtè, liberaliter,humaniter aliquando facta ſunt (at quam innumerabilia effecta ſunt?) omnia, inquam, ſi recte perpendemus a Hyacintho facta ſunt. Hyacinthus igneas prunas ſuper Poloniam diſſeminans, totam Poloniam amore Diuino flammantem,& cœleſti ſtudio incitatam, & in Diuinos ignes commutatam reliquerat. Quis hunc tantum virum non veneretur? Quis vero ſalutaria ab eo iamdudum, iacta ſemina, non aperto excipiat pectore? Excepimus nos quidem iam olim viuifica dogmata; vtinam vel conſeruemus ea,nec alio & eo quoq; diuerſo ſuperſeminemus lolio. *Ignitum eloquium ſuper nos Hyacinthus diſſeminauit*. Per veſtram uos ſalutem obteſtor,ne vel ſatum extinguamus,uel eloquiũ frigidum,ſuper ignitum inducamus. Te uero Sanctiſsime Hyacinthe, per tuam clementiam obſecro, congelatam mentem meam intuere dignare. Iam inter admirabiles rotas quadrigæ Diuinæ, iam inter Cherubinos ardentes, ante igneum Dei altare demoraris, totus ipſe iam in flammas Diuini incendij conuerſus es; vnam tantum prunam, ſed illam flammantem manu tua corripe. continge labra,continge & mentem meam frigidam. purifica labra,purifica & animum; intellectum illuſtra,incende affectum,quò ego quoque cęleſti incendio abſumptus, & multorum gelida corda hic in terris perurere, & ad ſempiternæ lucis flammas ardentiſsimas pertingere merear, te interueniente, qui inter ignitos ſpiritus reſplendes & ardeſcis in ſęcula ſempiterna.

Amen.

ALE-

# IN S. HYACINTHVM

## CONCIO LAVDATORIA SEPTIMA.

*In qua obitus, & gloria S. HYACINTHI qua in Cæleſtibus ornatus eſt, explicatur.*

NOn minus impia, quam ſtulta fuit illorum opinio, qui vt omne virtutis ſtudium, à mortalium animis euellerent, & præmia iuſtorum, & flagitioſorum ſupplicia, de vniuerſo orbe ſuſtulerunt, dicentes: Non faciet Dominus benè, & non faciet malè. Qui enim manus Diuinas diligentius contemplabitur, fatebitur neceſſe eſt, Deum iuſtiſſimum ſua cuique pręmia vel ſupplicia, pro meritorum vel demeritorum qualitate retribuere. Quid vero manus Diuinæ declarent? Quibus lineamẽtis exaratæ ſint? Quam formam præferant? Qua ratione, iuſtitiæ æquitas ex digitorũ Dei ſupputatione deduci poſſit? Sponſa illa quæ ſui dilecti ſpeciem expreſſerat, egregie demonſtrat, dum perhibet, manus Diuinas eſſe tornatiles aureas, plenas Hyacinthis. *Manus eius,* aiebat, *tornatiles aureæ, plenæ Hyacinthis.* Alia tranſlatio habet. *Manus eius ſunt, velut orbes quidam aurei, gemmis* ſummo artificio *diſtincti.* Conſpicio quemque veſtrum, anxia ſolicitudine a me perquirere velle. Quid iuſtitiæ cum manibus? Quid autem cum manibus aureis, & his rotundis? Pſaltes dum iuſtitiam Diuinam celebrabat, ſymbolice dixerat, illam eſſe virgam. quod inſtar huius, nec ad dexteram neque ad ſiniſtram deflectat, ſed recta, omne quod diſtortum eſt dirigat. Virga directionis, ait, virga regni tui, dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem. Quid ergo iuſtitiæ Diuinæ cum figura circumflexa? Manus eius tornatiles, aureæ: quomodo vero manus aureæ, æquitatis erunt ſymbola, cum aurum fulgore ſuo excæcat iudicum corda? Quæ poſtmodum conuenientia, manus eius tornatiles aureæ, plenæ Hyacinthis? &, quia Deus, iuſtis promerita donat præmia? Symboleitas & ea permaxima eſt, inter manus tornatiles aureas, & iuſtitiam Diuinam; inter manus orbiculares, gemmis ſummo artificio diſtinctas, & ſanctorum fœliciſſimum ſtatum. Et ſi quidem contempleris *figuram manuum Dei tornatilem*: iuſtitiam deſignat. Vt enim Orbis, ſua reflexione circulari hinc & inde euolutus, ęqua rõne ſiue centrum quod intra ſitum eſt, ſiue ſpatium per quod extra mouetur, ſua circumferentia contingit. Si ſcilicet planum & æquabile totum non extortũ fuerit, non minus hanc quam illam, ſed eodem modo

Soph. 1.c.

Beatitudo ſanctorũ.

Cant. 5.

N hanc

Misericor-dia & iuſtitia in ope-re præde-ſtinationis

hanc & illam partem, ( ſi vtraque eadem quantitate complanata eſt) contrectat: ſic diuina ſumma & ſapientiſſima æquitas, quæ celeritate ſua mobilior eſt omnibus mobilibus, æqua ratione omnes mentes attingit; Non magis hunc quam illum, ſi ambo ijſdem ſint exornati virtutibus, ſed æque hunc & illum ſuo fœliciſſimo contactu dignatur. *Non eſt perſonarum acceptio apud Deum, ſed in omni gente qui timet illum, ei acceptus eſt*. Nō maiorem denarium diſtribuit illis, qui à prima diei hora, quam ijs qui ſub occaſum Solis, maximos in excolenda vinea ſubierunt labores, ſed eundem. Ad eundem modum, ſi ad eundem modum, exculti ſunt & mortalium animi, manus Diuinæ iuſtitiæ tornatiles omnes contingit. Quod ſi & *materiam manuum Dei auream perſcruteris*. Miſericordiam iuſtitiæ permixtam inuenies. Labores enim quos in hac vita ſuſtinemus, quia leues & exigui ſunt, & anguſto temporis ſpatio circūſcripti; quod ſanctis vita functis, ſumma & ampliſſima atque ſempiterna, & ea denique quorum magnitudo humana cogitatione comprehendi non poteſt, quod mortalibus poſt huius vitæ vſuram, ineffabilia elargitur præmia, aureæ iuſtitiæ opus eſt. Si poſtmodum, totum hoc complexum diſcutias. *Manus eius tornatiles aureæ, plenæ Hyacinthis*; illud idem perſpicies, quod ſapiens de ſanctorum beatitudine dixerat. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis. Viſi ſunt oculis inſipientium mori, & eſtimata eſt afflictio exitus illorum. Et ab itinere iuſto abierunt in exterminium, & quod a nobis iter eſt exterminij, illi autem ſunt in pace. Etſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illorum immortalitate plena eſt. Et in paucis vexati, in multis benè diſponentur, quoniam Deus tentauit illos, & inuenit eos dignos ſe. Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos, & in tempore erit reſpectus illorum. Fulgebunt iuſti, & tanquam ſcintillæ, in arundineto diſcurrent. Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis*. Et vide quam egregie vtraque translatio manuum, ſententiæ ſapientis alluſit. Altera dixit. *Manus eius, ſunt velut quidam orbes aurei, gemmis ſummo artificio diſtincti*. Sapiens autem aſſerebat *iuſtorum, animas in Dei manibus*, non ſecus ac ſydera ſplendentia fulgere. *Fulgebunt*, ait, *iuſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent*: addit Saluator noſter. *Fulgebunt iuſti, ſicut Sol in regno patris mei*: addidit & Daniel Propheta. *Qui docti fuerint, fugebunt quaſi ſplendor firmamenti; & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*. Adiecit & Paulus dicens. *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarū: Stella enim a Stella differt a claritate; ſic & in reſurrectione mortuorum; Manus Diuinæ quæ ſanctis repletæ ſunt, erunt ac orbes cęleſtes, rutilantibus ſtellis* velut pretioſis lapidibus diſtincti. In illis manibus fulgorem

gorē Solis alij obtinebūt,alij Sole amiciētur, Lunā alij pedibus calcabūt,alij diademata ex ſtellis corruſcātibus in capite geſtabūt,alij ſydera pugno incluſa cōplectentur, plerique globos igneos vertici implexos ſuſtinebunt,alij tanquam ignis in culmis aridis implicatus diſcurrent,plurimi vt fulgida aſtra ſuos exerent radios,multi admiranda celeritate micabunt,vt interim impiorum hominum nomen & opes abſumāt. Omnes autem coruſcabunt ſplendore mirifico,a beatiſſima illa luce promanante. Manus Diuinæ ſanctis repletæ, erunt velut orbes aurei cœleſtes, rutilantibus ſtellis ceu pretioſis quibuſdam lapidibus diſtincti. Altera translatio,quæ eſt vulgata habet. *Manus eius tornatiles aureæ,plenæ Hyacinthis.* Quid autem dixit ſapiēs,de animabus ſanctorum? *Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos, & in tempore erit reſpectus illorum.* Quaſi dixiſſet. Modum & cauſam requiris,cur videlicet, & quemadmodum Sanctorum animæ in manu Dei ſunt? Et modum, & cauſam paucis accipe. Si cauſam quæris? Iuſtitia eſt. Si modum? Velut artifex, vbi vel auri ramenta, vel gemmam inæſtimabilem, ſordibus obuolutam repererit, non illa in terram recondit, ſed & ramenta in pulcherrimam reducta maſſam, & lapides pretioſos a ſorditie expurgatos, in ſuos transfert vſus;ex auro enim & lapide,annulo confecto ſuos exornat digitos. Ita & Deus,vbi alicuius præclaræ indolis animum, qui neſcio quam ſpeciem venuſtiſſimam in ſe enaſcituram pollicetur, inuenerit, illum laboribus, ab omni leui etiam flagitiorum ſcoria ſecernit. quò purior euadere poſſit,multo artificio inſudat, in pulcherrimam reducit formam Diuinos charactères illi inſculpit; vt ſic ornatum,atque ampliſſimis cumulatum muneribus, & mirifica effulgentem gratia, ad ſuas traducat manus, ſuoſque digitos velut annulo pretioſiſſimo exornet. *Manus eius ſanctis repletæ animabus,ſunt velut manus artificis,plenæ Hyacinthis,auro inſertis.* Cui vnquam impio in mentem veniſſet, vt ille Hyacinthus,qui voluptatum illecebras reſpuebat,qui inedia caſtigabat innocens corpus, qui veſtibus attritis, ſæpe ſeminudus, ſine vllo ornamento,ſine vlla venuſtate deſpicatiſſimus,macilento vultu,membris vulneribus conciſis, exhauſto & pene emortuo corpore incedebat,vt hominis ſymulachrum diceres potius quam hominem. cui inquam impio in mentem veniſſet,vt afflictus tantopere Hyacinthus,in ſupremam illam Cœlorum domum traduci, & in annulum Dei inſeri deberet? Quis multis angoribus implicatum Hyacinthum, exiſtimaret ſempiterna voluptate fruiturum? Quis ſqualorem illum, in gloriam? aſſiduam contentionem,in requiem ſuauiſſimam? humilitatem in maieſtatem præcelſam,commutandam fore quandoque cenſeret?

Dixiſſet quiſpiam ex Atheiſtis illis,vitam Hyacinthi breui ſpatio circumſcriptam,in multis periculis & laboribus,& acerbitatibus exercitam,diram & calamitoſam,præter funeſtiſſimam miſeriam habere nihil. Aſt æquiſſimus Deus, non paſſus eſt Hyacinthum tot infauſta & acerba,ſine glorioſo præmio ſuſtinere. Inedia, diſciplina, vigilijs, laboribus,anxia ſollicitudine acſi igne purgatum, tranſtulit de hoc cæno miſeriarum, ad patriam claritatis æternæ; & non in quauis ſede locauit,ſed pulcherrimis amplificatum muneribus, fulgore nouo illuſtrauit, expreſſit inuiſo charactere, & in annulum manus ſuæ inſertum,in ſuo digito repoſuit. *Manus eius ſiquidem tornatiles aureæ,plenæ ſunt Hyacinthis.* Iam digitos ſuos,licet non omnes ſed tantum ſeptem, circumdederat ſeptem illis Hyacinthis,qui roſeo cruore profuſo, admirandum adepti erant decorem. Inter ignitos illos lapides,per tot myriadas annorum,pro noſtro quoque precioſiſſimo intactum conſeruabat locum; quem vt è viſceribus terræ eruiſſet, & miro artificio elaboraſſet, rapuit de mundo nequam, & in manuum ſuarum ornamentum deportauit.Exercuit illum breuiſſima caſtigatione, & in omni rerum diſcrimine, &in omni laborum aſperitate,conſtantiam ipſius approbauit, & ob virtutem Diuinā, dignum eſſe iudicauit,quem ſecum bonorum omnium ſocietate coniungeret. Hunc luce Diuina compleuit,ſqualorem omnem in venuſtatem inadſpectabilem, contentionem in requiem ſuauiſſimam,dolores in voluptatem,lucrum in lætitiam,mortem in vitam fœliciſſima ſorte commutauit. Qua ratione?quaue de cauſa extremum obierit diē? Dum vobis expono, optarem vt hic adeſſent omnes gentes atque nationes;optarem vt me tam præclaram moriendi cauſam & rationem enarrantem, audirent ſola terrarum vltimarum. Hinc ſiquidem ediſcerent,quo in loco habenda ſint Diuina: Ex Hyacintho,quid filijs teſtamento relinquendum ſit a parentibus. quomodo parandus animus ad mortem ſubeundam, quibus adiumentis leuanda mens ad ſupremum Cœlorum regnum Ex Hyacintho & quare moriendum, & quo tandem pacto moriendum,quemadmodum(quod cardo & ſcopus deberet eſſe mortalis vitæ)ad Cœlum euolandū ſit, optime dignoſcerent. ¶ Atque vt clarius perſpiciamus,cauſam mortis Hyacinthi,illam Poloniæ cladē ab immanibus Scythis illatam,reuocate in mentem.Qua illi crudelitate,& ſanguinis Chriſtianorum fundendi auiditate incenſi ſunt, furenti animo concitati, collectis innumerabilibus copijs,in adiacentem Ruſſiam irruerunt.Quantum illic bacchati fuerint?quæ facinora patrarint?quod crudelitatis & immanitatis ſcelus non exercuerint?Agri vaſtati,mænia exciſa,tecta inflammata, direptiones bonorum omnium, virgines in

plateis

plateis defloratæ,paruuli ad mammas genitricum ſimul cum eis confoſſi,ſectæ in partes multæ prægnantes, ſenes miſere trucidati, innoxio ſanguine,omnia & ſacra & prophana loca polluta,luctuoſæ & funeſtiſſimæ cladis teſtes extiterunt. Vbique locorum exitiales illi hoſtes graſſati, Kiiouiam irruperant,vbi Hyacinthus eam tempeſtatem audiebat. Ad aures ipſius deferebatur, quod Barbari Vrbem introgreſſi,partem ipſius incendiſſent;aduolabant ad eum viduę,nunc nūc & filijs & marito orbatæ, plena erant clauſtra monaſterij promiſcua gente, ad Hyacinthum tanquam ad aſylum confugiente. paruuli ad genua ipſius prouoluti,eos vt liberaret,ſanguineis lachrymis implorabant;& quis alia ſine luctu commemorabit?Non ſine grauiſſimo animi dolore,hęc intuebatur Hyacinthus. Quid tunc ageret?quid prius aggrederetur?Senē in mediū furentiū conijceret, & mortē auſu temerario quæreret?Quem prius tueretur?Homines,an Deum? Virginem Sanctiſſimam partu ſuo onuſtam,an fœminas morituras?Hic ego, aiebat,memetipſum clauſtris cōtinebo? Dubio procul mihi moriendum erit. Morte mea atrociſſima,hos ego in libertatem vindicare nequeo, quos nūc nūc ab idolorū cultura expurgatos, & promeritis caſtigare pœnis, & caſtigatos ad æternam trāsferre fœlicitatem, Deus decreuit. Mille mortes ego & eas acerbiſſimas,pro ſalute iſtorū ſuſtinerem.Sed quid?Si mactabor?quis Sacratiſſimum redemptionis noſtrę memoriale,ab interitu conſeruabit? Ne ſānctiſsimam virginem, quam ego in hoc ſymulachro veneror,gladio configant; ne in ignes conijciant, ne pedibus ſuis ſceleſtiſſimis,Deum meum conculcent,quis prohibebit? quis furorē eorū mitigabit? Melius eſt tn̄ Diuino proſpicere honori, Sacrorum ſanctitatem tueri honeſtius eſt; his uero qui meam opem implorant,ſatius eſt morte acerba quidem,ſed breui tranſeunte,ſempiternā aſſequi immortalitatē. His dictis,ſuos ſocios aduocauit, baculum ſumpſit,& corpore exhauſto,ſed animo forti, in Eccleſiam procedens,genu flexo ſe & ſuos conatus, illos deinde populos Deo commendauit.Mox veſtimētis ſacerdotalibus indutus, SS.Euchariſtiā accepit;accepit & Sacratę Deiparę ſymulachrū ingentis pōderis,& uno atq; altero comitatus ſocio, dedit ſe in uiā periculoſiſsimo tempore. Procedit Sanctus Dei Sacerdos ex Eccleſia, manu dextera Deum Orbis uniuerſi rectorem, ſiniſtra Beatam virginem cœlorum Reginam complectens, inter medias forte hoſtium acies intrepidus pertranſit; Vbi rapidiſsimum Boriſthenem appulit, nō cymbam, aut ratem quęrit, ſed fide nixus ſicco ueſtigio tumentes calcat undas;hunc traijciēs, iiſdem onuſtus myſterijs,immenſum iter (numerantur ſiquidem plus minus 700.milliaria Italica)pedes eundo cōfecit.Quid hic miramini?

Quid

Quid obſtupeſcitis? Quid tacetis? Miramini pietatẽ. ea inſignis eſt: Obſtupeſcitis ad fidem? illam fuiſſe maximam ſcitote. Tacetis ad miraculum? inſolitum atque memorandum eſt. Omnibus omnium ſæculorum populis, laudibus ſummis celebratus eſt Æneas, quod Achiuis proditione Troiam diripientibus, & omnia ferro & flamma uaſtantibus, Deos penates, & patrem ſenio confectum, ſublatum in humeros, ex me dijs flammis exportaſſet. Obſtupuerant pietatem ipſius Græci, & hoſtes licet fuerint, uniuerſas eius poſſeſsiones ei intactas reliquerunt & conceſſerunt; uel inuiti cōfitentes, eos qui tantam in Deos & parentes pietatem exercerent, etiam natura inimicos, humaniter tamen & dignis modis tractandos eſſe. Pſaltes dum Iſraelis & per Erithræum mare, & per Iordanem perpetem tranſitum contemplaretur, quod uenienti populo, quod Archæ ligneæ a Sacerdotibus delatæ, immenſi gurgites ceſſiſſent, totus in ſtuporem verſus, repetere non dubitauit. *Mare vidit & fugit, Iordanis conuerſus eſt retrorſum*, & quaſi inſultãs tumentibus vndis, eas interrogat dicẽs. Quid eſt tibi mare quod fugiſti, & tu *Iordanis quia cõuerſus es retrorsũ?* Adeone paueſcis horrẽdũ populi Diuini occurſum, vt venienti locũ cedas, & in tuũ te recondas fontẽ? Siccine terribilia ſunt forte, Sacroſancta Dei, ut ab aſpectu eorũ fugias? Vel forſan adeo benignus eſt Deus in timidas gentes, ut eis ſupra dorſum aquarũ calcare paueſcẽtibus, ſcidat maria, inq; ſolidos cõglomeret parietes, corripiat celeres fluuios, & in ſuum reuocet fontẽ? Quæ tanta vis illa fuit ò mare, quæ te in fugam compulit? & tu Iordanis qua formidine commotus, curſum in contrariam partem, tam ſubito contorſiſti? Conceſſiſſet vtinam Deus, tibi ò Sacer Propheta, ut adſpectare poſſes Hyacinthum Kyouia diſcedentem, & ſuper latiſſimum ſimulque rapidiſſimum Boriſthenem, ac ſuper firmam terram, ſicco pede gradientem. quæ tunc admiratio? qui ſtupor tuam occupaſſet mentem? Quas tunc voces efformares? Quibus verbis fortitudinem fluidarum aquarum celebrares? Longe enim maius miraculum eſt, craſſæ magnitndinis hominem, lapidea ſtatua & ea permaxima onuſtum, ſuper aquas celeriter fluentes, non madefacto pede tranſire; quam vtrinque fuga diſiectum mare conſiſtere. Longe Diuinius eſt, aquas ſicco veſtigio calcare, quam Iordanis curſum vnde profluxerat retro contorquere; tanto, quanto longe difficilius, naturæ vim quam curſum cohibere. Conceſſiſſet Deus & vobis ò Græci, pietatẽ & religionem Hyacinthi contueri. indignum profectò iudicaretis, Aeneam cum Hyacintho conferendum eſſe. Ille falſorũ ſimulachra Deorum, hic imaginem Reginæ cœlorum, illius quam omnes nationes DEAM, Diuinis muneribus ſupra cęlitum ordines elatam venerantur,

Antitheſis

è me-

è medijs flammis extulit. Ille Deos penates, iſte Deum totius uniuerſitatis; parentem ille mortalem, iſte immortalem Patrem, qui nos ex nihilo creatos, & ſanguine precioſiſſimo è tyrannide Sathanæ redemptos, morteque acerbiſſima e faucibus inferni, atque à morte ſecunda ereptos, corpore & ſanguine proprio reficit. qui imagine propria nos honeſtauit, Angelorum veſtiuit gloria, ob præuaricationẽ morte diſſolutos, ueniens iterum reformauit. qui ex delicijs paradiſi eiectos reduxit, portas cœlorum aperuit, regnũ cœlorum ſpopondit, & ad ſuauiſſimas delicias Angelorum admiſit. Conceſſiſſet Deus & vobis, qui in luctuoſo hæreticorum furentium tumultu, omnia & humana & Diuina temerata conſpexiſtis; conceſſiſſet inquam, & uobis pietatem atque religionem Hyacinthi. Non enim tantam ſacris imaginibus & SS. Euchariſtiæ iniuriam videremus illatam, ſi tunc aliquis Aeneas vel Hyacinthus, intrepido animo, ſacris omnibus in humeros iniectis, fuga honeſta honorem illorum conſeruaſſet. Vidimus proh dolor, nõ ita pridem, videmus & nunc quod acerbius eſt, ſacras imagines a ſceleſtiſſimis hominibus in Germania, Gallia, Flandria, & in noſtra infœlici hac in parte Polonia, quotidie deijci, & mille ſpurcitijs deturpari, ad extremum quoq; ignibus exuri. Videmus & nunc, ò ſcelus, ò impietatem, pedibus Sacratiſsima noſtræ ſalutis myſteria conculcari. Non deſunt, qui in eam væſaniam ruant, ut in hoſtiam Angelis ipſis tremendam; alij conſpuant, alij (quod pudor, & horror prohibet dicere) ventrem leuent; alij porcis & immundis cæteris animantibus, deglutiendam illam porrigant; alij pugionibus confodiant; alij uel in fornaces ſuccenſas, uel in barathra cænoſa inijciant. Tantum flagitioſos hæreticos permouit furor, ut in Deum ipſum, ſe eò magis meruiſſe iactent, quo indigniora perpetrarint. Vbinã ſunt modo Hyacinthi, qui ſcelus prohibeant? Quiſnam modo eſt, qui etiam ſine ullo vitæ diſcrimine, in Eccleſiam proruat, & ſi non ſacrata uaſa, ſi non adorandas imagines, ſaltem tremenda ſalutis archana eripiat? maieſtatem eorum conſeruet? tueatur honorem? O tempora, ò noſtram negligentiam, vel ſupplicijs inferni vindicandam. Dum hoſtes in fortunas eorum deſæuiunt; dum Catholicos hæretici ex Ciuitatibus, ex oppidis & villis depellunt, nullus eſt qui aurum, argẽtum, gemmas & purpuram non ſecum deferre curet: opes immenſas, theſaurum incõparabilem, Deum ipſum, quis eſt qui in humeris ſuis efferat? Quis modo Aeneas, qui parentem ſuum, a quo & animam, & corpus, & dona fidei atque ſapientiæ, & admirandum Catholicæ religionis ſplendorem accepit, Quis eſt qui talem actãtum, ab iniuria vindicet? Quis zelo commotus, illa Hyacinthi verba ſecum meditabitur? Ergone

hæc

hæc contagioſiſsima hæreticorum peſtis, non modo in fortunarum direptionem, atque in hominum perniciem erumpet, ſed in Sancta quoque penetrabit? in aras Domini Sanctiſsimas, irrumpent obſcæni? Sacra ſpurciſsimis manibus, beſtiæ ſanguinariæ deturpabunt? Tantam immanitatem capiet, perditiſsima mens hominum, vt Domino Deo vniuerſorum, nefarium bellum indicat? proruat in eius Sacratiſſima templa? vrgeat eius reuerendiſsimas aras? appoſitiſsimum illud ſacrificium, quin infandam illam maieſtatem, quam cælites omnes reuerentur, pertimeſcunt poteſtates, dominationes omnes adorant, irreuerentiſsimis manibus fatigare conetur? Siccine Diuinum decus proſternitur? honor cœlitum deſpicitur? Chriſtiani cultus reuerentia labefactatur? deridetur? deperditur? Heu quia nimis dolor integraſcit, & mea pectori tota in cruciatus abeunt. Mene his ipſis oculis aſpicere Regificum epulum, porcis atq; canibus expoſitum? Mene intueri lectiſsimum illud, quod vnicè amo, ſimulachrum æthereæ Matris, ſacrilegis mucronibus transfigi, atq; humi corrutum, ignominioſiſsimis conuicijs hac atque illac diſtorqueri? Inuiſum ſit iſtud oculis meis. Non patiar, (vos, vos ò Principes Chriſtianiſsimi, deceret vſurpare hæc verba) non ſuſtinebo. & ubi coagmentatus vndiq; dolor, triſtiſsimam hanc lucem mihi nequit exſorbere, prodibo in campum; contra infeſtas harum furiarum acies, ſtabo ſolus inermis licet, uel armatus ſi neceſſe foret, Sancta ſanctorum impudentiſsimis eorum auſibus ſubducam. Aut certè ſi Megæreas eorum faces, hoc perquam uoluntario meo ſanguine, pijſsimus ille pater, me modo cõſtituit irroraturum, pro cœleſti hoc holocauſtomate, pro Icone Mariæ Virginis, pro Sanctis Sanctorum, illa mihi dulciſsima ſententia. Extremæ huius lucis vſuram libentiſsimè obibo. Cum uel extinctus fuero, exiſtimo me, meo cruore ſitim eorum furibundam reſtincturum.

Sed ad Hyacinthum, in Cracouiam redeũtem regrediamur. Is poſtquam multorum dierum viam proceſſerat, iam Boriſthenem traiecerat, iam Viſtulam ad eundem modum ſuperarat, iam multa & admirãda facinora patrarat. venit ad locum, ex quo primum Ampliſsimam Cracouiæ arcem, tum altiſsimas ſanctiſsimæ Deiparæ templi turres, tum auguſtiſſimã Sacroſanctæ Trinitatis ædẽ proſpexit. Ibi prouolutus in genua cogitare ſecum cæpit, quibus beneficijs a Deo opt. auctus eſſet, & illius erga ſe liberalitatem & clementiam tacite conſiderans, quod in hac humanæ, vitæ breuitate; ſeptuageſimum exceſſiſſet annũ, quod illos in religione præclara tranſegiſſet, quod illam ædem fideliſſimis & caſtiſſimis religioſis exornaſſet, quod multos ſtudio & amore inflammatos, religioni ſe deuouiſſe & addixiſſe, quod in Prædica-

torum

torum Ordine, tot heroas illuſtres virtutibus præcellentes, quorũ alij lumine doctrinæ illuſtrarent, alij laboribus & orationibus iuuarent, ſanctitate vitæ alij exornarent, alij demum ſanguine amplificarent Eccleſiam. Quod tantos Raimundos & Reginaldos, tam ſplendidos Aquinates, adeo magnos Albertos, tot Iacobos, Hugones, Tarantaſias, Monetas, Ceslaos, Hermannos, Henricos & Colũbas, & innumera alia Prędicatoriæ religionis fulgentiſſima lumina conſpexiſſet. Quod ad Petri Martyris tumulum, cæleſtes corruſcarent lãpades, quod inuictus Chriſti martyr, moriens plures proſtrauit hæreticos quam viuẽs, quod extinxiſſet in Italia graſſantem hæreſeos peſtem, quod infra vnius anni ſpacium poſt mortem, in Cathalogum ſanctorum, magno cum applauſu orbis fuerit relatus. quod Dominico idem honos, paucis annis poſtquam è viuis exceſſiſſet obtigerit, quod incrementa tam magna, breui tempore nouellus accepiſſet Ordo, quãta vix ſperari potuiſſent. Hæc & multa alia beneficia ſibi collata, pia meditatione euoluens, gratias ſoluebat immortales vitę Domino & auctori, pro tantis muneribus. Nihil ſe amplius deſiderare, nihil plus in his rerum humanarum anguſtijs expectandum ſibi eſſe, plus etiam quam merita ſua expoſcerent, & quam inconſtantia mundi ferret, ſibi eſſe conceſſum teſtatus; nihil niſi veram vitam, nihil niſi immortalitatem, & conſortium beatarum mentium ſe expetere declarans, quantum poterat ardentiſſimis votis, ſuppliciter exoptabat Deum ante ſuos conſpectus collocatum, vt ſe eliberare a vinclis cuſtodiæ corporis, atque ad ſacros fœliciſſimorum ſanctorum cœtus, in illud illuſtre & plenum ſtellarum domicilium transferre dignetur. Interim vitæ ſuæ ſtamen, tanto tempore diſtenſum querebatur, ſe iam nimis plures annos tranſegiſſe, ac ferè quot horas & momenta, tot hominum ætates & luſtra, ſe vixiſſe exiſtimabat. Quouſque miſeræ huius vitæ, aiebat, faſtidio liberabor? Quis terrenam ac concretam hanc corporis mei molem diſſipabit? Quando aderit mihi tempus illud optatiſſimum, quo è carcere iſto tenebroſo ſolutus euolabo? cum Dei mei voluntate, è paleſtra decedam? cũ longe a tumultibus ſęculi, longe à mortalium ſocietate, longe ab hac valle miſeriæ, longe ab vrbibus, longe ab omnibus terris, non in aliqua deſerta eremo, ſed in Cœleſtium ſodalitio, atque in Dei conſpectu demorabor? Quis me deducet in Ciuitatem illam munitam? Quando ò dulciſſima Mater mea, me apprehendes, & in domum matris tuæ, atque in cubiculum genitricis tuæ me traduces? Cupio diſſolui, & eſſe tecum ò benigniſſime Saluator meus. Pulcherrimo hieroglyphico, hoc eius deſideriũ, adumbrarunt Cæſarauguſtani. Delinearant hominem in pedes erectum, manu dex-

tera ſtelliferũ cœlũ ſuſtinentẽ,ſiniſtra vero,mundi huius inferioris glo bũ cõplectentẽ. Manui dexterę aſcripſerát ænigma. *In die mãdauit dominus miſericordiã ſuã, & nocte canticũ eius.* Sub pedibus autẽ carmina iſta.

*Dextra tenet cœlum, manus altera ſuſtinet orbem.*
*Vt me ſancta leuat, ſic grauis iſta premit.*
*Sydera perlegerem ſemper, Diuumque cohortes*
*Me niſi natorum ſolicitaret amor.*

Hæc & alia multa, elatus ſtudio fruendi Deũ Hyacinthus, illo in loco peror ibat. nihil poſtmodũ niſi obitũ, nihil niſi verã & incorruptibilẽ voluptatẽ meditabatur. Quẽ Pater miſericordiarũ exaudire diſponẽs, dulci alloquio conſolatus eſt, dicens; breui tempore affuturam diem, qua eum de hac mortali vita, ad ſui fruitionem, cum Angelorum multi udine, necnon cum Sanctiſſima ſua matre, aſſumere decreuiſſet. Decimo octauo Calendas Auguſtas, quibus annua ſolennitas Matris meę recolitur, ait, tuis laboribus glorioſum ſinẽ imponam. Quid hic expectatis? Num vt Hyacinthus ſententia mortis ſibi prolata, corde concidat? An vt angore ſummo ſeſe excruciet? Quid exiſtimatis? Forte ob denunciatam ſibi mortem, animo tabeſcens delirare cœpit? An in ægritudinem ex dolore delapſus eſt? Num lachrymis & eiulatibus omnia compleuit? Sed iſta omnia ſunt eorum, qui nihil vnquam altum, nihil æternum, nihil Diuinum cogitarunt. Angores iſti ſunt illorum, qui omnes animi curas in hoc fragili corpore defixas habuerũt, qui terrenis bonis ſe totos immerſerunt, qui vitam indigne & flagitioſe ſceleribus multis contaminarunt. Dolores illi & timores perpetui, ſunt eorum, qui de hoc ſæculo vt è carcere, non tanquam in libertatem, ſed in maiorem captiuitatem ſe educendos credunt, qui ad Deum non velut ad Patrem, non tanquam ad Regem clementem, ſed velut ad ſeuerum iudicem properandum ſibi eſſe iudicant. Illi ſoli pauent mortem, qui poſt mortem; non vitam, ſed ſecundam mortem, non præmia, ſed pœnas intollerabiles; non voluptates, ſed cruciatus horrendos, non lucem ſed tenebras exteriores, non cęleſtia ſed inferni regna, ſed Draconis apertas fauces ſibi eſſe cenſent. Gaudebat Hyacinthus lætitia inenarrabili, quod certus foret, Deum ſibi propitium; Iucunditate interna fruebatur, quod videret, ſibi & fugiendum eſſe ab ijs rebus, quorum faſtidium vitæ illi ſatietatem afferebat; & migrandum eo, quo iam dudum incredibili animi ardore feſtinabat, & eò perueniendum, quò immortales beatorum cætus, illi non oneri ſed æternæ voluptati eſſe poſſent. Poſtquam venit Cracouiam, laboribus plurimis defatigatus, corpore iam effeto, & pene ſemimortuo, in morbum incidit, primo quidẽ non ita grauẽ. Non ille tũc quicquam

de

de conſueta viuendi norma detraxit, non imminuit preces, non addidit fomenta corporis: quotidie veniebat in Eccleſiam, de nocte media ſurgebat ad officium matutinum, ſuo priſtino more ſingulis canonicis horis aderat cum fratribus, quouis die ſacrum faciebat, & multis alijs ſumma cum demiſſione aſſiſtebat. Obſecrabant fratres, ſibi vt têperaret a laboribus, ſeq; vt contineat cubiculo; noluit ille acquieſcere, ſed magis addendum eſſe ſibi de labore, multo longius & ſæpius in Eccleſia ſibi demorandum dicebat. O animum excellentem, o mentem flagrantiſſimam; cum in omni vita, & pietatis, & religionis, & Diuini cultus ſtudioſiſſimus fuiſſet, non prius deſtitit, quam extremum ſpiritum edidiſſet. Pudeat Chriſtianos noſtri temporis, qui, ſi vel tantum opinionem infirmitatis alicuius perſenſerint, illico lecto decumbere, ſtatim religionem & pietatem poſthabere; nullam ſalutis animæ, vniuerſam corporis habere curam, Dei poſtremo obliuiſci incipiunt. Hyacinthus non prius a Diuinorum uſu deſtitit, quam ab anima deſtitutus eſt. Morbo vehementer ingraueſcente, febribus correptus, cum peſtifer ignis, inteſtini continuatione incendij, corporis robur ac vires abſumeret, in vigilia Aſſumptionis Deiparæ Mariæ, vocat omnes fratres Conuentus SS. Trinitatis, mira ſuæ voluntatis cum Diuina coniunctæ, mira ſtudij erga ſacratam religionem, mira amoris ſui, erga illos fratres documenta daturus, atque hæreditario iure relicturus. ¶ Non vobis excidit è mente, Iacobi Patriarchæ prope Diuinũ facinus, quod is vita ceſſurus, filios ſuos in vnum vocarat, eiſque præclarum illud teſtamentum, a Moyſe in Geneſeos libro exaratum reliquerat. Præclarius vero, omnis virtutis fons & origo, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, in cruce, omnes pro noſtra ſalute ſuſceptos labores con ſummaturus; primo ante paſſionem, oues ſuas paſtori Petro, deinde in ligno crucis Virginem Ioanni, & Ioannem cum alijs diſcipulis Matri virgini, ſpiritum vero ſuum Patri æterno, in manus tradidit; morteque illa, quomodo nos etiam mori debeamus, inſtruxit. Mortuus eſt pro ſalute noſtra, vt neque nos, pro ſalute proximorum mori recuſemus. Pro inimicis orauit, vt & nos dimittamus, ſi quid habemus aduerſus alterum. Animam patri commendauit, ne nos quoque diſcedentem animam, Deo commendare prætermittamus, a quo illam accepimus. Syndone munda inuolutus eſt, & aromatibus delibutus, vt oſtenderet eos fœliciter hinc decedere, qui puritatem cordis & odoramenta virtutum ſecum ferrent. Secutus Saluatorem noſtrum Patriarcha Dominicus, vltimo vitæ die, ne inteſtatus obiret, hæc ſe fratribus ſuis legare, dixit apud Flaminium. Ego, ait, fratres chariſſimi Deo meo gratias ago, qui mihi vſque ad finem vitæ meæ incorruptam men-

Lib. 3. de vita B. Dominici.

mentem ac virginitatem inuiolatã ſeruauit. Propter quod vos maximè hortor ac moneo, vt conſilium hoc meum, in memoria ſemper habeatis & ſequamini; vt fœminarum conſortia præſertim iuuenum, veluti quandam peſtem fugiatis, quarum congreſſus & colloquia religioſis hominibus inprimis fugienda ſunt: res enim eſt maximi diſcriminis, & quæ multos peſſundedit. Fœmina in primo parente, humanum genus euertit. Hinc cauſæ, hinc fomenta malorum omnium originem traxere. Nec ad oſtendendam apertius, aut confirmandam rem hanc exemplis opus eſt, cum quotidiana non deſint, quibus conſtare poteſt, quam vtile, imò quam neceſſarium ſit Chriſti miniſtris, illarum prorſus vitare commertia, & conſpectus abominari. Hac ratione placere plurimum Deo poteritis, cui nihil hac mentis puritate, atque munditia eſſe gratius poteſt. Hinc mirificus bonæ famæ odor, populorum nares contingit & allicit; quæ res fructus parit innumerabiles. Hanc igitur toto pectore, ac totis viribus amplectimini, & ſanctitate vitæ, populorum animos, ad colendum quotidie magis Apoſtolicum hunc ordinem accendite: ſic enim ſtabilietur adhuc magis & amplificabitur. Peculiaria inſuper, ac hæreditaria vobis relinquo bona, quæ ſi diligenter ac fideliter cuſtodieritis, polliceor fore, vt præſentem vobis Deum ſemper habeatis, & omnia vobis proſpere cedant. Hæc autem ſunt, vt charitatem habeatis, humilitatem ſeruetis, ac voluntariam poſſideatis paupertatem. Quare vobis etiam atque etiam indico, ne ſit quiſpiam veſtrum, qui ſanctum hunc ordinem terrenis violare, ac inficere bonis audeat. vt Euangelicam paupertatem, quam promulgatis in generali Synodo nuper legibus recepiſtis, & amplexi eſtis, ſanctè ac inuiolabiliter conſeruetis. Hæc & horum ſimilia, vir ſanctiſſimus identidẽ monebat. Quotuſquiſq; eſt his temporibus, qui filios, virtutis hæredes teſtamento relinquat? Quanti Patres, qui Chriſti exemplum in condendis teſtamentis ſequuntur? Audiui, plurimos ſanguine reſperſas veſtes, filijs in monumentum proferre; vt vel filij innoxias manus, alieno ſanguine polluant; percepi & illud, pleroſq; filios adhortari, quo nomen familię, facinoribus (an præclaris? non audeo dicere) conſeruent & illuſtrent; obſcurarent & deperderent, potius dixiſſent. Noui alios, teſtamento vſurarum & rapinarum ſceleſtiſſimas exactiones filijs demandare. Ab eo illas recipies, aiunt, pecunias, huic tantum auferes, ille tot millia pro vſu fructu pecuniarum tibi debet, ab illo hæc & multo plura poteris lucrari, ſi diligens fueris: illi alteri ne parcas oro, deglube & pellem, & animam ipſam ſi quiueris eripe. De Chriſto, de virtute, de religionis cultu, de obſeruatione mandatorum Dei, de ſalute animæ curanda, quis vnquam vel vnum

verbum

verbum muſſitauit? Quis vnquam moriturus ſyngrapha deſcribens, ſcripſit & lege quadam paterna obfirmauit? Vobis o filij mei indico, ne ſit quiſpiam veſtrum, qui ſanctam fidem, qui religionē immaculatam ſceleribus contaminare audeat. Vos per viſcera Ieſu Chriſti obteſtor & adiuro, ne quis veſtrum leges, ipſius ſanctiſſimas perfringere præſumat: a vobis hoc vnū exigo, præ cæteris virtutem ſectamini, Dei amori prælatum nihil habetote, proximum charitate ſed non illa verboſa complecti contendite: pauperes vobis contubernales habetote. illi Eccleſiæ tīn pecuniarū, his Xenodochijs illas & illas facultates diſtribuite, hos religioſos beneficentia ueſtra in dignitate conſeruate. Quis eſt tantopere cupidus, ſi non filiorum, ſuæ tamen ſalutis, qui tale teſtamentum condat? Sanguine madidum proferre ſudarium filio, tunc cum iudici tremendo, qui pro inimico exorauit populo, qui ut inimicos beneuolentia & charitate complecteremur præcepit, qui uindicibus ſeueras ſceleris pœnas infligit, tunc cruore aſperſam ueſtem filio proferre, cum tanto iudici aſtare & reſpondere pergis? Hæc hominis Chriſtiani charitas? Eane morituri, ad mortem præparatio? Iſne apparatus ad iudicium extremum? Siccine Chriſtum pro crucifixoribus obſecrantem imitamur? O crudelitatem, o ferrea corda. Omitto iſta, tanquam indigniſſima, quæ uel in hoc loco nominari debeant; illud uos tantum obſecro, quod Chryſoſtomus quoque præcatur. A teſtamento tuo, te commendare perge, licet enim. Quo pacto? Si Chriſtum in ipſo, cum hæredibus tuis conſcripſeris, partemque illi totius ſortis tradideris. Non pauiſti Chriſtum dum uiueres? Saltem abiturus hinc, quum iam non amplius eorum quæ poſſidebas uſum ac poteſtatem habes, tua illi contribue. Non erit quemadmodum benignus eſt, curioſus aut difficilis erga te. Maioris quidem amoris ſignum fuerit, maioreque dignum mercede, ſi Chriſtum dum uiuis paueris. Si uero iſtud non feciſti, uel quod ſecundo loco licet aggrede nimirum, relinque illum filijs tuis cohæredem. Quod ſi iſtud quoque negligenter facis, cogita quod illius cohæredem, te pater effecerit; atque ita uel hac ratione, inhumanitatem iſtam tuam abijce. Quam enim habiturus es excuſationem, ſi neque filiorum tuorum cohæredem Chriſtum feceris, cum iſte cœlorum ipſorum conſortem reddiderit, immo & mortem propter te ſubierit? Atqui ipſe quæcunque fecit, non uelut debitum perſoluens, ſed gratiam oſtendens fecit. Tu uero licet poſt tanta beneficia, debitor etiam conſtitutus ſis, rebus tamen ſic quoque habentibus, non aliter te propter ea quæ reddideris coronat, quam ſi gratiam quandam, non debitum exactum abs te tulerit. tametſi nihil, niſi quæ ſua ipſius ſunt bona, recipere queat.

Hom. 18. in epiſtolā ad Romanos.

queat. Contribue ergo illi pecunias tuas, tibi iam deinceps inutiles, & quarum eſſe Dominus in poſterum non poteris: dabitque is tibi regnum illud, quod perpetuo vſu tibi futurum eſt, quin & cum illo ea quoque quæ hic ſunt, ſimul donabit. Nam ſi factus fuerit filiorum tuorum cohæres, & orphaniam illam alleuiabit, & violentias illatas diſſoluet, ac inſidias reppellet, ſycophantarumque ora obturabit: & ſi ipſi teſtamento legatis præeſſe nequiuerint, præerit ipſe, neque ferret vt perrumpantur. Si vero & iſtud fieri permiſerit, adimplebit per ſe-ipſum quæ ſcripta ſunt omnia, idque multa cum liberalitate, eo quod ſemel abs te, teſtamento inſcriptus, honoratus ſit. Relinque ergo ipſum hæredem: ad ipſum quippe abiturus es. Ipſe quæcunque in hac vita commiſiſti, in iudicium vocabit omnia. Sed ſunt quidam adeo miſeri ac deplorandi, qui cum neque filios habeant, iſtud tamen facere non ſuſtineant: ſed paraſitis potius adulatoribuſque, aut ſimilibus ſua diſtribuenda curēt, quam Chriſto, qui tot illos beneficijs affecit. Quare quæſo, quid poterit fieri inconſideratius? Nam etiam ſi aſinis tales aut lapidibus comparaueris, nihil tamen adhuc iſta, illorum amentia ſtupiditateque dignum dixeris. Neque enim ſimilitudinem quis facile inuenerit, qua veſaniam ipſorum ac deſipientiam repræſentare queat. Quam igitur ſibi veniam parant, qui vltra id quod Chriſtum dum viuerent non pauerunt; neque etiam cum ad ipſum iam abituri ſunt, vel de pecunijs illis, quarum vltra Domini non ſunt, aliquid illi vel modicum largiri volunt? Sed adeo inimice, adeoque hoſtiliter ſe habent, vt nec de ijs rebus, quarum vſu iam deſtituuntur, ei cōtribuant? Non vides, quomodo plerique hominum huiuſmodi morte donati non ſint, ſed ſubitaneo raptu diſceſſerunt? Te verò Deus tuorum Dominum ita fecit, ut quibus quæque conueniant diſpicias, edicaſque de bonis tuis, ac quæ domum tuam concernunt diſponas. Quam igitur excuſationem habebis, ſi quando poſt hanc acceptam gratiam, beneficentiam iſtam prodideris, & uelut ex diametro fidei tuæ, maioribus contrarius fueris? Illi quippe viuentes etiam uendidernnt omnia, atque ad pedes Apoſtolorum detulerunt: tu uero nec moriens, aliquam tuorum partem pauperibus tradis. Melius quidem fuerit, multumque adferens fiduciæ, dum adhuc viuis, paupertati egentium ſuccurrere. Si uero iſtud nolueris, uel moriendo, generoſum quid facias. Id enim, licet non multum habeat dilectionis erga Chriſtum, aliqua tamen eſt dilectio. Nam etiamſi non habiturus ſis priores partes cum agnis, non tamen parum erit, uel hoc pacto, cum Chriſto eſſe, & neq; cum hædis, neque a ſiniſtris ſtare. Quod ſi iſtud quoq; non feceris, qua quæſo ratione poteris ne pereas excipi,

quando

quando te,neq; timor Dei, neq; quod pecuniæ inutiles tibi deinceps ſunt, neque quod poſſes hoc pacto ſecuritatem relinquere liberis tuis, nec quod multum tibi ueniæ res iſta recondere poſſet, benignum & humanum facit? Propterea maximè quidem hoc vos obſecro, ut viuentes bonorum veſtrorum pauperibus,potiorem offeratis partem. Si vero quidam adeo ſunt puſillanimes,ut hoc facere non ſuſtineant, illi vel cogente neceſſitate reddentur benigni. Quando enim vita eras incolumi,non aliter quam immortalis,ita tuis obnixè adhærabas bonis: nunc vero cum te mortalem eſſe cognoueris, nunc ſaltem dogma illud excute, & ut mortalis de bonis tuis ſtatue, uel potius tanquam qui vita immortali perpetuo frui debeas. Nam tametſi dictu graue ſit quod dicturus ſum,plenumq; horroris: neceſſe tamen eſt ut dicam. Numera Dominum cum ſeruis tuis. Liberas ſeruos? Libera Chriſtũ fame,neceſsitate,carceribus,nuditate. Horres audiendo? Atqui iſtud magis horrendum eſt,quod nec hoc facis. Et ſi hic uerbo tantum obſtupefactus es,quando illo abieris, multoq; his grauiora audieris, uiderisq; tormenta immedicabilia, quid dices? Ad quem confugies? Quem implorabis auxiliatorem ac adiutorem? Abrahamum? Sed nõ audiet. Virgines illas? Sed neq; ipſæ,tibi de oleo ſuo dabunt. Patrẽ implorabis aut auum? Sed neq; horum quiſquam,etiam ſi vehementer ſanctus fuerit, ſententiam illam iudicis ſoluere poterit. His itaq; conſideratis omnibus,eum qui ſolus chirographum tuum delere,flammamq; illam extinguere poteſt,ſuppliciter uenerare & obſecra, propitiumq; redde. iam ſcilicet illum continuò,& paſcens,& ueſtiens, ut & hinc bona ſpe abeas, & illic conſtitutus æternis perfuare bonis.

Sed dum hæc diſcutio teſtamenta, neſcio quomodo a Hyacinthi memorabili teſtamẽto digreſsi ſumus, quod antequam uobis explico; reficite quæſo animos,renouate iucundam memoriam, ſtudium illud veſtrum audiendi renouate,ut hæc pauca ſed maxima,& ingentes veſtris profectibus fructus adferentia diligenter velitis attendere. Exẽplum itaq; Patris ſui Dominici ſecutus Hyacinthus,monumento ſempiterno, hæc extrema uerba, in ſuorum cordis inſculpta eſſe voluit. Dolorem quem ex meo a vobis ſeceſſu ſuſtinetis, ò mea uiſcera,grauẽ eſſe, non poſſum diffiteri. Quod me unice coluiſtis,quod ſupra ueſtras animas,me indignum licet ueſtris amoribus complexi eſtis,quod omni ueneratione mihi obſecuti eſtis;quod religionẽ, & pietatem,& cœleſtium ſtudium,ex meo hauſiſtis pectore, fateri neceſſe habeo, & ſumma laude vos eſſe dignos, dignos & glorioſo laborum fructu cenſeo. Rogatos igitur vos omnes uellem,ò mei dulcíſsimi filij, ne ſemel à me acceptam viuendi normam,uel relinquatis, uel flagitijs turpiter

Teſtamentũ S. Hyacinthi.

z con-

contaminetis, illud potius ſumma contentione adnitamini, nulli ut labori parcatis.non ardua, non difficilia, non ipſam denique mortem paueatis, ubi cauſa religionis & pietatis ſufferendum eſt aliquid. Magnū eſt ſcio, religionem profiteri; pręclarum, vt ſecūdum profeſsionem viuas, labores contentionesq; ſuſcipere; vitam & ſalutem ob pietatis cultum, in apertum offerre periculum, quia inuſitatum, inuſitatos promeretur honores. Ob oculos veſtros delineatam, Patriarchæ noſtri uitam contemplamini. Contemplamini & ampliſsima illa Regni cœleſtis præmia, quæ uobis parata ſunt. aſpicientes & in auctorem, & in fœliciſsimum finem, pergite quo cæpiſtis animo, ad ſummū ſanctitatis culmen. Inter cætera quæ a Patre meo accepi, hæc ego quoque uobis, in ſempiternum memoriale relinquo. HVMILITATEM ſeruate, charitatem mutuam habete, paupertatem uoluntariam poſſidete. Hoc eſt teſtamentum æternæ hæreditatis; hoc ego pro benedictione uobis concedo. Nō uobis opto, illa quæ Iacob Patriarcha ſuis filijs; nolo ut ex uobis aliqui, habitationē in littore maris, & in ſtatione nauiū uſq; ad Sidonem, ſed habitationem illam cęleſtem obtineāt. Nolo uobis terrenam, ſed ſupracœleſtem requiem concedere. cupio vt in hac peregrinatione, in perpetua contentione, & poſt uitæ curſum in quiete beata requieſcatis. & eloquia ſpecioſa fucata, & pinguedinē panis, & benedictionem cœli & abyſsi, & benedictionem uberum & uteri, uobis non eſſe expoſcendam arbitror. Benedictio Dei omnipotentis, deſcendat ſuper animas ueſtras, & maneat ſemper. Cæterum quod ueſtrum dolorem attinet, nolite filij chariſsimi flere ſuper me, quia craſtina die, Dn̄o me uocante, trāſiturus ſum ad Patrem. Gaudete potius, & mecum cōgratulamini, quod mihi viuere Chriſtus eſt, ſed mori lucrum. diſſolui enim cupio & eſſe cum Chriſto. Quod ſi uobis magis, quam mihi timetis? æquiore animo eſtote. ego enim ex iſto corporis miſerrimo carcere, Diuinæ voluntatis nutu expeditus, cum ea libertate ac fœlicitate fruar, quam nulla vnquam temporis circūſcriptio metietur, ex altiſſimo cęlorum domicilio, ubi fidei remoto & retracto uelo, cum incredibili gaudio Deum præſentem intuebor; tanto melius uobis, qui in terra morabimini potero opitulari, quāto poſt obitum, cum illo perenni bonorum fonte coniunctio erro. Magnum & intolerādum dolorē tūc, ex eius futuro obitu capiebant fratres, qđ uiderent Poloniæ decus, & orbis terrarum clariſſimum lumen extingui, imò uero terris eripi, cęleſtibus reddi. Inenarrabili luctu omnes commoti, totum illum diem & per ſubſequentem noctem obſeruabant virum Sanctum. Nunquam ab eius latere, nunquam ab eius pedibus ſe aliqua ratione diuelli patiebantur. oſculabātur ſacratas manus,

nus, alij uerbum aliquod ſalutis, ex ore ipſius audire; nonnulli beneficia a Deo opt. per eius merita obtinere petebant, quidam pro negligentijs commiſsis præcabantur, ut eis miſericordiam Diuinam imploraret; omnes autem circumſtantes ex vultu ipſius penduli, quid deſideraret, quid vel ſaltem innueret aduertebant. Pietatem & in Patre & in filijs tantam, cui nullum uerbum par inueniri poteſt, videres; dũ iſti obſequerentur, ille obſequia beneficijs cęleſtibus ſe relaturũ ſponderet, illi Patrem, & Pater uiciſsim iſtos, ſeſe mutuo utrinque & complectebantur, & Deo commendabant, & ſolabantur. Iam media nox in ſuo curſu tranſiens, ad ſilentium ſæculo deditos homines, ad laudes autem Deo cantandas religioſos vocabat; Hyacinthus iam prope mortuus, vrgente acerrima infirmitate, non ſe in cubiculo continere potuit. Laborantem prohibebant fratres, ne illa contentione mortem ſibi celeriorem accerſiat: quibuſcunque poterant uerbis SS. ſenem morbo intabeſcentem, ad quiet ẽnocturnam reuocare. At nihil profecerunt; reſilijt ille è lectulo (audite, o rem nouã & inſolitam, o facinus admirandum & inſigne) nemine nixus. ſolo Diuino auxilio corroboratus, in Eccleſiam, media nocte, ad matutinas laudes Deo occinendas (vt conſtanti traditione a Patribus accepimus) proceſſit. Admiratione defixi obſtupeſcitis? Nihil eſt: accipite maiora. Perſolutis matutinis Sacris, cum morbo magis, ac magis præmeretur, non expectat Patrum conſilium, non illorum admonitiones, non cuiuſcunque uocẽ præſtolatur; cum quotidie Sanctiſſima exomologeſi, peccata ſua expiare conſueuiſſet, vocat Sacerdotem, & in Eccleſia, genibus flexis, ſummo cum dolore, totius vitæ ſuæ rationem illi reddit, animoq; perpurgato ac delictis ſoluto, iubet, ut ad maiorem templi aram, Sacratiſſimum ſacrificium celebraretur. Cui dum aſſiſteret, quas lachrymas illum profudiſſe? quo deinde exultaſſe gaudio? quo animi ardore viaticum peregrinationis ſuæ exoptaſſe? Quibus precibus ſuam Deo commendaſſe animam? Quas obſecrationes feciſſe putatis? Vos ipſi poteritis conijcere. Aderat tempus, quo iam Sacratiſſimo Corporis Domini noſtri pabulo refici deberet ad aram ille; debilitatus licet morbo fuiſſet cõſcendit. Illic primum in terram proſtratus, Deum Altipotentem humili corpore & animo adorauit: deinde obnixè Centurionis orationem repetijt: Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum. Tamen ſi non dedignaris meum hoſpitium, ne tranſeas oro famulum tuum. Hic in lachrymas effuſus, tundens ſenile pectus, ſacratiſſimum Domini corpus, & cũ fletu eiulatu ſumpſit viaticũ perneceſſarium, ad illud iter extremum, in cœleſtem patriã conficiendum. & quod mirabilius eſt, in Eccleſia, ante altare, illo ipſo die, quo

Mors S. Hyacinthi

P migra-

migrauit è vita. Viuo & immortali pane corroboratus, ſuo vaſculo
oleum ſanctificationis infundi, Eccleſiæ. S. Orthodoxæ vnctionem ex-
tremam poſtulat, & ante gradus altaris, admirabili tranquillitate men
tis & corporis, eandem recipit. eam vt recepit, horarias preces cum fra
tribus ibidem prout poterat recitauit. Diligenter & pie tunc illi om-
nes famulabantur, hic crucem ante oculos, ille SS. Deiparæ Virginis
imaginem tenebat; alter aqua ſacrata reſpergebat vicinum locũ, alius
pſalmos cæteraſq; preces ei inſinuabat. Cum iam tempus aduenirer,
quo reddere deberet illi animum, a quo eũ acceperit, in ſua cordis, ora-
tionis, vultus æquabilitate & conſtantia perſeuerans, oblitus res hu-
manas, ſubito ſe ad Deum conuertens, in Ieſum noſtræ ſalutis auctorẽ
& conſeruatorem cruci ſuffixum, oculos auide defixit; ipſius vulnera
exoſculatus, oſculata & Virginis imagine, Crucifixum manu dextera
corripuit, Sacratimæ Virginis opem implorans, tametſi cum deficeret
ſpiritus, voces illas Pſalmi repetens: *In manus tuas Domine, commendo
ſpiritum meum*; animum ſuum è corporis ergaſtulo fugientem; auctori
& creatori ſuo commendans, obſtupeſcentibus magis, ac magis ſenſi-
bus, hebeſcente toto corpore, interclusa anima, peranguſtis terrenæ,
atq; aridæ cuſtodiæ cancellis, diuina miſericordia patefactis, ad lucem
ſempiternam, & ampliſſimos, æternoque uere florentiſſimos cœleſtis
beatitudinis hortos, atq; ad Deum fontem viuum, inexplicabili & pe-
renni dulcedine affluentem, e tenebris emergens euolauit. Quæ tunc
lamenta aſtantium fratrum? Quæ uero lætitia ſupernarum mentium?
Quas tunc lachrymas fudiſſe putatis Cænobitas illos, ubi Patrem illũ
exanimem aſpexerunt, cuius ſuauiſſima conſuetudine, tanto tempore
vſi, cuius beneficio in uiam ſalutis deducti ſunt? Quem dolorem &
gemitũ, ex immo corde traxiſſe cenſetis? An non uocibus mæſtiſſimis
omnia tunc compleri audires? O quis te nobis eripuit ô Pater opti-
mè? Quæ mors iniqua ſuccidit flagrantiſſimum florem? O quantam
ſuſtinemus iacturam? Quo nos uertemus? Quis in rebus dubijs nos
ſuo iuuabit conſilio? Quis animos labantes firmabit? Quis noſtras
mentes, ad ſanctitatem acriter incitabit? O nos infœlices, o uitæ hu-
manæ conditionem duriſſimam. Cui nos tandem orphanos, in cu-
ſtodiam & tutellam reliquis? Quem præſidem nobis deligemus, in
quo uirtutum omnium theſaurũ, ſic Deus repoſuerit? ¶ Eiulatu qui-
dem & ſingultibus tecta Eccleſiæ & Cænobij, ſed lætitia immenſa
Paradiſi Cæleſtis incolæ replebantur. Ferebantur lætitia, quod
aſpicerent uenuſtiſſimum quendam florem, de deſerto mundi, in hor-
tos deliciarum transferri, & in uas pulcherrimum inſeri. Exultabant
quod intuerentur lapidem pretioſiſſimum, de cœno mortalita-

tis

tis erutum, in perennes theſauros, dicam in annulum dexteræ manus. Diuinæ repont. Lætabantur gaudio magno, quod viderent, Hyacinthum ampliſſimis gratiarum muneribus ornatum, reſplendentem inſolito lumine; tetrum relinquere carcerem, & in lucidiſſimas ſedes tranſire. Non hic ſimulachra aliqua, aut ſpectra horribilia, non furiæ teterrimæ videbantur; ſed Cœleſtes exercitus, certatim è cœlis delapſi, alij quidem vocibus ſuauiſſimis lætitiam ſuam teſtabantur, concelebrabant laudibus Deum Opt. quod eorum vota compleſſet, quodque Hyacinthum e ſæculo nequam rapuiſſet; attollentes quoque laudibus Hyacinthum, mirabantur, & occinebant. Quis eſt hic, qui è Gentium ſolitudine & rure, venit tot ornamentis excultus? Quis eſt iſte, qui inſtar Solis fulgidiſſimi, noſtris oculis apparuit? Quis tanto ſplendore corruſcus, qui iucundiſſima luce noſtros irradiat oculos? O fructuosè ſuſceptos labores. O ſalutares cogitationes. O exercitationes optimas. Nunc intelliges, quænam ſit voluptas in immortali cœleſtium concilio, æterna perfrui gloria. Ingredere tandem in Domini delicias, aſcende non plus in myrrhæ & thuris, ſed in ſempiternæ fœlicitatis montem. Hinc demum alij, puriſſimam animam ſuis copijs circumcingentes ſubſequebantur, alij præibant. Aderat & Sanctiſſima Deipara quam vnicè dilexerat, immenſo lumine effulgens, cum virginum innumero comitatu. Aderat & Stanislaus martyr, Cracouienſis Eccleſiæ Antiſtes. Beata quidem virgo Maria, ad manum ſiniſtram deducebat Hyacinthum, ad ſupernam Cœlorum Domum, occinentibus Angelis incipiens. *Ibo mihi ad montem myrrhæ.* Quam cantionem, cœleſtes cantores, nouenis choris proſequebant; Staniſlaus vero Pontificalibus indutus, voce iucunda ſimiliter decãtabat. *Lux perpetua lucebit ſanctis tuis Domine.* & perficientibus Angelis, cum magna luce, ſuauiſſimoque beatorum ſpirituum cõcentu, glorioſum Hyacinthum ad immortalem gloriam deducebat. Prædicent nunc alij Lazaros, manibus Angelicis in Abrahæ ſinum delatos; attollant alij Catherinas in montem Synai, per beatos ſpiritus deductas; iactent alij Martinos è terris ad Cœlum, per mentes illas fœlices eleuatos; celebrent plerique Hieronymos, in luce fulgenti ad lucem ſempiternam deuectos. noſtrum Hyacinthum, non ſoli Angeli non ſoli ſpiritus immortales, ſed & ſpiritus immortales, & S. Præſules, demum & Regina ſanctorum omnium, Sole ſpecioſior, omnium gemmarum irradiata fulgoribus virgo & mater Dei, Imperatrix Orbis, altior Cherubinis, ſuperior Seraphinis, in occurſum Hyacinthi, vſque ad Eccleſiam SS. Trinitatis proceſſit; egredientem Hyacinthum in amplexus excepit, oſculata eſt, & cum ingenti Angelorum, omniumque Cœleſtium iubilo, fœli-

Gloria S. Hyacinthi

Hæc omnia uidit Ioan. Francisca Epiſcop. Cracouienſis, & quædã Sanctimonialis.

ua & lætabunda, ad Stellatum domicilium traduxit, atque Diuino ſolio ſtitit. Hic eſt, inquit, meus dulciſſimus Hyacinthus, qui me ſummo amore proſecutus eſt. Hic ardentiſſima incenſus cupidine, tota mentis contentione, veſtra perſecutus eſt mandata. Hic mira pulchritudine virtutis, multos ad pietatis cultum pellexit. Hic in terris politus, cæleſtem conuerſationem amplexus eſt. Doctorem habetis & virginem; duplicem ille aureolam promeritus eſt. Eum vt aſpexit ſummus Orbis Imperator, nō eum amplius ad gradus ſolij aſtare, ſed ad ſe aſcendere iubet: Gaude, ait, fili, tui enim labores, glorioſum tibi pepererunt fructum. Opes neglexiſti, & omnia vitæ commoda contempſiſti, ne ius & fas aliqua ex parte violares? Nunc ornamentis verarum diuitiarum magnificentiſſime redundabis, ſempiternaque circumflues gloria; inſuper & iuriſdictionem in orbem terrarum habebis. Voluptates aſpernatus es, ne animum ulla turpitudinis labe inquinares? Cunctas impuritatis labes reieciſti, ne me quem incenſo amore dilexiſti, a te alienares? Sempiternis delicijs nunc fruere: intra in affluentiſsimam bonorum omnium ædem, & te quibuſuis voluptatibus explere perge. Naturæ blandimenta conſtantiſsimè repuliſti? Adblandiar ego nunc tibi; te ego in meas accipio manus, mecum in ſempiterna tempora verſabere, tecum ego ſuauiſsimos miſcebo ſermones. Virtutis viam aſperam & incultam ſecutus es, nec ab ea aliqua laborum magnitudine, aut dolorū acerbitate depelli potuiſti, ſed illius gratia omnia quæ rerum natura ad oblectationem profundit, inuicto animo reſpuiſti? Fidem vtilitati, voluptati caſtimoniam præpoſuiſti? Virtutis atq; pietatis nomē, communis uitæ emolumentis & honoribus antetuliſti? Nunc in ſempiterna fœlicitate, quæ nullo temporis momento diſſipabitur, quietem beatam obtine. Obtine & Regnum ampliſſimis honeſtatis ornamētis exцultum, & opibus Diuinis exaggeratum. Accipe & Imperium, cuius ſtatus nullis vnquam rebus, aut infringi, aut aliqua ex parte conuelli poterit. Doctoris officio egregiè functus es? Multos ad iuſtitiam, plurimos ad religionem uerbo vitæ pertraxiſti? Fulgorem hunc mirificum obtine, effulge tanquam ſplendor firmamenti, & uelut aliquod lucidiſſimum aſtrum, in meis orbiculatis manibus. Virginitatem, ſtudio vigilanti incorruptam & immaculatam conſeruaſti? Accipe corollam hanc ſummis decoris & elegantiæ luminibus illuſtratam, quam ego tuo vertici impono. Me ſolum prætœteris, ardentiſſimo deſiderio quæſiſti? Ecce ego te in manus meas recludo, ego te annulo manus meæ inſero, aggregare conſortio aliorum lapidum ignitorum. Manus meæ plenæ ſunt Hyacinthis, ſed rubicundo cruore nitentibus: tu varijs coloribus virtutum delineatus, in ſortē

corum

eorum annumerare. Manus meæ fulgeant,non roſeo tantum,ſed diuerſicolore Hyacintho. Quo tunc cumulabatur gaudio Hyacinthus? Qua lætitia geſtiebat? Quemadmodũ triumphos agebat? Qua exultatione extra ſe ferebatur, ubi cœlorum globos ſuis pedibus ſuppoſitos deſpiciebat? Quo animo erat, dum videret fœliciſſimo beatorum ſpirituum cætui,ſe annumeratum? ſe frequentia & ſplendore cœleſtiũ Ciuium circumſeptum,& Beatiſſimæ Deiparæ comitatu dignatum? Quæ tunc mens illi, cum Diuina luce colluſtratus, ſe forma quadam inuiſa, ad Dei participationem transferri aduerteret? Cum ante conſpectum Diuinæ Maieſtatis deductus, non iam oculis corporis,non in ſpeculo aut ænigmate,ſed facie ad faciem, ſed acie mentis æterno lumine illuſtratæ, præſtantiſſimam naturam Diuinam, omni venuſtate pulcherrimã cõtuebatur? Fauſtũ mihi illum diẽ,aiebat,quo ego adoleſcentulus mundo nuncium remiſi.Feliciſſimum illum diem,quo ego in iniurijs patiens,fortis in periculis, diligentiſſimus in cultu religionis,vigilans in mei cuſtodia, inflammatus in Dei amore extiti. Lætor vehementiſſime,me aliquando opes neglexiſſe,contempſiſſe vitæ cõmoda, naturæ blandimenta, & lenocinia voluptatum conſtantiſſime repuliſſe. Voluptatem ego ingentem capio,quod olim Dominico me in religione aſſociarim, quod aſperam & incultam ſequutus fuerim viam virtutis. quod ab ea, nulla vnquam laborum magnitudine, aut acerbitate dolorum depelli potuerim. Beatiſſimas illas cathenas, quibus ego præcinctus,ad veram libertatem euolaui. Fœlices contentiones,quæ tantam gloriam mihi pepererunt. Fœlices vigilias, fœlicem abſtinentiam,fœlicem & virginei floris candorem, quater fœliciſſimã ſanctitatem, quæ me tantis cumulauit bonis, quæ adeo precioſas corollas meo impoſuit vertici, quæ me Diuinis inſeruit manibus. Sed iam forte prolixior fui,quam inſtitueram. Quid modo remanet?Nihil aliud,niſi ut vos dilectiſſimi,ſummis precibus obſecrem. *Si* gloriæ Hyacinthi participes eſſe deſideratis,Hyacinthi merita complectimini;labores & contentiones Hyacinthi ſuſcipite. Ardentiſſimo ſtudio & contentione, libidinem ille profligauit? Corporis igitur integritatem veſtri, non libidine flagitioſa commaculate. Nulli dolores acerbi; nulli,maximi licet labores Hyacinthum,aut frangere,aut debilitare poterant? Ne propter minima mala, a virtutis & fidei conſtantia deſciſcite. Nihil appetiuit aliud,niſi vt opibus Diuinis, atque ſempiternis affflueret? Omnia vitæ cõmoda,naturæ omnes blanditias & voluptates,opes terrenas,voluntatem poſtremo ſuam a ſe repulit,ut cœleſtibus potiretur bonis?vos commoditatũ veſtrarum obliti,cupiditatibus crucem defigite,uoluntatis temeritatem comprimite,omnia ve-

ſtra ſtudia in pietatis cultum conferte, nihil uobis amplius cum libidine & impuritate, & flagitijs, & terreſtribus bonis futurum iudicate: Nō aliud uobis proponite, quam ut charitatem & iuſtitiam, & Dei ſpeciem, atq; formam referre; labores & dolores pro ſanctitate iuſtitiæ ſuſceptos patienter tolerate; Se totos in ſumma, ad imitationem Hyacinthi componite, ſi opibus ſempiternis perfrui, ſi ad cœleſtem euolare patriam, ſi manibus Diuinis tornatilibus inſeri concupiſcitis. Quod nobis omnibus concedere digneris Saluator mundi Deus, qui Hyacinthum glorioſiſsimum ſempiterna exornas fœlicitate. Amen.

# MICHAELIS ROII,

## CAESARAVGVSTANAE ACADEMIÆ PROFESSORIS.

## In laudem Sancti Hyacinthi Epigramma.

*NVNC ego te florem dicam, nunc eſſe negabo*
*Quod tibi ſit floris, flos quod habere nequit*
*Illico marceſcit, viridi flos lectus in agro,*
*Cum maneas idem, Flos potes eſſe? nego.*
*Flos es, flos & eris, fragrans virtutis odore*
*Qui viget, & ſimili permanet vſque modo.*
*In cælis Hyacinthe micans, vbi Sanctus haberis,*
*Flos rutilans caſtæ virginitatis eris.*
*In terris autem iacuit cum informe cadauer*
*Cùm Lacheſis vitæ conſcidit atra viam.*
*Viſus es aſſiduo ſtulto flos aridus orbi*
*Qui citius areſcens, ut roſa verna cadit.*
*Id tamen abnuerat* CLEMENS, *ſapientia cuius*
*Prædicat hunc florem cælitus eſſe datum*
*Flos fuit in vita, fructus qui emiſit amænos,*
*Doctrinæ, fidei, ſimplicitatis erant.*
*Poſt mortem vero, variè miracula pandens*
*Sanctus cum Sanctis vberiora tulit.*
*Ergo Hyacinthe Pater, rerum iam fama tuarum*
*Floreſcat, vigeat, ſydera celſa petat:*
CLEMENTEM *clemens teneat clementia Diuum*
*Qui te inter Diuos ſanxerit eſſe ſacros*
*Laurea certa tibi, ſed laus debetur vtriq;*
*Quo modo perfrueris, fac tribuatur bonos.*

# IN S. HYACINTHVM POLONVM

## CONCIO LAVDATORIA OCTAVA.

*Miracula à Sancto* HYACINTHO *perpetrata recenſens.*

Sapient. 1.

QVI Primus Sanctorum fœlicitatem, Symbolo manuum Dei expreſſit; is & gloriam, & poteſtatem, ſiue qua in cæleſtibus Regnis, ſiue qua in militante Eccleſia potiuntur, adumbraſſe mihi viſus eſt, quod ait. *Iuſtorum animæ, in manu Dei ſunt.*[1] Manus Diuinæ ſunt, velut promptuarium quoddã inexhauſtum, omnis eius boni, quod quiſque recte expetere poteſt. Aperit. n. ille manum ſuam, aiebat Pſaltes, & implet omne animal benedictione. quod Sancti vita functi, in illa cæleſti domo, omnium bonorum participio perfruunrur; rectè prolatum eſt. *Iuſtorum animæ, in manu Dei ſunt.* Q. d. Illorum mẽtes, qui virtutis & pietatis ſtudio, in hac vita inſignes extitere, eo in loco & eo in ſtatu repoſitæ ſunt, in quo nihil cogitare, nihilve concupiſcere poſſunt, quod eis benignitate Diuina non concedetur. In manu. n. illa ſunt, ex qua & vita, & opes ampliſſimæ, & honeſtas præclara, & ſummus decor, & pulcherrima animi ornamenta, & corona ſummis elegantiæ ſplendoribus illuſtrata, & voluptas ſuauiſſima, & in ſumma, omne bonum promanat.[2] Manus Dei omnipotens, huius eſt virtutis vt docebat Saluator, quod nullus eſt qui audeat rapere aliquid comprehenſum ab ea. quod *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt*; deſignat ſempiternam fœlicitatem, quæ nullo temporis momento diſſipari, nulla vi, nulliſque fraudibus eripi vel labefactari poteſt. Præcellentis. n. Domini manu, cura, ſtudio, vigilãtia, & patrocinio conſeruantur, ita vt nullomodo poſſit eorum ſtatus infringi, aut aliqua ex parte cõuelli.[3] Manus Dei, ut Moyſes cecinerat, glorificata eſt in fortitudine, quod ſcilicet percuſſerit inimicum, quod aduerſarios depoſuerit in multitudine gloriæ, quod ſubmerſerit Pharaonem, cum curribus & equitibus eius, quaſi plumbum in aquis vehementibus. quod nullum ſimilem in fortitudine, non in magnificentia Sanctitatis æqualem, non in faciendis mirabilibus parem aliquem habuerit. dum *Iuſtorum animæ, in manu Dei ſunt*, virtus & poteſtas eorum exprimitur, quod per eos ac inſtrumenta quædam (omnia. n. agentia creata in Dei manu, inſtrumentorum vices obtinẽt) admiranda

da opera mirabilis Deus efficere dignatur: quodq; illi multa ad noſtram & corporis & animæ ſalutem accommoda perpetrare, quod proſternere teterrimum Dæmonem, phalanges eius uel deijcere uel diſſipare, glorioſa de hoſte reportare trophea, vndas tumẽtes calcare, hos fame, illos metu atq; terrore emortuos recreare, illis venas fontis uitæ è duro ſilice educere, Solis curſum remorari, aquarum limpidũ candorem in ſanguinem commutare, mortis inexorabile Imperium reuocare, naturæ iura & leges perrumpere, illa deniq; omnia quæ exiſtimationem cuiuſque excellunt, & quæ uires naturæ, ſiue infimę ſiue ſupremę creatæ ſuperant, efficere poſſunt. Si et enim ſcalptrum in manu artificis, plurima pręter naturam ferri operatur. & cęlare ſiquidem per illud & ſculpere quamuis figurã artifex dicitur. Si virga in Moyſi manibus, tot tantorumq; mirandorum effectrix extitit. illa ſiquidem & cinifes, muſcas, ranas, locuſtas, tonitruaq; produxit, & aquas vel in ſanguinem vel in ſaxa ingentia commutauit, & mare Erithreum diuiſit, & populum per viam traduxit aquarũ inuiam & laticem vitalem è duro elicit ſilice. Si ſudarium in manibus, & ex manibus Doctoris gentium, languores innumeros curabat, imo & teterrimos a corporibus obſeſſis depellebat Dæmones. quid non poterunt Sancti Dei, qui in illius manibus ſunt, qui Artifex eſt cunctorum? Quid non efficient Sancti, qui in manu eius continentur, qui Moyſi virgam prodigiorum effectricem, qui Paulo virtutem miraculorum contulit? Efficient proculdubio longè maiora, atque mirabiliora. Nihil erit quod eorum virtuti obſiſtere, aut repugnare queat. Non terra, non mare, non ſubtilis aër, non flammantes ignes, non quoduis animantium, non quod oculis conſpici, aut mente concipi poteſt, non viſibiles & inadſpectabiles creaturæ, non denique mors ipſa inexorabilis. non, ſi etiam vniuerſa conſpiret natura, eorum potentiam perrumpere vel eneruare poterit; & terræ & mari, & aeri, & igni, & animantibus, & cęleſtibus aſtris, & Angelicis virtutibus, & Dæmoni, & morti, inſuper & naturæ imperare poſſunt. Super hæc.n. omnia poteſtatem acceperunt. Omnia iſta inferiora pedibus eorum ſubiecit Deus. Et qui tribus digitis complectitur Orbem terrarum; qui præter atq; ſupra modum, ordinem, & numerum rebus inditum, in Orbe plurima & ea ineffabilia manibus ſuis operatur; quod Sanctos in manu ſua circumgeſtare dicitur; per eos multa ſtupẽda, præter & ſupra naturæ pfixas leges, perpetrare non deſiſtit. Quis vnquam iudicaret, vt mortui Prophetæ cadauer fętidum, quidpiam ſupra naturam admirandum, operaretur? Quis nam vel ſuſpicaretur, ut mortuus, mortis implacabile fatum effringeret? Cuinam in cogitationem ueniſſet, ut homo ſepulturæ datus alio-

Sancti miraculorũ opifices.

Q rum

rum animas è faucibus inferni eripere, & rurſus corpori reſtituere poſſet? Operatus eſt tamen multa prodigia, perfregit iura mortis, naturæ leges uniuerſas prætergreſſus eſt: à priuatione ad habitum, à morte ad uitam, ab inferni portis, ad lucis huius uſuram, mortuos reuocauit. Clara eſt hiſtoria Eliſæi Prophetæ, qui & poſt mortem mirabilia perpetrauit. Recenſet liber Regum, quod cum mortuus atq; ſepultus eſſet Eliſæus; latrunculi de Moab uenerunt, in terram in ipſo anno. Quidam autem ſepelientes hominem, uiderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in ſepulchrum Eliſæi; quod ambulauit, & tetigit oſſa Eliſæi, & reuixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos. Magnum eſt quod aliquis uiuens, uiuenti ſed aliquo morbo tabeſcenti ſuccurrat; maius erit ut demortuum ad uitam reuocet: quantæ igitur potentiæ cenſebitur eſſe, ut mortuus, mortuum à morte liberet? Fecit tamen illud Eliſæus Vates, ſolo contactu cadaueris ſui, alterius cadauer a corruptione liberans, ad uitam reuocauit. Non eſt magnum uires humanas, quæ natura perfringi poſſunt exſcindere; de natura autem, & de morte ipſa quæ omnia ſuperat, & conficit, & conſumit, mortuum uictoriam obtinere, id demum ampliſſimum eſt & excelſum, ſempiternaque memoria celebrandum. Obtinuit tamen victoriam Propheta, obtinuit & noſter Hyacinthus: ne morte quidem quæ oĩa delet, potentia Hyacinthi diminuta eſt, quin potius in morte glorioſa incrementa accepit. Iuſtorum. n. animę, in manu Dei ſunt; Deus aũt in manibus ſuis, claues mortis & inferni defert; Deus manibus ſuis portas inferni reſerat, & inde animas vita functas educit, atq; vinclis naturæ corpori rurſus colligat: Deus manibus ſuis mortẽ, ac leonẽ quendã truculentum diſrumpit, & de faucibus ipſius captiuos eripit, atq; in vitam reſtituit. quidni & ſanctus Hyacinthus, qui in manibus Dei eſt, hæc eadem glorioſa facinora obeat? Quidni & Hyacinthus, cum Diuinæ manus tornatiles aureæ, plenæ ſunt Hyacinthis? cum ille annulo digiti Diuini, *in quo Deus eijcit Dæmonia, quo mutorum linguas diſſoluit, quo ſurdorũ aperit aures, & quo alia innumerabilia ſtupenda perpetrare dignatur*, inſertus ſit? Quia Diuinæ manus repletæ ſunt Hyacinthis; manus autem Diuinæ ſunt velut Orbes aurei, omnibus mobilibus mobiliores, & a fine & vſq; ad finem Orbis terræ omnia contingentes, mirabiliaque omnia operantes: illa parte qua Hyacinthis plenæ ſunt, ſi quempiam attingerint; Si Diuinas manus Hyacinthis diſtinctas, quiſpiam ſua oratione ad ſe pertrahere contenderit; ſi Dei potentiam per Hyacinthi merita inuocauerit, ſi Diuinã manũ cũ Hyacintho, vel Hyacinthum cũ manu Diuina, in ſuũ auxiliũ cõpellauerit; aderit illa & ille. Si contigerit aliquem manus Diuina, continget & Hyacinthus;

4. Reg. 13.

ſi

ſi auxiliabitur alteri manus Dei, auxiliabitur & Hyacinthus; ſi Dei digitus, ſanitatem, gratiam, vitam, & miſericordiam alicui conferet; ſi alicuius auriculas diducet, vel linguam diſſoluet, vel aqueum depellet humorem; ſi alterum luce ſuauiſſima, alterum diuitijs, prole fœliciter optata alterum donabit; ſi illum a febre ardentiſſima, illum à colica paſſione, hunc a paralyſi, illum ab epylepſia liberabit; ſi hunc a tumulo excitabit; ſi miſerè colliſum & conquaſſatum, & integritati & vitæ priſtinæ reſtituet Deus, reſtituet quoque Hyacinthus, liberabit & Hyacinthus, donabit itidem & Hyacinthus. Forſan potentia vobis eſſe videtur impoſſibilis, vel ſuſpecta voluntas? Sed diem ſepulturæ Hyacinthi, reuocate in mentem. deinde conijcite oculos ſiue ad tumulum eius glorioſum, ſiue ad memorias ipſius, toto Orbe terrarum renouatas; & voluntatem promptiſſimam, & ampliſſimam poteſtatem miraculorum patrandi Hyacinthum obtinuiſſe, illumque in mirandorum opificio, infinitos prope ſanctos, poſt ſe longo interuallo reliquiſſe, clarius meridiana luce vobis conſtabit. Declarauit ille ſemper, & declarare non deſiſtit, rebus mirabilibus & nouis, quæ ei facultas ab omnium donorum largitore Deo conceſſa ſit. Quantum cordi ipſius ſit iuuare egentes? Qua ſuccenſus charitate ardeat erga ſuos deuotos? demonſtrare contendit auxilio, quod multi ad ſepulchrum, vel ad memoriam ipſius accurrentes implorarunt. Senſerunt Hyacinthi opem, non duo vel tres, vel centum, vel mille, ſed infiniti, opem Hyacinthi aduocantes. Senſerunt illi qui vel febre æſtuque iactabantur, vel diſſenteria ſoluti, animam cum ſanguinis fluxu deperdebant, vel epidymia vexabantur, vel a dæmonibus miſerè diſcruciati peribant. Senſerunt cæci, claudi, paralitici, leproſi, membris ſauciati, alijque plurimi, qui cum in pharmacis medicorum, nullam ſanitatis recuperandæ ſibi ſpem eſſe repoſitam viderent, inuocatione Hyacinthi, non modo leuabantur & leuantur, ſed etiam ſani penitus fiebant. Senſerunt & iam iam ex mortuo corpore fugientem animam perſequentes, iamque animam in vltimo agone ſpirantes, ſenſerunt & in abyſſum profundam aquarum demerſi; advſque mortis potentiſſimum imperium, quin vſque ad inferni portas, aduſque Dæmonis teterrimas fauces, poteſtas Hyacinthi magnificata eſt. Senſerunt mortui præſentiſſimam opem Hyacinthi: e faucibus Dæmonis animas ille rapiebat, perrumpebat inferorum caſtra, & inde eductas corporibus ſuis reddebat. ¶ Et vt clarius perſpiciatis, quid ſtupendũ, Hyacinthus ſua interceſſione egerit, poſtquã vita functus eſt; vos ipſi exiſtimabitis, quando reuoluemus diem illum quo tumulo conditus fuit. Illa enim non minus admirationis, quam vita Hyacinthi ſanctitatis attu-

liſſe Orbi vniuerſo videbatur. Vos ampliſſimi Auditores, quò hæc mirabiliora videntur, eò meliore animo meam ſermocinationem percipere conuenit; neque verborum magnifico apparatu, non varia & exquiſita dicendi copia, ſed omnia ſua magnitudine metiri. Ea enim pars mihi perſequenda & explicanda eſt, quæ Diuinum atque inuſitatum orationis genus efflagitat; Diuina ſiquidem & inuſitata ſunt omnia, quæ Hyacinthus Diuino præſidio fultus, per quadringentos circiter annos glorioſè patrauit. Audite obſecro, audite diligenter ipſa principia; iam hinc, omnium opinione præclara, & Diuino iudicio digna immortalitate facta, quæ geſsit poſt mortem, conijcere vobis ac perſpicere licebit. Poſtquam Deo ſpiritum reddidiſſe Hyacinthum, percepit populus Cracouienſis; non hic commemorabo concurſus infiniti populi, qui obliti ſui, obliti ſuorum, obliti familiæ, domo contineri nequibant; ſed ex omnibus plateis effuſi, gregatim ad SS. Trinitatis ædes properabant. Concurrebant non ex Vrbe ſolum, ſed & ex circumuicinis oppidis, caſtellis, vicis, videndi & deplorandi cauſa: paruuli, iuuenes, viri, & mulieres, ſenes, inſuper & Virgines pudicitiæ legibus cohiberi non poterant, omnes promiſcue aduolabant; nullius precibus, nullius auctoritate, nullius minis, non aliqua uel vrgentiſſima neceſſitate detinebantur, quin ad Hyacinthum, ſine ſpiritu & ſine anima in feretro decumbentem attingerent. Silentio hic inuoluam mærorem atque luctum vniuerſorum, quo ex morte Hyacinthi cuncti affligebantur: Impoſſibile enim eſt verbis conſequi, ingentem planctū, magnūque illū & intolerandū dolorē, quem ex eius obitu capiebant. Perſonabant plateæ atque viæ publicæ, eiulatibus miſerorū; ſingultibus replebāt oēs uicos paruuli, Patrē ſe amiſiſſe cōquerentes: uellebant capillos ſui capitis fœminæ; manibus implexis capiti, hinc & inde uolabant uirgines, lachrymarum fluuios profundentes; ſcindebant ueſtimenta ſua ſeniores, & cinere inſpergentes caput, quod imbres lachrymarum ſtillare nequirent, lamentabantur; pauperes, Orphani, pupilli, uiduæ, & omnium afflictorum egentium greges, capita ſua ad terram allidebant, ſanguineos ploratus, doloris uehementiſsimi indices, immo ex pectore trahentes uociferabantur. Vbi eſt noſter Hyacinthus, qui nos ſuis meritis, ex omnibus noſtris afflictionibus liberabat? Vbi eſt Pater pauperum? Quis caſus te nobis ſuſtulit? Quæ acerba fata, nobis te abripuerūt? Quę ſors iniquiſsima, te noſtris conſpectibus ſubduxit? O nos miſeros: o infauſtam Poloniam. Quis ſplendidiſsimis doctrinæ radijs, noſtras caligine obfuſas mentes colluſtrabit? Quis iuuabit noſtras præces, apud communem omnium parentem? Quis pro noſtris reatibus, miſericordiam implorabit Diuinam?

Quemnam Aduocatum, & mediatorem inter nos & Deum conſtituemus? Quis Deus nobis noſtrum nouellum Moyſen, pro noſtris animabus zelantem, noſque cum irato iudice conciliantem, è medio uiuentium excidit? O utinã, nos noſtra morte, te ò dulciſsimum decus a morte præſeruaſſemus. Quomodo tu ò acerba mors, exitium SS. Viri intentare auſa es? Cur iniquas in eum tetendiſti manus? Itane omnium noſtrum ſpes in eo defixas præcidiſti? Quis miſerebitur noſtri? noſtras quis ſolabitur anguſtias? Eheu qs noſtrũ Hyacinthũ, priſtino uitæ ſtatui reddet? Quis miraculorum opificẽ, miraculo aliquo nobis reddet? Augebat lugubres epicinias iſtorũ, familiæ Zegotarũ plãgor. Die quo funus SS. Hyacintho parabatur, nobilis quidam iuuenis Zegota nomine, pernici curſu in platea, quę à S. Floriano tulit nomen, equum agens, tandem furore illius deiectus in terram, & pedibus calcatus, toto colliſus corpore, miſere expirauit. Quid lachrymarum, matrem pueri putatis profudiſſe? vbi filium enormi caſu extinctum aſpexit? Quem fletum Patris? quem luctum & eiulatum familiæ? Quem ploratum & gemitus, ſororum occiſi iuuenis? Quem mærorem aſtantium? Dum viderent adoleſcentem olim ſpecioſum, tunc luto & fæcibus turpiter defedatum, fractis manibus & pedibus, facie horrendum in modum inflata, oculis è capite tantum non exilientibus, genis liuidis, dentibus excuſſis, capillis diſtractis, ex reliqua corporis parte cruorem largo amne fundentem, tetricam quandam non humanam præferre figuram? Quis eorum ploratus? quis dolorem recenſere, ne dicam exprimere poteſt? Vigebat tunc in eorum memoria, facinus illud ſtupendum, quod Hyacinthus paucis ab hinc annis, Viſlaum Przybiſlauium in flumine ſubmerſum, a morte ad vitam excitarat. Recenti voluebant animo, iuuenem alterum, Petrum, Proſcouenſem a Vandali tumentibus vndis abſorptum, quem ille, itidem vitæ reſtituerat. Hærebat in eorum mentibus, & ille tertius morte peremptus, iterum Hyacinthi precibus, ad lucis huius vſum admiſſus. Reuocabant nec ſine gemitu, miſericordiam & potentiam Hyacinthi, quod is inter mortales verſatus, quia oĩbus viſcera monſtrauit, quod egentibus lubenti animo ſubuenire ſemper contendebat, quod cæcis a natiuitate, lucem iucundiſſimam, paralyticis membrorum vigorem, aqueo humore diſtentis primam ſanitatem implorabat. quod claudos erigebat in pedes, febrium ardorem reſtinguebat, quod Dæmonis vires effrenes illas, & bacchantes refrenabat & retundebat, quod mortuorum manes ſæpe ab inferis euocans, morti inſultabat. Vbi eſt aculeus tuus? vbinam ſæua illa ingluuies? Hæc omnia probe tenentes, & ſæpe ſæpius inter ſe commemorantes, vbi iden-

Sepultura S. Hyacinthi miraculo illuſtrata.

identidem oculos, ad ſpectaculum quod ex ſe Zegota fecerat, conijciebat, largiſſimos lachrymarum ſanguinearum imbres emittebant dicentes. Vbi eſt noſter Hyacinthus, qui huic miſere perdito ſuccurrat? qui colliſa membra conſolidet? O quis hoſtis infeſtus? quæ Parca crudelis, Hyacinthi præcidit ſtamen? Quis noſtro Zegotæ amplius medebitur? Quis noſtrum Thaumargum a ſomno excitabit, qui hunc morte ſopitum adoleſcentem, matri ſoſpitem reddet? Succurre tandem noſtræ miſeriæ ò Deus opt. Si qua, prout maxima vos cura tenet mortalium, ò qui immortalitatis decus obtinuiſtis. Si non inanes, prout certiſſimæ ſunt pollicitationes tuæ ò Hiacinthe, quibus ſpondebas, Ego ex iſto corporis miſerrimo carcere expeditus, ex altiſſimo cœlorũ domicilio, tanto melius vobis qui in terra morabimini opitulabor, quanto poſt obitum, cum illo perenni bonorum fonte coniunctior ero. Si acceſſione beatiſſimæ charitatis, in patria cœleſti non imminuta, ſed maximum in modum amplificata eſt tua poteſtas, ſuccurre tandem SS. Pater tuo filio, teterrimo caſu colliſo. Succurre orbitati parentum; ſuccurre mæſtiſſimis tuis famulis: opitulare nunc tibi deuoto gregi, Quid hic expectatis? Forte ſpes iſtorum deluſas cenſebitis? Fallaces forſan promiſſiones Hyacinthi putatis? Audite mirandum, quod quidem a pauciſſimis Sanctis, legimus eſſe patratũ. Morte ſua, mortis iura diſſoluere cœpit. Ex illo dolore, quo diſcruciabantur parentes occiſi adoleſcentis, ad ſe aliquantulum reuerſi, ſpe maxima in Sanctum Hyacinthũ excitati: cum innumera multitudine nobilium, ac Ciuiũ, colliſi iuuenis cadauer ad Sepulchrum B. Hyacinthi, nunc, nunc ipſo die ſepulti, cum ingenti clamore, & lachrymarum effuſione portauerunt. Poſtquam Sancti viri patrocinium, ardentiſſimis precibus expoſtularant, cadauer mortuum tumulo ipſius, plena cum fiducia aduoluunt. Interim orationes ingeminant, ſingultus ex imo corde trahunt, Sanctum Hiacinthum compellantes obteſtãtur, per eam quam olim viuens habebat charitatem, obſecrantur, ne votis eorum deeſſe dignetur. Quid tum? Quaſi poſt vnius horæ interſtitium, cunctis adſpectantibus ſimulque vehementer & pauentibus, & ex pauore mirantibus, & ex admiratione lætitiam ingentem percipientibus, iuuenis qui erat defunctus, viuus & ſanus reſurrexit. Nullumque (vt refert hiſtoria) veſtigium aut colliſionis, aut mortis, ad vitam rediens, amplius vel perſenſit, vel monſtrauit. Sed morte ſuperata, membra quæ fracta fuerant conſolidata ſunt, compages compagibus copulatæ, ſuo loco omnia reſtituta, vulnera cicatricibus obducta, ſanguis qui effluxerat elutus, facies primo candori reddita, tumor ipſius depulſus, oculi inflati & extra propria organa expulſi, in ſua vaſa naturalia acres

&

& vigentes reuocati; liuentes genæ roſeo, rubore perfuſæ, euulſi dentes mox in ſuum ordinem redacti: omnia in ſumma ad natiuam pulchritudinem, ex ſolo contactu non quidem corporis Hyacinthi, ſed tumuli ſolius, redierunt. Inſigne fuit illud miraculum, quod viuens Antitheſis. Patriarcha Dominicus, Neapoleonem Cardinalis cuiuſdam nepotem, ex equo eliſum ad vitam reuocauit. Inſigne fuit & illud, quod vna ex Sanctæ Claræ familia, morbo inſanabili vexata, ex oſculo loculi Eliſabethæ Reginæ, ſanitatem perfectam recepit. Inſigne fuit illud quoq;, quod vnus ex Cœnobitis Foſſæ nouæ Ioannes, vtroq; orbatus lumine, itidem ex oſculo S. Thomæ Aquinatis iam demortui, viſum perfectè recuperauit. Stupendum fuit demum, quod paulo ante ex hiſtoria libri Regum recitaram de Heliſæo, qui mortuus ſui cadaueris cōtactu, mortuum ad vitam ſuſcitauit: ſed magis ſtupendum, & longe inſignius ego cenſeo Hyacinthi miraculum; cum longe maius eſt, mortuum cadauer, q̄ hominem viuētem; longe difficilius eſt lapidem inanimem, quam cadauer mortuum Sancti alicuius operari. longe deinde potentior eſt propria viuentis, quam aliena fides atque deuotio. Dū Patriarcha Dominicus Neapoleonē colliſum ſuſcitat, orationibus ad Deū fuſis ſuſcitat. tūba Hyacinthi ſuſcitans Zegotā nullas edit voces, non preces multiplicat, non Diuinā implorat opem. Dum vna ex Sanctæ Claræ familia, morbo inſanabili liberatur, oſculo loculi eliberatur; Zegota a morte liberatus, non videt feretrum Hyacinthi, non ſacram corporis glebam exoſculatur. Dum Ioannes vtrumq; lumen ab Aquinate recipit, ex oſculo faciei ſimiliter imprȩſſo recipit: recipit Zegota vtramque vitam, non tamen baſia Hyacintho figit. Suſcitatur mortuus quidam, apud Eliſæi tumulum, ſed ex contactu corporis Prophetæ: Zegota ſuſcitatur, ſed ex ſolius lapidis, qui Hyacinthum tegebat contactu. Quid hic primum demirabor? Tumbæ Hyacinthinæ, an vero Hyacinthi ipſius potentiam? Succiſus per mortem Hyacinthus, non emarcuit ille, quod cæteris communi ſorte contingit, ſed magis effloruit. In quorundam Sanctorum laudibus ſapiens ponebat, quod oſſa eorum pullularent de loco ſuo. Non ęmulamur Sanctorum Vatum ſepulturas; non eſt nobis neceſſe, Moyſis abditam Eccl. 49. ſepulturam quærere; non opus eſt terræ Sanctę ampliſſimas regiones Allegoria. perluſtrare; non duodecim Prophetarum tumulos ſcrutari; non ſpeluncam duplicem circumſpicere; non in glorioſis eorum monumētis, flores beneficiorum perquirere. Noſter venuſtiſſimus Hyacinthus effloreſcit de ſuo tumulo. PVLLVLANT DE LOCO SVO, Sacratiſſima OSSA HYACINTHI. Spirant illa ſuauiſſimum odorem, quem perſenſit nobilis Zegocius, poſtmodum Religioni Prędicatorū propter hanc

Odor & ſplendor emanant ex Sepulchro Hiacinthi lib. 2. de vita & mirac. S. Hyac.

fra-

ſragrantiſſimam ſuauitatem addictus. Venuſtatem quandam admirandam ex ſe producunt reliquiæ Hyacinthi,nō alicuius candoris terreni,ſed luminis cœleſtis. Viderunt S. Eremitæ, radios immenſi luminis, de tūba Hyacinthi,ac ſi de quodam ſplendidiſſimo Sole erumpentes,& caput,& pectus, & pedes Sanctiſſimi Hyacinthi colluſtrantes. Dæmones ipſi faſsi ſunt, coram Andrea Parcouio, Prouinciali Poloniæ,& coram multa adſiſtentium caterua, locum in quo S. Hyacinthi corpus quieſcit,vehementer ardere. Pullulant de loco ſuo SS. Hyacinthi oſſa;licet non patefacto ſepulchro,mira quadam ac Diuina ſuauitate odoris,nares deuotorum afflant; licet adhuc condita in ſarcophago,lumine tamen inſolito corruſcant; abſtruſa licet in tumulo, ignis cuiuſdam Diuini,ardentiſſimas exerunt flammas. Lectiſsimus noſter Hyacinthus, & in monumento reconditus, admirandos ex ſe producit fructus;Gemma illa pretioſiſsima,licet lapide obruta ſit,ſtupendas tamen virtutes operatur. Lapis enim qui Hyacinthum contexit, non contexit ſpem pauperum, non inopum præſidium,miſerorum perfugium,ſolatiumq; non operuit. Mortis licet ſoluerit tributa Hyacinthus,pauperibus tamen ille & inopis, & miſeris, & afflictis auxiliatur. Siue quis, fæditiſsimas huius mundi ſpurcitias abhorret? accedat ſepulchrum Hyacinthi, miram exinde percipiet ſuauitatem, & inter amænifsima roſaria ſpecioſiſsimosq; flores, ſibi verſari videbitur. Siue quis tenebrarum caligine cæca obfuſus eſt? aduolet ad tumulum Hyacinthi; & ſi non ad caput,ſi non ad pectus aſſurgat, ſaltem eius pedibus aduoluatur,fœliciſſimum intuebitur ex eius corpore promanantem fulgorem. Siue alter à Dæmone oppreſſus,truculento ipſius conſortio diuexatur?Monumentum Hyacinthi contingat,ignibus Diuinis ex ipſo emicantibus exuſtus Sathanas,in flammas inferni ardentes diſcedet, cœleſtes illas ex tumba Hyacinthi erumpentes ſuſtinere non valens. Siue quis optatos beneficiorum fructus percipere cupit? Oſſa Hyacinthi quæ de loco ſuo pullulant, feraciſſima ſunt omnigenæ vtilitatis; hæc complectatur,ab his omne quod recte deſiderauerit,carpere poteſt. Ad eam vſq; calamitoſam mortem,ſit licet deductus aliquis,quam Zegota? ad vitam redibit,ſi ſepulchrum Hyacinthi continget. Sed quid dico continget? Hyacinthi ſolum imploret auxilium,licet ſepulturam Hyacinthi non contrectet manib. Hyacinthi auxilium ſibi non defuturum,certo ſperet certius. Licet in remotiſſimis partibus a Hyacinthi tumulo,apud ultimos Indos, uel in extrema orbis terrarum parte,reperiatur quis a morte ipſa abſorptus: Hyacinthi patrocinium pro eo imploret quiſpiā,Hyacinthi oſſa quæ pullulant de loco ſuo,per totum orbem ſparſerunt poteſtatis ardorē;

Igneæ flāmæ & radij pullulant,de tūba S. Hyacinthi.

dico,

dico, Hyacinthi inuocatio, & a morte acerbiſsima liberabit. Roma Orbis caput, amplius quam mille trecentis milliaribus diſiecta eſt a monumento Hyacinthi, Romæ tamen, iam iam pene a morte abſorptos, ad uitæ huius vſuram reuocauit. Non grauabor referre, quod ſub annum Domini 1594. eo ipſo tempore quo SS. Hyacinthus, Cathalogo Sanctorum adnumerandus erat, non aliquis pagus, non oppidum, non Ciuitas, non tantum vrbs Romana, ſed in vrbe Roma, quaſi vniuerſus mūdus, pro ſolenni Canonizatione S. viri in unum collectus, proprijs aſpexit oculis, dum S. Hyacinthus ſuæ Sanctitatis illuſtriſsmum dedit ſignum. Tiberius Ceulus vir maximę authoritatis inter Ciues Romanos, grauiſsima infirmitate conflictabatur. Aderat, afflicto ſua vxor, omnia neceſsitatis officia ſedulo exequens. Nihil non faciebat, nullis parcebat ſumptibus, quo chariſsimum maritum, ab illa infirmitate ſubleuare poſſet. Omnes aduocarat Medicos, diuerſa & ea precioſiſsima coëmerat pharmaca. multis ac uarijs medicamentis perquiſitis, illius dolores, vel lenire, vel ſedare attentabat. Tantum ſtudij quantum uel poterat, uel neceſse uidebat, adhibuerat, ut ægrotanti marito ſalutem inuenire poſſet. Aſt omnia fruſtra. Poſt multas enim opes inſumptas, in dies magis, ac magis excreſcente peſtifero dolore, tandem ope medicorum deſtitutus Tiberius, ad extrema uitæ deducitur. Quod ubi perſenſit mulier, ac ſi ancipiti gladio confixa, in lamentationem, & eiulatum prorumpens, ſanguineis lachrymis ſuam infœlicitatem opplorare, os verberare ac pectus, vellere crines, in cœlum tendere ſupplices manus, Tiberij nomen implorare, de humana conditione lamentabiliter conquæri, uitæ inconſtantiam deflere, mortem mariti ſuam crucem appellare, Deum ac homines accuſare, ſe omnium fore infœliciſsimam uocare cæpit. Nullius audire conſolationē voluit, dum miſerabiliter agentem animam virum ſuum aduertit. Aliquo temporis interſtitio, in agone certabat Ceulus; mœrore perdita mulier, quid moliretur perpendebat. Tandem poſt multos ploratus, Sancti Hyacinthi nomen illi in animum incidit, cuius ſolennem apotheoſim breui tempore futuram eſſe perceperat. Mox in terram proſtrata, animo quidem mærenti ſed inflammato, cum lachrymis opem implorat ipſius, vota poſtmodum ei nuncupat; ſi ſcilicet ſuum virum, a porta mortis ad uitam reducere dignetur, quatuor in eminentioribus vrbis Romanæ locis, Hyacinthi imaginem depingere, ſacellum nomini eius magnifico ſumptu extruere, tot deinde ſacra in honorem ipſius perſoluere promittit. Illico (audite aliud ſtupendum & inuſitatum mirandum) ad uota Hyacintho ſpoponſa, & ad aures morientis, nomen Hyacinthi inclamatum, qui lecto decumbebat iamiam po-

ne ſpirans animam, repente ſurrexit, adq; Hyacinthi honorem vota nuncupata perſoluit. Sic miraculum deſcripſit Guilelmus Blancus, Graſſenſis & Vencienſis Epiſcopus, in ſuo Hyacintho.

*Ecce autem Sacra dum cuncta parantur in æde*
*Omnibus hic aliud maius, multoq; notandum*
*Obycitur magis, & trepidantia pectora firmat.*
*Romuleus ciuis, quem Ceulum nomine dicunt*
*Dum iacet ingenti correptus corpora morbo,*
*Et ſucco herbarum, & medica nequit arte iuuari,*
*Neſcius humano præſentem auertere mortem,*
*Auxilio, in cœlum languentia lumina tollit,*
*Implorans multis* HYACINTHI *numina votis.*
*Et ſubitò ſanos è lecto corripit artus.*
*Diditur is Romæ conſtans per compita rumor.*

Non defuit Hyacintho poteſtas ampliſſima, ad Sanctitatem ſuam maximis prodigijs illuſtrandam. Dum in cœleſtem Eccleſiam, inter illos beatiſſimos ſpiritus, a ſummo Antiſtite Ieſu Chriſto euehitur, mortuos ille ad vitam reuocabat; dum in militantem Eccleſiam, inter Sanctorũ numerum, a ſummo Ieſu Chriſti Vicario decernendus erat, morituros ille ad vitam reuocabat. Illo tempore Zegotam, hoc autem Tiberiũ Ceulum, ſuę Sanctitatis dedit obſidem. Mortuum illic recens mortuus ſuſcitat; pene iam demortuum hic, nunc nunc in Apotheoſim referendus, a porta mortis ad vitæ limen reducit. Sed nolim exiſtimetis, duobus his miraculis poteſtatem Hyacinthi, exhauſtam eſſe. Non his duobus limitibus concluſa eſt, ampliſſima virtus Hyacinthi, ſed longe lateq;, vt olim antequã Sanctorũ Cathalogo adſcriberetur, ſic & poſtquam adſcriptus eſt, per vniuerſum terrarum Orbem peruagata eſt. Cuperem vos omnes, in Hyacinthi magnificentiſſimum deducere ſacellum; demonſtrarem enim ego vobis, vt quondã CLEMENTIS VIII. Pont. Max. dum in minoribus conſtitutus, legationem fœliciſſimam apud Sigiſmundum III. Poloniæ Regẽ, Aedituus SS. Trinitatis indice prodebat, admiranda per Hyacinthum, per continuos circiter QVADRINGENTOS ANNOS patrata facinora. Sic ſuo ordine ex tabulis appenſis, declarabat ille, apud Graſſenſem Epiſcopum, quæ mortuus in terris fecit miracula.

Miracula quædam Hyacinthi a Reuerendiſſimo Vẽcienſi & Graſſenſi Epiſcopo elata.

*Adſpice Ioannem primæuo flore iuuentæ*
*Ingenti oppreſſum morbo; nec corpore toto.*
*Vlla vnquam apparent ventura ſigna ſalutis.*
*Calligant oculi ex morbo, occluduntur & aures.*
*Membra rigent, torpentq; manus & inutilis hæret*

Lin-

*Lingua, nec aſsuetas potis eſt expromere voces*
*Pro nato faciunt Hyacintho vota parentes,*
*Illius & ſpondent tumulo donaria ſacro,*
*Accipit optatam ſubitò puer ille ſalutem,*
*Amplius & morbi, non extant ſigna prioris*
*Igne micant oculi, patefiunt vocibus aures,*
*Priſtina vis membris redit, & facundia linguæ*
*Redduntur vota, & tumulo ſuſpenſa tabella*
*Ingens prodigium pictura & carmine ſignat.*
*Sdislao Comiti iuncta hæc matrona recumbit,*
*Et coram moritura videt cacodæmonas atros*
*Poſtquam autem ſupplex Hyacinthum in vota uocauit*
*Aduenit alma ſalus, & ſpectra inimica recedunt:*
*Altera, longinquis properat quæ fœmina ab oris*
*Spiritibusq; obſeſſa malis inſanit, & altum*
*Iactat vtroq; caput, plenis ſpumatq; labellis*
*Vix tumulum ſacratum Hyacinthi conſpicit, imas*
*Cum ſubito Dæmon Erebi deſcendit ad vmbras.*
*Vtroq; hæc autem clariſſima Martha parente*
*Articulos cui contundit nodoſa chiragra*
*Atq; ægræ dudum manui dolor ardet acerbus*
*Ecce ſalutare ad Sancti deducta ſepulchrum.*
*Illico ſuſtollit ſanas ad ſidera palmas.*
*Cæcilia hic verò tedas exoſa iugales*
*Cœnobioque ſacro triginta incluſa per annos*
*Dum dolet amiſſi lugens incommoda viſus,*
*Inuocat & multis Hyacinthi numina votis.*
*En oculos aperit cæca caligine pulſa.*
*Margaris auditu, & caro priuata marito.*
*Dum iacet in ſacro caput inclinata ſepulchro*
*Vel minimas voces, reſeratis auribus haurit.*
*Cracouiæ Ciuem cernis, cui vulnere acerbo*
*Confoſsum caput apparet, læſumque cerebrum,*
*Nec iam infœlici ſupereſt ſpes vlla ſalutis,*
*Protinus hunc virtus Hyacinthi maxima ſanat.*
*Ille autem addictus ſacris ortuque paterno.*
*Nobilis, auguſtum dum procidit ante ſepulchrum*
*Et pia fœlici fert ſæpius oſcula ſaxo.*
*Naribus vt patulis admirans captat, ab ipſo.*
*Qui tumulo latè Diuini afflantur odores?*

*Adſpicis hunc puerum, febris quem torret anhela*
*Qui tenues iam iamque animam diſpergit in auras?*
*Dum votum genitrix Hyacintho nuncupat, ęgro*
*Ille vocatus adeſt, & morbum corpore pellit.*
*En mulier, cuius dolor inteſtina perurit,*
*Quamque dies multos crudelia tormina vexant*
*Omnino expertem ſomni, potusque cibique*
*Confugit ad Sanctum, recipitque precata ſalutem.*
*Dobroslaua genus præclaro a ſanguine ducens,*
*Quæ iacet in lecto, diuerſis languida morbis,*
*Maternis votis, Hyacinthi & numine amico*
*Confeſtim inuiſo ſurgit ſanata grabato.*
*Ecce manus mulier binos ignara ſiniſtræ*
*Ipſa ſibi digitos gladio præcidit acuto.*
*Ad tumulum hos defert Hyacinthi: protinus illic*
*Natiuum ambo locum repetunt, palmæque cohærent.*
*Huc geminos nunc flecte oculos, hunc cerne labantem*
*Poplite ſuffracto qui claudicat, vlla nec illi*
*Dextera chirurgi quicquam, aut medicamina proſunt*
*Supplicibus votis, Hyacinthi numina poſcit,*
*Et rectis graditur pedibus, neque crura tremiſcunt*
*Margarin hanc cernis, quæ femina mortua reddit?*
*Et tumulo cunæ lachrymis & gaudia cadunt.*
*Illam etiam mortis circumſtant dira pericla*
*Nuncupat at ſupplex Hyacintho vota maritus,*
*Et proles extincta prius quam nata reſurgit.*
*Et fouet hanc magno genitrix erepta periclo.*
*Sed quia tantarum ſeries longiſſima rerum*
*Facta vetat paucis, percurrere plurima verbis*
*Cerne virûm denſos humeros, ora adſpice ſumma.*
*Redditur huic viſus, geminæ huic reſerantur & aures,*
*Redditur huic ſolitæ vocis deperditus vſus.*
*Huic abſciſſa manus, dentes huic ore reuulſi.*
*Gallicus hunc Italis exortus morbus in oris,*
*Linquit: & huic podagra, huic febris remouetur acuta.*
*Omnibus vna ſalus ægris, medicamen & vnum*
*Effugit hic, iam iam in media morte tenetur.*
*Conditus hic tumulo ſuperas euadit ad auras.*
*Iudice ſub duro tenebroſo hic carcere clauſus*
*Vxorem & natos detecta fraude reuiſit.*

*Fluctibus ereptus medijs hic littora tangit*
*Inque dies noua ſuccedunt miracula priſcis.*

Sic multiplicatus eſt numerus, factorum Hyacinthi, vt Camillus Balliaнus in compendium omnia redigens dixerit, quod Hyacinthus ſeptuaginta ſex iam morituris perfectam ſanitatem reſtituit; cētum & triginta quatuor, graui valetudine præſſos curauit; triginta ſex magno capitis dolore affectos liberauit; viginti duos vehementi dolore dentium afflictos ſanauit; quinquaginta, oculorum doloribus cruciatis, ex quibus nonnulli cęci erant lumen reddidit; triginta tres, gutturis, colli, linguæ & oris doloribus oppreſſos ad ſanitatem reduxit; tribus ſurdis auditum reſtituit; quadraginta duos pectoris, ſtomachi, & inteſtinorum doloribus languentes adiuuit; octoginta tres, pedum & manuum languoribus dolentes liberauit; quadraginta octo febribus vexatos, ſanos effecit; ab octo, cęliacos dolores pepulit; vigintinouem ex elephantico morbo eripuit; decem & octo a morbo comitiali vindicauit; duobus tabe affectis, ſanitatem dedit; ſex paraliticis & membris diſſolutis, vires reſtituit; duodecem aqua intercute tumeſcentes curauit; duas ſteriles matronas prole donauit; trigintatribus parturientibus matronis, & in partu periclitantibus ſubuenit; quadraginta totius corporis doloribus quaſſatis opem tulit; quinquaginta quinque diuerſis caſibus agitatis ſuccurrit; nouē animalia rationis expertia debilitata, atque vitio alio affecta in priſtinum ſtatum reſtituit; triginta octo extant viſiones & apparitiones diuerſæ, quibus ægri & morientes ſunt ab eo recreati & ſubleuati; nonaginta octo Chriſtianos varijs de cauſis afflictos, non ſemel ſolum, ſed ſæpiſſimè voto facto, voti compotes effecit. Sed quid ego innumerabilia numero? Quid infinita paruis limitibus concludere pergo? Quid illa, quæ per totos circiter quadringentos annos continuè patrauit, recenſere adnitor? *Hyacinthus enim* ( vt Sigiſmundus Primus Polonorum Inuictiſſimus Monarcha, Leoni X. Pont. Max. ſcripſerat ) *in vita trium mortuorum ſuſcitator, egregijs factis & Svpra Hvmanvm Captvm Divina Qvadam Ope Gestis æternitatem meruit. Hyacinthus, particeps vitæ Dominici exiſtens* ( ſcribebat Leo X. Cracouienſi & Præmiſlienſi Epiſcopo) *tam in vita quam poſt mortem*, Mvltis Semper Clarvit Miracvlis. *Hyacinthus & dum in humanis egit* ( verba Clementis VII. refero) *ac tempore quo Creatori ſuo ſpiritum reddidit, ac poſteaquā vita functus eſt, plurimis aſſidue fulſit miraculis*. *Hyacinthi comitis S. Dominici* (ita de eo perhibet Sixto V. Pont. Max. Stephanus I. Rex Poloniæ) *continuo Sanctitas floreſcit, & mirifice pijs hominibus apud Deum ſuffragatur, varioque clucet miraculorum genere*. Nihil hic dicam de Annæ Pijſſimę Polonorum,

Reginæ

Reginæ in Hyacinthũ encomijs,qđ.ſ.*ſplendeſcit, in dies ſingulos,huiuſce Diui Sanctimonia,populi pietate miraculiſque inſignis.qđ inde apparet cuiuis quanti & cuius viri fuerit comes & imitator. Siquidem a D. Dominico Polonus,in Poloniam miſſus,Apoſtoli munus obiuit.* Præteribo & Illuſtriſſimi Cardinalis Radziuili,in Hyacinthum prolatam fidem, quod *miracula D.Hyacinthi,ſocij olim ac diſcipuli S. Dominici, quibus Dei beneficio claruit, adeo ſtupenda admirandaque fuere, vt eorum fama, vniuerſum fere Chriſtianorum orbem repleuerit.* Tacebo & illud qđ Illuſtriſſimus Regni Poloniæ primus Princeps, Staniſlaus Gneſnenſis Archiepiſcopus de Hyacintho perhibet. *Vita Hyacinthi Sanctitas, operumque admirandorũ multitudo & magnitudo, quibus celeſtis vir ille viuus mortuusque claruit quæque non modo à maiorum Patrumque noſtrorum memoria,ad nos deuenerunt,ſed noſtra etiam ætate quotidie ferè perſpiciuntur.* Præclarum eſt & illud Petri Myskouij Cracouienſis Antiſtitis,de eodem Hyacintho teſtimonium,quod ſcilicet, *eo fama Sanctitatis illius & miraculorum proceſſit, huius vt Ampliſſimi Regni, vicinarumque nationum finibus non concluſa,vniuerſam Chriſtianam Rempub.peruaſit,& omnium mortalium, qui de illius factis audiuere, mentes, ſummam in admirationem rapuit. Nec immerito certe,* ait.*Pauci enim in ſacrarum literarum monimentis, ijs miraculis claruiſſe leguntur,quæ D. Hyacinthum feciſſe non modo accepimus, verum etiam ipſimet oculis noſtris conſpeximus.Nam vt ea omittam* (ſubiungit idem Antiſtes) *quæ illi cum alijs ſanctiſſimis viris communia fuere quod cæcos curauerit,leproſos mundauerit,ſanauerit ægrotos, multaque alia admiranda miracula,Diuina fretus potentia fecerit: illud modice attingam, quod paucis Sanctis in vita contigiſſe legimus, tres a morte ad uitam reuocauit;vita vero functus,& vſque nunc,magnis clarет miraculis.* Addidit Hilarion Rangonius, *Inexorabili mortis voragine* QVINQVAGINTAQVATVOR *abſorptos mortales, ad eam vſq; diem, ſ.* decimamſeptimam Maij Anni Domini. 1594. *ſua ope Hyacinthus, ad vitam iterum reuocauit.* Quis hic non obſtupeſcet? Quis potentiã Hyacinthi, non demirabitur? Quis vnquã aut vidit,aut legit aliquem Sanctorũ, tantã multitudinẽ miraculorũ,& tam diuturno tẽpore perpetraſſe? Quis Sanctorũ alius,tantã multitudinẽ mortuorũ ad vitã reuocauit? In Martini Turonẽſis laude maxima ponit Sulpitius, qđ tres mortuos ad vitã reſtituerit;celebres alij Sancti habentur,quod duos pleriq;, plerique tres, vel quatuor, alij decem, alij duodecim vita functos a tumulo excitarint.Quis poſt SS.illam Virginem Deiparam, vniuerſo ſæculo vitam adferentem Mariam, alterum vidit Hyacinthum,Quinquaginta quatuor mortuos ſuſcitantem? Demortuum excitare,maximæ cuiuſdam poteſtatis facinus eſt. duos vel tres,vel decem,longe maioris. Cuiusnam

nam erit, Quinquaginta octo diuerſis caſibus à morte abreptos, a morte reuocare? Quis vidit vnquam tale? aut quis huic ſimile audiuit? Inſolitum eſt, quod noſter Hyacinthus ſuo auxilio, tot & tantis ſubuenerit. nemini quod vel ex lectione hiſtoricorum ſciam, vel ex relatione nouerim, præter SS. Virginem conceſſum, vt QVINQVAGINTA & QVATVOR mortuos ad vitæ vſum reduxerit. Poſt Mariam, hæc poteſtas eſt Hyacinthi: ſolius Hyacinthi poſt SS. Deiparam hæc laus peculiaris eſt, vt Quinquaginta quatuor vita functos, poſſe ſuo viuificatos, ſecum in comitatu deducat. HYACINTHVS QVINQVAGINTAQVATVOR *mortales, ab inexorabili mortis voragine abſorptos, ad hanc vſque diem eripuit & eliberauit.* Non hic amplius recenſebo, quæ de Hyacintho, poſtquam in numerum Sanctorum relatus eſt, in florētiſſima Italia & Hiſpanijs voce plurimorum feruntur. Præteribo omnia, quæ vel tabulis publicis teſtata aſpeximus, vel plurium relatione accepimus quod Hyacinthus proximè præteritis quatuor annis, in Italia, innumeros innumeris auxit beneficijs. *Et alios quidem phtiſi conſumptos, alios febre correptos, alios aqueo humore diſtentos, alios morbo caduco, igne peſtilentiali, colica paſſione affectos, alios alijs oppreſſos malis ad ſanitatem perfectam reſtituit; aquas diluuij alibi depulit, alijs tempeſtatem maris furibundam ſedauit, alios iam iam pene aquis obrutos, apparens ſuper vndas fune porrecto de voragine maris ad naues reduxit; alijs cadentibus ex altiſſimæ turris faſtigio, manum ſuppoſuit, alios colliſos priſtina integritate donauit: quin & plures, vel morituros a ſæuiſſimæ mortis incurſu præſeruauit, vel iam mortuos, quaſi ex tumulo ad vitam euocauit.* Poſſem ego plurima, ſumma cum vtilitate ſupplicantium, ubique terrarum per Hyacinthum patrata (quę non modicam uobis oblectationē, maximum vero Hyacintho honorem parerent) in medium adferre, ni & magnitudine ineffabilia, & multitudine innumerabilia cenſeantur. Si quis enim vniuerſos populos Galliæ Ciſalpinæ, Pedemontij, Liguriæ, Aemiliæ, Marchiæ vtriuſq; & illius Taruiſinæ & illius Anchonitanæ, Vmbriæ, Latij, Hetruriæ, Apuliæ, Calabriæ, Græciæ Magnæ, Neapolitani Regni: Si quis Siculorum, Arragonum, Celtiberorum, Granatenſium, Luſitanorum, & Hiſpanorum populatiſſimas regiones; Si Poloniæ, Ruſſiæ, Moſchouiæ, Pruſsiæ, Maſouiæ, Sileſiæ, Morauiæ: ſi totius Septentrionis, ſi demum vniuerſæ Europæ, & his addas, Africæ, Indiarum, Noui Orbis latiſsimos fines perluſtrare; ſi populos earum Prouinciarum enumerare poteſt, poterit & miracula quæ nūc nunc Hyacinthus patrauit percenſere. In his enim omnibus ampliſſimis partibus, infinitis prope malis afflictos, ſua ope iuuit Hyacinthus. Venetijs quadringentę plus minus tabellæ, affixæ ſunt ad aras

Hya-

Hyacinthi, teſtimonium accepti beneficij referentes. Mantuæ, Placentiæ, Cremonæ plurimorum millium exceſſerunt numerum. Bononiæ ſupra quatuor millia, & argentea, & aurea vota, præter cereas imagines & tabellas, & ueſtimenta, & inſtrumenta varia infinita, ad altare S. Hyacinthi, in ſignificationem grati animi appenſa numerantur. Patauij, Vincentiæ, Veronæ, Brixiæ, Soncini, Cremæ, Bergomi, Ticini, Mediolano, Cumis, Genua, Alexandriæ, Romæ, Senis, Florentiæ, Fauentiæ, Ferrariæ; & ut breuiter dixerim, Quocunque ab alpibus Graijs, ad vſq; Promontorium Scylleum, per ampliſsimas totius Italiæ Ciuitates, in quibus ueſtigia Prædicatoriæ religionis extent, uel minima, perſpexeris, innumerabilis multitudo imaginum, tabularum depictarum, uotorum & ex cera, & ex argento & ex auro, monilium ex lapidibus pretioſis, pro optatis conſecutis a Hyacintho, ad ipſius ſacella dicatorum uidetur. Perluſtres uaſtiſsimos totius Europæ receſſus, reuoluas ab ea parte qua Thanais Aſiaticos a nobis diſterminat; perge ad vltimam Orbis noſtri oram, quam & mediterraneum, & Adriaticum, & Ionium, & Oceanum mare alluit; perquire uniuerſa illa, a nobis remotiſsima regna, ſolis Hiſpanis peruia, vbique Hyacintho extructas aras, conſtitutas ſtatuas, imagines depictas, tabulas affixas, conſecrata ſacella, exædificatas Eccleſias, ornatas & dotatas pone infinitas reperies. Qua tandem de cauſa? Propter maxima facinora, in orbe vniuerſo patrata; Propter poteſtatem rerum maximarum, & admirabilium, in toto terrarum Orbe, ingentibus factis declaratam. Propter beneficia immenſa, ab illo Cœleſti parente, per Hyacinthi merita, Orbi vniuerſo collata. Propter innumeros, innumeris & ijs varijs beneficijs, ex Hyacinthi deuotione amplificatos.

Lib. 49. hierogl. Pierius recenſet, apud Romanos extra portam Capenam, olim extitiſſe lapidem, eius virtutis, quod cum ſiccitas temporis frugibus officeret, intra vrbem ſolenni pompa circumlatus, pluuiam ingentem de cœlis illico retrahebat, proptereaque Manalis appellabatur, quod eius beneficio impetraretur, vt aquæ è cœlo manarent. Procul hinc figmenta antiquorum; procul dæmonum artes; procul & impia ſuperſtitio. Noſter Hyacinthus rectius Margarita MANALIS vocandus eſt. Eo enim in orbē vniuerſum per SS. CLEMENTEM VIII. illato, per uniuerſum orbem, non pluuiæ ſed rores, ſed flumina gratiarum a perlucido fonte ſedis Diuinæ excurrentium profluxerunt; nec unam ſolam urbem, non unam prouinciam, non unum Regnum, ſed ampliſſimam Europam & Affricam, & Septentrionem, & occiduum terræ cardinem largiſſimo imbre irrigarunt.

Non immerito Cæſaraugustani, dum magnificentiſſima ſplen-

doris

doris maieſtate adornaſſent templum Hyacintho, inter alia auro & margaritis fulgentia periſtromata, in vno eorum, tali hieroglyphico, ampliſſimam Hyacinthi poteſtatem adumbrarunt. Pinxerant Cœlum nube quadam denſiſſima, tenebras per totum mundum offundēte velatum: in terris autem, miræ magnitudinis & pulchritudinis lapidem Hyacinthum, radios vſque ad ſydera exerentem, ſuoque corruſcanti lumine, & cæcam illam noctem diſpellentem, & cunctorum mærorem diſcutientem. Cœlo adſcripti fuerunt characteres. *Sicut tenebræ eius.* Hyacintho autem adiecerunt. *Ita & lumen eius.* Innuere volebant ſymbolo, Hyacinthi virtutem vbique eſſe diffuſam, in tantum; vt quacunque Orbis cœlorum terras circumplectens, ſuo tenebroſo lumine illuſtrat, multaſque corporum calamitates in his inferioribus inuehit, ea Hyacinthus corruſcantes miraculorum radios diffundit. Quantum infirmitatis infert mortalibus, altiſſimus cœlorum globus, tantundem, immo plus ſubleuat Hyacinthus. Quam latè teterrimam mærorum, & anguſtiarum noctem, Lunæ orbis (qui prauos humores concitare, &c) influxu ſuo, multas dolores hominibus deportare dicitur, tam latè Hyacinthus, luce ſua clariſſima mitigat dolores. *Sicut tenebræ illius, ita & lumen illius. Non eſt, qui ſe abſcondat a calore eius.* Iactent alij quoſdam Sanctos, vnius vel alterius Ciuitatis, vnius & alterius Regni eſſe lumina. Deprædicent Bononienſes Petronium, Florentini Zenobium, Ianuarium Neapolitani, alij aliū quempiam ſuæ Ciuitatis patronum. Celebrent nonnulli, Dionyſios Galliarum protectores, Vēceslaos & Adalbertos Bohemi, Stephanos Vngari, Laurentios vel Vincentios Hiſpani & Arragones, cætera demum Regna, ſuos peculiares Aduocatos, laudibus ſummis euehant. Noſter Hyacinthus non vnius Vrbis, non Regni vnius, non vnius plagæ mundi, ſed totius Orbis: ſed qua Sol exoritur & occūbit: ſed Septentrionis & Meridiei, Orientis & Occidentis, totius Europæ, Africæ, Indiarum, & non ſolum huius noſtri, ſed & Noui Orbis; ſed *qua dogmata Chriſti illuxere* Patrocinium ſuſcepit. percurras ab Aquilone ad Auſtrum, ab Euro vſque ad Zephyrum, omnes angulos hominum qui lucis vſura fruuntur peruideas, ſicut tenebræ cœli, ita & lumen Hyacinthi pertingit. Lux ille eſt vniuerſi mundi, omnium omnes diſpellit tenebras, omnibus beneficia ſalutis impendit. Non ille vni languori medetur, non vnam tantum ſanat infirmitatem, non vnum atque alterum largitur beneficium. omnibus opitulatur malis, curat ægritudines omnes. Nullum eſt arduum licet & maximum, quod aliquis votis ardentiſſimis expetat, quod Hyacinthus non concedat. Plurimi Sancti peculiaria ſibi vendicant munera, Sebaſtianus peſtem fugat, Blaſius gut-

Hieroglyphicum.

turi medetur, Lucia oculos, Valentinus morbum caducum, Rochus dolorem pedum, Vincentius febrium ardorem, Apollonia dentium cruciatus, Agatha mãmillarum torſiones, Petrus capitis dolorem, alij alias calamitates a mortalibus remouent. Diuiſiones enim gratiarum ſunt. Aſt Hyacinthus non vnam, non alteram, ſed omnes ſanat infirmitates, omnibus medetur languoribus, quoſque & grauiſſimos morbos depellit imperio; non vnam guttam ſed largiſſimum donorum imbrem, noſter MANALIS Hyacinthus ſuper aridam terram diſtillat; Sedat tempeſtates, fluuiorum curſus retardat, beſtiarum perdomat feritatem, venena ſerpentium extinguit, contuſa membra ſolidat, cõfracta reficit, obducit vulnera cicatrice, cęcis lumen reſtituit, claudos erigit in pedes, cancrum inſanabilem purgat, paralyticos viuificat, aqueum humorem eijcit, ardores febrium & mitigat, & reſtinguit, præcibus adhibitis moleſtiſſimas infirmitates ſine medicina ſanat, inſanos ferociſſimorum Dęmonum comprimit motus, factiones ad effuſionem ſanguinis conflatas diſſipat, inimicitiarum turbulentiſſimos fluctus ſedat. Hos a carceribus duriſsimis, illos a tyrãnide impiorum, alios ab incurſu Hoſtium liberat. Illum prole optata, hunc deſideratis opibus, illum ſapientiæ, hunc pietatis cultu exornat, illi peccatorum veniam, huic iuſtitiæ decorem, illi hoc vel illud beneficium larga confert manu. Altorem ſe ille inopum, tutelam pupillorum, defenſorem viduarum exhibet: impotentes fidem eius in ſuis periculis atque præſidium perſentiunt, afflicti pium conſolatorem, ægroti medicum potentiſsimum agnoſcunt. Non dies, ſed ætates me deficerent, ſi omnia, in quibus mirum in modum ſe mea iactare poſſet oratio, in præſentia referre uellem. Alterum tantum Hieroglyphicum ab ijsdem Cæſarauguſtanis in Hyacinthi uirtutes expræſſum, commemorabo. Delinearant florem Hyacinthum, ſuo culmo erectum; cuius ſtipiti implexus erat ſerpens, capite elato uſque ad folia floris, ſupra cuius ſummitatem reclinabatur: ſcripta erat deſuper, ſententia illa in Saluatorem primum prolata. Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes. Inferius autem Hyſpanico ſermone,

*In eodem libro. Hierogliphicum virtutis Hyacinthi*

| | |
|---|---|
| *En Polonia ſe leuanta* | Latinis idem eſt. |
| *De Hyacintho otra ſerpiente* | *Polonia iactat ſuum ſerpentem* |
| *Que ſana toda la gente.* | *Qui vniuerſam a languoribus curat gentẽ.* |

Alludebant ad Moſaycum ſerpentem, quod ut ille, ſic & Hyacinthus omnes eos qui in ipſum, pia deuotione in ſuis infirmitatibus reſpexerint, licet ſint ab horrendo Dracone conciſi, ſanat uniuerſos. Alludebant & ad Saluatorem, quod ut ille, ſic & Hyacinthus, uirtute mirifica omnes curabat. Quin (audite, quantum in illo religioſiſsima

mo Arragonum Regno conceſſum fuerit Hyacintho) maiora & multo plura quam Saluator noſter faciebat. Sic luſit Petrus Ortizius, carmine Sapphico in laudem Hyacinthi, in eodẽ auguſtiſſimo Cæſaraugustanorum templo. Hyacinthus plura & maiora quam Christus in Euangelijs legitur feciſſe miracula.

Christvs haec nvsqvam legitvr dediſſe
Signa, sed raris decoraſſe rarvm
Ipse commvni modo lege fvlsit
Prodigiorvm.
Nvminis splendor radivmqve lvcis
Gloriae lvcem referentis aeqve
Hvnc sibi praefert radiare passvs
Lvce minore.

Virtus enim admiranda de Hyacintho exibat & ſanabat omnes. Quam fęliciter ò SS. Pontifex, Hyacinthum in Apotheoſim Sanctorum retuliſti? Quam fauſtè lucernam hanc ſplendidiſſimam, de ſub modio Poloniæ ereptam, in candelabrum aureum, Summus Antiſtes euexit? Quam nobis omnibus proſpere, ò SS. infans, *miſiſti manum tuam* in abditam Poloniæ cauernam, & *hunc ſerpẽtem Thaumaturgum, vniuerſis in eum adſpectantibus* in ſalutem erexiſti? Allusio ad loca bum. Quam fæſtiuè vos remotiſſimi fines Orbis terræ, Hyacinthum, in veſtros complexus recepiſtis? Gratulor quidem Hyacintho, quod ijs honoribus ab vniuerſo Orbe affectus ſit, quales nulli Sanctorum eouſque contigerunt. Cuius enim alterius Canonizationem adeo alacriter excepit Orbis, vt noſtri Hyacinthi? In cuius laudes celebrandas, tantus numerus ſcriptorũ, ſuum exercuit calamum? Cui vnquam Sanctorũ, dum in Sanctorũ cathalogũ relatus eſt, tot feſtiuitates inſtitutæ, & ſolenni ceremoniarum apparatu celebratæ ſunt? Nemini, præter Hyacintho. Mitto illud, quod, nulla fuit Vrbs Italiæ, in qua vita & laudes S. Hyacinthi, cum carminibus, tum ſoluta oratione, a grauiſſimis ſcriptoribus deſcriptæ, prælo commiſſæ non ſunt. Hyacinthi canonizatio quomodo in vniuerſo Orbe recepta. Optarem ego, vt omnes terrarum populi ſub Annum 1594. (quo in numerum Sanctorum recenſebatur Hyacinthus) in Italiam congregati fuiſſent, viderent per totam Italiam, eos honores Hyacintho exhibitos, quales nemini antea Sanctorum. Vidiſſent templa omnia magnifico ſplendore, auro, argento, ſerico, aulæis & periſtromatibus pulcherrimis à ſummo faſtigio, deorſum vſque, vbique eſſe adornata. Vidiſſent ignes per totam Italiam, omnibus in altiſſimis turribus ſuccenſos. Audiſſent tormẽta exploſa, artificioſos ignes inſtructos, ſonitumq; campanarum diurnum & nocturnum. Vidiſſent numeroſam populi multitudinem, nobiliſſimos Comites, Marchiones, Principes, Vrbium Senatores, Duces, & Reges ipſos

potentiſſimos ad Hyacinthi ſolennitatem excurrentes. Vidiſſent multitudinem Cleri, Epiſcopos, Archiepiſcopos, Cardinales, Patriarchas, imaginem S. Hyacinthi proprijs manibus in proceſſionibus geſtantes. Omnes enim Ciuitates Italiæ, deuotio & gaudium inenarrabile, ſummopere propter noui ſyderis S. Hyacinthi micantem ſplendorem occuparat; omnes Canonizationis Hyacinthi nouitate perculſæ vrbes, eandem incredibili gaudio & tripudijs deuotiſſime recoluerunt. Sed quid Italiam dico? Longe lateque peruaſit hæc lætitia: vſque ad Hiſpanos, Arragonios, Luſitanos, & vſq; ad extremos Indos perlata eſt fæſtiuitas Hyacinthi. Cuperem vt omnes nationes, legerēt librum Hieronymi Martelij de ſolennitate S. Hyacinthi a Cæſarauguſtanis celebrata cōſcriptum. Quos Hyacinthus in vniuerſa Hiſpania acceperit honores? ſumma cum oblectatione animi, quiſque veſtrum agnoſceret. Dici nequit, quam ſolenni pompa, quam ſplendidiſſimo ornatu, quam ingentibus ſumptibus, quanta cum lætitia florentiſſimi Imperij, vario argumētorum genere, alacritatem ob Hyacinthi Canonizationem conceptam, teſtare conati ſunt. Nonageſimo quarto anno ſupra milleſimum quingenteſimum, vniuerſa terra nouo ſanctitatis ſplendore irradiata, quaſi in cœlum cōuerſa fuiſſe videbatur. Omnes omnium ætatum & graduū homines, Angelicum quoddam gaudium præſeferre, aſpiciebantur. Quis vidit vnquam tale? Quis huic æquale aſpexit? Paucis ab hinc annis, Diegus Sanctis annumeratus fuit. quis congratulatus eſt fæſtiuitati? Quis in laudes Sancti prorupit? Roma & Hiſpania ſola. In Polonia, in Germania, apud Gallos, apud Siculos, ſed neque apud omnes Italos plene cognitum eſt, S. Diegum in Sanctorum Cathalogum eſſe relatum. Præcedentibus annis a SS. Pontif. plurimi Sanctorum numero adſcribebantur; quibus terminis ſolennitas illorum concluſa fuit? Quis eorum laudes celebrauit? Sola Ciuitas quæ Canonizationē cōſpiciebat, vel ſola Prouincia quæ Sanctum pia deuotione excolebat. Vt Hyacinthus in apotheoſim relatus eſt, & Poloni, & Theutones, & Boemi, & Pannonij, & Itali, Siculi, Hiſpani, Portugalenſes, Arragonij, Granatenſes, demum & ipſius noui Orbis incolæ, & extremi Garamantes, miræ erga Hyacinthum deuotionis, admiranda & ineffabilia ſigna dederunt. Et Leandri, & Boccij, & Razzij, & Seuerini, & Auguſtini, & Montepoliciani, & Senenſes, & Innocentij; & quis demum percenſebit, totius Italiæ & Hiſpaniæ nobiliſſimos atque doctiſſimos ſcriptores, qui laboribus immenſis, vitam & laudes S. Hyacinthi, tum Latino, tum materno ſtylo elegantiſſimè, in quacunque Vrbe perſcripſerunt? Generales religionum, Epiſcopi ipſi, imo & ipſi Cardinales Illuſtriſſimi, ſuas operas optimè locatas eſſe

cen-

cenſebant, ſi quid in Hyacinthi facinorib. us exornandis, calamo exarasſent, & poſteritati conſecraſſent. Soli Hyacintho inuſitati honores ab uniuerſo Orbe delati ſunt. ſolum Hyacinthum nuper Canonizatum, uniuerſus Orbis excepit ſumma cum lætitia. Gratulabor & uobis omnibus, qui Hyacinthi amore inflammati, illum ſibi in Deum tutelarem delegiſtis. Talem enim ac tantum habetis Protectorem, qui ſicut Sanctitatis ſplendore plurimos, ita infinitos miraculorum gloria ſuperauit. Gratulabor & tibi ô nobiliſſima Gracchorum Ciuitas, quæ uenuſtiſſimum hunc florem in tuo inclyto Paradiſo, ante SS. Triadis conſpectus inſertum, ſuauisſimos ſpirãtem odores complecteris. quæ ſpecioſiſſimam Regni cœleſtis gemmam, ſplendidiſſimos exerentem radios, in tuo ærario contines. Exulta Cracouia, quæ Sacratiſſima corporis Hyacinthi gleba, ac theſauro quodam inæſtimabili, exiſtis dotata. Triumphate uos fœliciſſimi Patres, qui ad glorioſum Hyacinthi tumulum, admirabiles Hyacinthi uirtutes conſpicitis.

Michael Ioannes, Theologiæ apud Cæſaraugustanos Candidatus inuitat.

*Lætetur Tellus, lætetur pontus & æther,*
*Signaque lætitiæ dent elementa ſuæ,*
*Prodeat auricomus radianti lumine Phœbus,*
*Et Phœbe nitido plena colore micet*
*Maiori ſeptem niteant fulgore planetæ,*
*Cunctaque ſplendeſcant ſydera plus ſolito;*
*Zona ſalutiferos immittat torrida flatus*
*Et tua luceſcat lactea luce noua.*
*Omnia Zodiaci ſtellantis ſigna niteſcant*
*Gaudia per terras mittat vterque polus.*
*Gens pia Chriſtiadum totum diſperſa per Orbem*
*Gaudeat in faſto Diue Hyacinthe tuo.*

Nos vero omnes genu proſtrato ei perſonemus:

*Salue Hyacinthe poli, iam non noua gloria celſi*
*Gloria Pannoniæ, ſalue Hyacinthe ſoli.*
*Cum tua Chriſticolæ celebrent iam faſta per Orbem*
*Eccleſiæ iuſſu Pontificis Sacri.*
*Suppliciter cuncti modo iam te rite precamur,*
*Vt nobis places numina læſa Dei.*
*Ipſe Pater* CLEMENS *qui te donauit honore.*
*Indiget is Sancto pneumatis auxilio,*
*Te rogat vt faueas Europæ bella timenti*
*Præſertim Vngariæ, Pannoniæque tuæ.*
*Nam truculentus eas gentes, ſeu Turcha fideles*

*Maximi*

*Maximi adortus eos depopulatur agros.*
*Indeque Germaniæ, Italiæ, Galliaque minatur*
*Bella, vt in Hiſpanos arma mouere queat.*
*Impediat Chriſtus tot tantaque bella futura*
*Placatus præcibus, Diue Hyacinthe tuis.*
*Reſpice nos, ſerua, miſeros tutare clientes*
*Noſtra vt ſeruentur crimine corda malo.*
*Dici Hyacinthe potes Chriſti firmiſſima gemma.*
*In qua Chriſti colis nobile ſiſtet opus.*
*Sis igitur præſens, tutor, patronus & idem*
*In nixa eſt humeris anchora noſtra tuis.*

SERTVM GLORIAE SECVNDVM

# S. HYACINTHI

## CONFESSORIS POLONI.

Studio & induſtria

F. ABRAAM BZOVII ORD. PRAEDICAT.

collectum.

## IN S. HYACINTHI LAVDES ELOGIVM PVLCHERRIMVM.

AB ILLVSTRISSIMO GVILLELMO ALANO S. R. E. Cardinali exaratum, & in Romano, vt dicitur Conſiſtorio prolatum.

BEATISSIME Pater. Quod à Deo Opt. Max. votis ſupplicibus diuturno tempore præcatus ſum, meam vt in S. Hyacinthum Confeſſorem glorioſiſſimum deuotionem, aliquo argumento teſtatam facerem, hoc mihi die hodierna conceſſum, non ſine grauiſſimo angore excepi. Optaram equidem fateor, vehementiſſimum in modum, quod mea religio ſingularis, qua SS. virum, poſt Dei Matrem præcipuè colui, & veneratus ſum, cuiq; vel minimo notiſſima foret; ſed vt de eius laudibus, de rebus præclarè ab eo geſtis, de illuſtriſſimis miraculis per eũ patratis, in veſtro grauiſſimo cõſeſſu verba facerem, nunquam in eam potui adduci ſententiam. Si & enim Sanctitatis tuæ, B. P. adorandum conſpectum intueor; quis eſt qui ad clementiæ tuæ admirabilem Thronum non pauet? Si locum hunc Ampliſſimum perſpicio; quis Maieſtate illius perterritus non

obrigeſcet? Si vos ſplendidiſſima Orbis lumina contueor; cuius acies acerrima licet, ad veſtros obtutus non cæcutiet? Si ad fulgentiſſimam Regni cœleſtis Margaritam oculos conuerto, quoduis fœliciſſimũ ingenium, quæcunq; licet facunda lingua, & ſuccumbat, & obmuteſcat neceſſe eſt. Nullum eſt tam acre, tam ſubtile ingenium, quod ſummas & admirandas Hyacinthi virtutes, uel concipere, non dico comprehendere queat. Nemo eſt tam fœlici lingua, qui pro rei dignitate, atque Maieſtate, Diuina illa non humana Hyacinthi chariſmata percenſere ſaltem, non ſatis prædicare ſufficiat. Quid enim in Hyacintho elucet, quod non ſummam? quod non omnem ſuperat laudem? Siue infantiam, ſiue iuuenilem, ſiue illam prouectam ipſius ætatem perquiſiero: illam præclariſſimis illuſtrauit virtutum ornamentis, atq; ad tam altiſſimum Sanctitatis faſtigium euexit, ad quod Diuino excitati auxilio, vix pauci pertingere, nulli autem mundo addicti, uel conſcendere, vel perueſtigare poſſunt. In tantum igitur ſplendorem inuiſum, egone audaculus figerem aciem? Ego paulò intimius contemplari auderẽ? Mene cenſerem poſſe perueſtigare, quod abſtruſum, quod inueſtigabile eſt? Ego putarem, me laudes Hyacinthi perſecuturum poſſe, in cuius encomijs dicendis, omnis facundia, infantia balbutiens decreta foret? Non eo igitur animo, meã nunc orſus ſum de Hyacintho orationem, quod me iuſta virtutis præmia, bilance æquali perſoluturum exiſtimem; verum vt à me quoq; illud fiat, quod ab omnibus fieri debere, breuiſſima hac ſermocinatione mea decerno. ¶ Apotheoſi Sanctorum adnumerandusne ſit Hyacinthus? Sitne ab vniuerſali Eccleſia, ijs honoribus quibus olim à Polona, concelebrandus? Tuo, ô Sanctiſſime Pater, iudicio atque ſententia, ſitne pro Sancto decernendus? An illi ubiq; terrarum & gentium, publica veneratio exhibenda? eius nomine erigenda altaria? templa & Baſilicæ ædificandæ? celebrandi feſti & anniuerſarij dies? Imagines ad religioſum cultum in Eccleſijs collocandæ? Corpus quod viuum fuit S. Spiritus templũ, reliquiæ precioſæ uidelicet, ſintne adorandæ? offerendumne tremendum ſacrificium Miſſæ in eius honorem? An S. Hyacinthus (vt compendio dicã) cæteris Sanctis adnumerandus, & Catholicæ Eccleſiæ toto orbe terrarum diffuſæ, in exemplar venerandum atq; imitandum, in Protectorem, atque præſidem ad inuocationem proponendus? Neminem reperiri augurabor, modo vitam Hyacinthi innocentiſsimè actam, & varijs; alijsq; innumeris prodigijs illuſtratam, vel minima ex parte cognoſcat, qui Hyacintho hos Diuinos inuideat honores. Si enim Romanorum geſta præclara, in amplificando Reipublicæ ſtatu, in expugnando impetu hoſtium, in conſeruandis iuſtitiæ partibus promeruerunt

runt honores, quòd eorum, tum ſapienter ac grauiſſimè dicta, tũ ſumma cum laude patrata facinora omnes ſuſpicerent, atq; venerarentur, pietatemq; iuſtitiæ munere in eis excitatam, multiplici ac vario argumentorum genere, patulam vniuerſo orbi facere voluerunt. Prolixior eſſem ſi encomia, panegyricos, elogia, orationes, omnia deniq; & ſoluta & diſſoluta phraſi in eorum laudes, a ſummis & doctiſſimis viris recitata percẽſerem. Nimium vagaretur mea hæc peroratio, ſi ſtatuas ex pario lapide, imo & ex auroargento, & ex pretioſis margaritis erectas; ſi aras, delubra, obeliſcos, & pyramides elatas; ſi incenſa & ſacrificia; ſi fæſta ſolenni apparatu celebrata, circumſpicerẽ & uobis enumerarem. Aetas me deficeret, nõ dies, neq; breuis horæ interſtitium, ſi quales & quam inſignes virtutis honores, ab omnibus omnium ætatum hominibus exhibitos, perſequi inſtituerem. Neminem enim fugit, quod iuſtitiæ ratio & lex perennis, plus iuſto a veteribus hac in parte obſeruata fuerit. Qui vnius veri Dei ignari, ſi quem prǽter communem viuendi normam, præclaro virtutum fulgore omnium oculos percellere adſpectabant, Numen quóddam de cœlis ad terram forte delapſum iudicantes, Diuinos ei titulos affingebant; & vel inter fulgentiſſima ſydera, uel in Beatorũ conſortium, talem ac tantum, decreto publico referentes, mirificos ei concedebant honores. Neque enim aut dignum, aut iuſtum putarant; ſi Diuinis muneribus exornati homines, atq; extra aliorum conditionem elati, vel Diuinis honoribus non dignarentur, vel in ſortem communem reijcerentur. Quod ſi profana illa antiquitas, veræ expers virtutis, hæc vt ſibi poſt obitum fierent commeruit: quid non merebuntur Chriſtianæ virtutis æmulatores, qui omnes ſuos conatus, in totius honeſtatis ampliſſimo decore aſſequendo inſumpſerunt? Qui honores, non eis impendendi ſunt, qui dum ſuperuixerunt, omne robur eò ſolum dixerunt, ut Rempub. Eccleſiaſticam promouerent & miris acceſſionibus amplificarẽt? Quid non conſequentur illi, qui contentione perpetua, & ab aduerſariorum turbulentiſſimis defenderunt motibus, & ab errorum teterrimis purgarunt maculis, & a vitijs corda plurimorum, ad veræ pietatis culturam, uerbo & opere conuerterunt? Quid non merebuntur illi, qui homines idololatras, a turpiſſimo & veſano Dæmonum cultu, ad veri Dei notitiam retraxerunt? Quid concedendum eſt illis, qui Dæmonum inſanum furorem, in altaribus, ſtatuis, delubris, in horribilibus lucis, in ſacrificiorum impio atq; crudeliſſimo ritu bacchantem compræſſerunt? eius Tyrannidem duriſſimam excuſſerũt a ceruicibus hominum? altaria, ſtatuas, idola, delubra phana profana euerterunt & demoliti ſunt? ſuccenderunt tenebroſos lucos? ſacrificiorũ

legem funeſtiſſimam abrogarunt, in ſumma crudeliſſimum Sathanæ Dominium ab Orbe pepulerunt? Quid non merebuntur illi, qui admiranda ſigna & ſtupenda miracula, pro fidei confirmatione, pro falſitatis exterminio, pro confuſione impiorum, in maximum piorum ſolamen virtute Diuina patrauerunt? Quid concedendum eſt illis, qui in mortali corpore, ſupra cœleſtem traducentes vitam, Angeli potius quam homines, ſiue mauis dicere, homines cœleſtes, vel Angeli terreſtres, in lurido & pene demortuo corpore apparuerunt? & non tantum mortales, ſed & ſpiritus immortales in ſui admirationem pellicientes, toto mentis niſu, in illam immortalitatis domum conſcendere exoptarunt? Quid non merebuntur illi, qui in Cœleſtia non aſtra quidem, ſed fulgentiſsima Numina & Lumina, per puritatem, per virginitatem immaculatam, per ardētiſsimum in Deum amorem, per illuſtriſsima virtutum ornamenta admiranda metamorphoſi trāſierunt? Merebuntur profecto immarceſsibilem a Deo opt. coronam: merebuntur & a Chriſtiana poſteritate, immortales & nunquam interituros honores. Merebitur SS. Hyacinthvs, & ab ampliſsimo virtutis muneratore Deo, ſempiternam fœlicitatem; & a nobis poſteris, quantam poſsibile fuerit laudem & honeſtatis venerationem. Merebitur (dicam iterum, & dicam audacter) merebitur profecto Hyacinthus, in Sanctorum Triumphantis Eccleſiæ cætum, a Summo Pontifice Iesv Chriſto iamdudum aggregatus, vt quoque a te qui vices Chriſti obtines in terris, in militantis Eccleſiæ Sanctorum album referatur. Poſtquam vita functus erat Hyacinthus, SS. Dei Mater & ſponſa, illum de tenebroſo mundi carcere erutum, in lucis fœliciſsimæ domicilium, & in auream illam, ineffabili ſplendore fulgentem Eccleſiam cœleſtem, inuexit: non indignum eſt, vt & Dei ſponſa Eccleſia terreſtris, quam ille ſanguine ſuo ab omni næuo & macula mundatam, ad illius cœleſtis imitationem inuitauit, veſtigia ſuæ Matris inſequatur; ad tumulum Hyacinthi vſque procedat; odorem Sanctitatis exſpirantem perſentiat; non patiatur in illis Septentrionalibus tenebris, pretioſam hanc gemmam deliteſcere. Iuſta indignatione commota, eruat de monte illo auguſtiſsimo Poloniæ, atque in Sacrarium SS. Triadis, & in domicilium Sacroſanctæ Eccleſiæ precioſum hoc monile inferat. Poſtquam naturæ legibus conceſſerat Hyacinthus, ſupremus Antiſtes Cœlorum, ſuis conſpectibus a ſua Matre oblatum Hyacinthum, in magnifico ſolio locauit. Quid locauit dico? Dexteræ manus ſuæ inſeruit annulo. *Manus enim eius tornatiles aureæ, plenæ* Hyacinthis. Tuis ô B.P. præſentat conſpectibus mater tua Eccleſia filium Hyacinthum, & in thronum ampliſsimū, iam olim Sanctis viris

paratum

paratum illum eleuare contendit; ne præcor vſurpes Saluatoris verba *Neſcitis quid petatis*. Non illa mater eſt filiorum Zebedæi Hebrea, quæ tuam obteſtatur maieſtatem; nouit illa optimè, quid, & quam iuſte imploret. Non obſecrat participium tuæ virtutis, non Claues regni Cœlorum, non ſceptrum potentiæ tuæ, non vt ad tuam dexteram aſsideat requirit. non communionem Imperij Eccleſiaſtici illi obtinere nititur. Perſpectum enim habet, te vnius ſponſæ, vnum ſponſum; vnius corporis, vnum viſibile caput, Eccleſiæ vnius, vnum & primum & ſummum Antiſtitem, non poſſe alienū ad tuos admittere thronos. Quid ergo a te expoſtulat? Scit illa optimè quod iuſtum, quod rectum, quod meritis Hyacinthi debitum quiddam, enixe petit. Nouit illa, virtutē ſua exigere prēmia; nouit optime, virtutē ſempiternos ſibi, omni ſæculorum æuo, ab omnibus omnium nationum populis pro meruiſſe honores. Vidit quendam ex magnificentiſsimi Salomonis templi Sacerdotibus, Diuino afflatum Spiritu, plurimos Sanctitate & miraculis inſignes, in Apotheoſim referentem. Audiuit & Enochum, & mundi reſtauratorem Noe, & Patrem gentium ABRAAMVM, cū ſuo filio Iſaac, & huius prole Iacob, & Moyſen populi ductorē, & Phinees zelantē, & Ioſue, & Calebū, & Samuelem, & Dauidē & Eliā, Eliſeum, Ezechielē, Ioſiā, Zorobabelē, Neemiam, Simonē (& quis recordaretur aliorum?) propter illuſtria facinora, propter innocuā viuendi rōnem propter Diuino quodam ordine conſeruatam religionem & Sanctitatem, ab Eccleſiaſtico in Cathalogum Sanctorum relatos eſſe. Et ne ſibi tantum permiſſam fore virtutem, quis opinione conciperet; audiuit illum eundem Sacerdotem, nos omnes adhortantem. *Laudemus* (talem inſtituit orationem ad poſteros) *viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua. Multam enim laudem & gloriam fecit illis Dominus, magnificentia ſua a ſæculo. Nomina igitur eorum viuant in generatione, & generatione, ſapientiam ipſorum narrent populi, & laudem eorum nunciet Eccleſia*. Audiuit poſtmodum, & Paulū illum Orbis vniuerſi Doctorē, Diuinis in tertio Cœlo excultum diſciplinis. illum qui vas electionis & prædicator veritatis a Chriſto de cęleſti cathedra inſtitutus eſt: illū qui puram & ab omni fuco ſecretā veritatē, ex cęleſtibus myſterijs re ferto promptuario hauſerat. Audiuit inquā, Paulū innumeros Sāctos iiſdē honoribus, eademq; Apotheoſi dignātē. Oculis deinde proprijs aſpexit, dum adhuc infantula eſſet, plurimos a ſe ſummo cum dolore enixos filios, ob ſanguinem pro fide effuſum, ob vitam rectē geſtis præclaram, in Cathalogum Sanctorum Diuina voluntate relatos, Diuinis honoribus affectos fuiſſe. Intuita eſt ſepulturas illorum ſumma in veneratione habitas, cineres ſacroſanctos religioſe ſeruatos, memoriam

rijâ elogijs,orationibus, carmine panegyricis,a grauiſſimis & SS.Viris annua reuolutione renouatam.Conſpexit imagines eorum depictas, & inſigni miraculo ſæpe ſæpius exaratas,erecta altaria,templa extructa,tabulas affixas, ſtatuas elatas, & a Chriſticolis pio cultu reuerentiæ cohoneſtatas; SS.illud tremendum ſacrificium in eorum honorem oblatũ,non ſine maxima demiſsione obſeruauit,& frequenti vſu celebrauit;ad eorũ in rebus grauiſſimis cõfugiebat auxiliũ. Aſpexit puſilla adhuc,Linos,Cletos, Clemẽtes, Theleſphoros,Laurẽtios,Vincẽtios,Iuſtinos,Cyprianos,Marcos,Philippos,& alios infinitos,ſummis, a Summo Pontifice celebratos eſſe laudibus. Nihil igitur nouum,non indignum aliquid,ſed vetuſtate firmatum,ſed lege decretum Diuina, ſed naturæ fœdere inſtitutum,ſed a SS. viris ſempiterno vſu obſeruatum, a te obſecrat o B. P. dum Hyacinthi canonizationem obſecrat. Non iam deeſſe tibi poterit poteſtas,cui ſumma in terris poteſtas, ab Omnipotente Chriſto collata eſt. Quod Paulus, quod Eccleſiaſticus, quod Clemens,quod Petrus, quod deinde alij Diuino ſpiritu, in eam euecti dignitatem Pontifices,quod demum ipſe Chriſtus in terris,ſuis Sanctis amicis,in gloriam & honorem concedere poteſt; poteris & tu qui Paulo & ſapiente non inferior, qui Petro æqualis, plenariam in terris Vicariam Chriſti poteſtatem,Diuino obtinuiſti munere. Quod ſi ſanctitati tuæ,non eſt ſuſpecta poteſtas, ſed minus forte rata eſt iuſtæ voluntatis conditio? Sed quænam poteſt eſſe magis æqua & iuſta, quam illa,quæ Diuina lege immobili ſancita eſt? Quid magis ſanctum & rectum,quam quod a ſanctitatis auctore,virga directionis moderatum fuit? Quid ita iuſtum,quam quod a iuſtitia ipſa obſeruatum eſt? Maria SS.Hyacinthum in Sanctorum cœtum,in illam Beatiſſimorum ſpirituum Eccleſiam introduxit:cur nõ introducet in Eccleſiam mortalium hominum,illa quæ pedibus Deiparæ ſubiecta, & ad illius normam ſeſe componere, & ex eius pulchritudine ſuum candorem illuſtrare nititur? Chriſtus Pontifex ſecundum ordinem Melchiſedech, qui aureo altari in Regno cœleſti, pro nobis aſtare,viſus eſt Hyacinthum in album Cœleſtium Ciuium,candido lapillo notare. Cur non Vicarius Chriſti Pontificis, in cathalogum Eccleſiæ Ciuium, notabit Hyacinthum? Ieſus Syrachus legis ſacerdos, illos qui fidei ardentis cõſtantia roborati,multa ſpecimina mentis altiſſimæ dederunt,in apothecam retulit: nõ referet Vicarius Chriſti Hyacinthum, qui eiuſdem fidei ardentis roboratus conſtantia, longe maiora mentis altiſſimæ dedit ſpecimina,& tantum veteres præceſſit ſanctos, quanto lux, tenebras,& corpus ſuam æmulatricem Vmbram?In immenſum,mea ſe poſſet attollere oratio, ſi contentionem inter illos & Hyacinthum,

ante

ante veſtros conſpectus proponere vellem. Neque enim quicquam fuit a veteribus illis, in ſanctorum cathalogum deſcriptis Sanctis, ſanctè, iuſtè pro animarũ ſalute patratũ, quod Hyacinthus non maiori cum laude perpetrauerit. Quid enim in eo deſideratis? Quid primum inter excelſas virtutes Hyacinthi cõſpicere optatis? Innocentiã Abelis? Purior extitit, niſi fallor vt non fallor, & profeſsione immaculatæ virginitatis, & candore incontaminato mentis. Deſideratis in eo ſanctitatem Noe, illius qui *inuentus eſt perfectus, iuſtus, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio*? Sed quid perfectius? quid iuſtius Hyacintho? quo nullus ſiue in conſeruanda mentis puritate, ſiue in procuranda religione, ſiue in Diuinæ legis ſtudio, ſiue demum in iuſtitiæ & probitatis cultu, vel diligentior, vel vigilantior extitit? Quis iracundiam Diuinam magis placauit, quam is qui Dominico Eccleſiæ reparatori, & quaſi alteri Moyſi in ſortem miniſterij aſcitus, nihil plus optauit, quam Diuino numini pias offerre preces, & ad Deum puras leuare manus, Deum iratum, ſui ſanguinis proprij, per ſeueram caſtigandi corporis aſſuetudinem profuſione, peccatoribus propitium reddere? Delectat vos obedientiam Abraami cõtemplari? Hyacinthus, ad nutum Dei, intra cordis ſui penetralia loquentis, vltimum vale mundo remiſit, nobilitatem contempſit, ſpreuit amorem parentum, diuitias calcauit, oblectamenta & voluptates reiecit, & ad montem virtutum excelſum, dicto citius euolauit. In quo quidem non ſuum filium, non agnum cornibus hærentem, ſed ſeipſum *in hoſtiam viuentem, ſanctam Deo placentem* obtulit. In ſeipſum ſuas intorſit manus, ſemetipſum captiuauit in obſequium Chriſti, ſuæ voluntatis temeritatem compreſſit, ſuis cupiditatibus defixit crucem, ſe totum ad inſtar agni innocentis compoſuit, & igne flammantiſſimo ardentiſſimæ charitatis ſuccendit, Summoque illi parenti voluptatem permaximam ex ſeipſo obtulit. Demiramini Moyſen populi Iſraelis inclytum Ducem, quod is in vita mitiſſimus, tantorum extitit auctor prodigiorum? Quid affabilius? quid dulcius Hyacintho, qui a Chriſto humilitatis principe, humilitatẽ edoctus, ſe infra ſe deiecit, ſeq; omnibus benignum & clementem oſtendit? Quid potentius Hyacintho, qui ſuper tumentes Boriſthenis vndas, ſicco ambulauit veſtigio? qui in iiſdem vndis, non Pharaonem, ſed inferni truculentiſſimum Regem; ſed mundi Principem, calcauit, demerſit? Phinees Eleazari filius in gloria perhibetur eſſe, quod ſuum Parentem *in timore Domini, in reuerentia gentis, in bonitate & alacritate animæ æmulatus* Madianitidem cum populo Iſraelitico fornicantem pugione confodit. Fornicata fuerat a veri Dei cultu Ruſſia, cuique idolo ſuos aperuerat thalamos, quemque Dæmonem

inferni

inferni ad ſuos admiſerat congreſſus. Stetit Hyacinthus & mærore tabeſcens illa ſecum expendens verba. Itane Imperator orbis, a ſuis exulabit finibus? Siccine populus Dei, Deum immani proſequetur odio? Sic flagitioſa idololatria, Summi Pontificis contaminabit Eccleſiam? Itane ſæua tyrannis dæmonum, in animas graſſabitur humanas? Ego teterrimo draconi ſuppoſitam Ruſsiam, æquis intuebor oculis? Zelo Diuini honoris ſuccenſus, vtrumque, & Sathanam & Ruſsiam, iaculis ignitis confodit. Confecit Ruſsiam gladio ancipiti eloquij Diuini confecit & horribilem Dæmonem; hunc ab eius thalamis profligauit, illam a Sathanæ congreſsibus ſeparauit. Quis oratione conſequetur, ardorem animi illius, quo in amplificanda religione ſuccenſus fuit? Quis verbis ſuis explicabit labores, pro ſanctitate iuſtitiæ propaganda ab Hyacintho exantlatos? Quis ad viuum exprimet, congreſſum illum cœleſtibus etiam virtutibus ſpectandum, quando Hyacinthus ſui oblitus, in lucum Dæmonibus deuotum, ſpe inuicta concitatus, ſuper Boriſtenem rapaciſsimum inceſsit. & altaria quidem noxio ſanguine contaminata ſubruit, ſtatuas abominandas euertit, idola comminuit, ſuccendit tenebroſum lucum, & Dæmonem illo fugientem, ſuper aquas inſecutus cum eo manus conferens, tandem deuicit, & glorioſa ab eo reportauit trophea? Alia ſunt hæc prælia quã Moyſi & Amalechitarum; longe atrociores hoſtes quam Madianitæ; multo potentior Sathanas quam Philiſteus; maioris periculi duellum quam Dauidis & Goliæ. Indignum igitur foret, ſi Hyacinthus inglorius maneret. Contra omne ius & fas eſſet, ſi Hyacintho victori, debiti honores non reſtituerentur. Fruſtra Hyacinthi contentionem & Triumphos Moſaicis, & Ioſue, & Gedeonis, & Dauidis, & ſi quis alius de hoſtibus palmam tulit, conferrem. Hyacinthus enim alterius pugnæ certamen ingreſſus, longe maiorem proſtrauit aciem, longe Diuiniorem referens victoriam. Hic eſt enim qui familiarem ſuum in duellum ſingulare euocans, ſceleribus bellum iuſtiſsimum indixit, effrenes paſsiones appetitus refrenauit, & motus de ordine reſilientes præfixo compreſsit. Hic libidinem ſceleſtam, inedia, cilicio, vigilijs, diſciplina, ferreis demum cathenis a ſuo profligauit corpore. Hic tumentes illas inuolantes quandoque affectiones, deiecit & ad terram alliſit. Hyacinthus vmbras illas mundi inanes, futiles voluptates, fucis obuelatum inimicum ſeſe inſequentem, nec aſpectu dignatus eſt. ſed ex eius manibus euolans, tam acerbo odio mundũ perſequebatur, quoties vt illi ante oculos obrepſiſſet, toties indigni flagitio ſe commaculatum fore iudicaſſet. Hyacinthus non aliqua illecebra mundi, nõ voluptate, non vanis pigmetis demẽtatus vnquã fuit. Explicauit ille ſeipſum *e manibus*

*bus hoſpitis ſuæ* abſtractus a ſenſibus, ſublatus a mundo, altiſſima mentis contemplatione, ad ſydeream domum contendebat. Nihil magis in votis habebat, quam in clariſſima luce defigere aciem, quam in domicilio beatorum verſari, quam ſuauiſſimam cum Deo inijre conſuetudinem. Video ego Hyacinthum nouum eſſe quendam Ioſephum, qui ſpecioſam illam meretricem ſeſe demulcentem, & ad ſuos complexus pellicientem, magnitudine animi contempſit, & ex eius ſinu reſilijt, atque ad veræ pulchritudinis illuſtriſſimum candorem, vigilanti ſtudio contendens, corpus ab omni flagitioſa libidine, & animum a quauis praua cupiditate, purum & integrum conſeruauit. Video Ioſephum potentiſſimum. Si miraculum adſpectes? Annonam conquaſſatam, & in ſuum priſtinum virorem, & in longe ampliores copias reſtituentem. Quod ſi & in alios ſanctos conijciamus oculos, Hyacinthus eſt alter Moyſes, qui Diuinum in nos furorẽ mitigauit, & qui hoſtes innumeros in Chriſtianam Rempub. inflammatos ſuo fudit auxilio. Hic eſt alter Ioſue, qui potentiſſimos ſuperbiæ Reges, è ſuo pepulit Imperio, & in cauerna inferni tenebroſa concluſit. Hic alter Samuel ſanctitate & integritate, alter Dauid iuſtitiæ cultura, Salomon ſapientia, zelo Elias, ſpiritu Dominici vtroque repletus Eliſeus, Ioſias religione, Ezechias inſignium virtutum ſplendore. Nullus eo Virginitatis illibatum florem vigilantius ſeruauit, nemo puritatem animi diligentius coluit. Nemo qui minus cum mortali corpore commertiũ habuit, nullus qui maiori luce Diuina illuſtratus, formã & ſpeciem veræ ſanctitatis magis retulit, vt Hyacinthus. Hyacinthus nõ hominis cuiuſdam, ſed Dei inter mortales agentis imaginem ſuæ ſuperinducẽs menti, eos radios fulgentiſſimos ſanctitatis in omniũ aſpectibus diffudit, vt & plurimos ad veræ lucis fœliciſſimam cognitionem, & non paucos ad faſtigium virtutis, ſuo candore pertraxerit. Tuarum ergo o B. Pater erit partium, ſua virtuti elargiri præmia. Nihil vereare, ne indigno ſublimes iſtos conceſſeris honores. Qui tunſionibus preſſuris expolitus, in altiſſimam Cœlorum Hieroſolymam, manibus artificis ſapientiæ Diuinæ inſertus eſt; dignus eſt quoque in parietem Eccleſiæ ſupra Petrum ædificatæ, per te qui *trullam cementarij, in manibus geſtas* inferri. Qui in Paradyſum deliciarum, ab hortulano Cœleſti in admirabile vaſculum, omni precioſiſſimo lapide gloriæ ornatum translatus eſt; dignus erit, vt & in hortum Eccleſiæ concluſum tranſplãtetur, ſuauiſſimoſq; virtutũ odores lõge lateq; diſpergat. Qui Sanctiſſimi Pontificis Ieſu Chriſti iudicio, & liberalitate, inenarrabili honore amplificatus in Cęlis, ſumma in veneratione habetęquũ eſt vt &

in terris condecoretur laudibus. Dicam quod ego ſentio. Iuſtum eſt vt Hyacinthus in Apotheoſim referatur. Iuſtum vt ab vniuerſali Eccleſia, iis quibus olim a Polonia honoribus celebretur. Iuſtum vt pro ſanctiſſimo viro, & habeatur & ſuſpiciatur. Iuſtũ vt publica veneratione vbique terrarum & gentium celebretur. Iuſtum vt in eius nomine erigantur altaria, Baſilicæ cõſtruantur, vt illi anniuerſarij dies fæſti in vniuerſo terrarum orbe ſolenni ritu inſtituantur. Iuſtum vt eius imagines artificioſo penicillo delineentur, & in locis Eccleſiæ eminentioribus ad colendum proponantur. Iuſtum vt inæſtimabiles corporis eius reliquiæ, ſuis honoribus afficiantur. Iuſtum vt in eius memoriam, tremendum altaris myſterium offeratur. Iuſtum (vt compendio dixerim) vt Hyacinthus cæteris ſanctis adnumeretur, & Catholicæ Eccleſiæ toto Orbe terrarum diffuſæ, tum in exemplar venerandum; atque imitandum, tum in Protectorem & præſidem ad inuocandum, a te qui ſummam poteſtatem obtinuiſti in terris exhibeatur. Dicebam.

# ORATIO QVAM ROMAE IN AVLA REGIA, CORAM SS. D. N. CLEMENTE PAPA VIII. & S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, aliorumq; Prælatorum grauiſſimo conſeſſu.

*M. D. Cynus Campanus Aduocatus Conſiſtorialis, in laudem Sancti* HYACINTHI *Confeſſoris recitauit.*

*BEATISSIME Pater. De Admirabili vita Beati Hyacinthi, de Cæleſtibus virtutibus, de ſtupendis eius miraculis, iuſſu V. S. mihi verba facturo, hæc dies præ cæteris alijs vitæ meæ curſus illuxit, certe lætiſſima, tum quod tantæ mihi contigerit ſeruire fœlicitati, tum multo magis, quod tibi Pater Sancte, huic Auguſtiſſimo ſenatui, Sigiſmundo III. Poloniæ & Suetiæ Regi, de Ieſu Chriſti fide & de hac Sancta Sede bene meriti, huic vrbi vniuerſæ, denique Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, ob tantum additum decus, ob nouum hoc in cælo patrocinium ſperem, imo liquido perſpiciam fore fœliciſſimam. Hæc ſacra Area, quæ mihi alias de arduis rebus agenti viſa eſt apprime ſplendida, ad referendum ampliſſima, ad agendum ornatiſſima, hodie cum de morum fulgore, ac eius Beati viri ſanctitate referendum ſit, longe quidem amplior, longe ornatior, atque ſplendidior apparet. Conſpectus hic veſter, qui mihi & omnibus, qui lucem amant fuit ſemper admodum venerandus, ac periucundus, hodie magis atque magis venerandum, ac omnis iucunditatis plenum contueor. Siquidem vos contemplor, non ſolum de more magno, & erecto animo eſſe, ſed adeo alacri, læto, & ingens cordis gaudium ob excelſas, quas expectatis de Beato Viro audire virtutes præſeferenti, vt ego qui ingenij tenuitate, imbecillitate memoriæ, propter rei magnitudinem valde deterrebar, hoc veſtro grato, atque hilari aſpectu totum me ſentiam recreari. Enimuero ob nouam magnam fulgentem Hyacinthinam gemmam, Auream Sanctæ Matris Eccleſiæ coronam vna cum cæteris illuminantem, magnopere cunctis Chriſti fidelibus lætandum eſt. Sed tibi inprimis Pater Beatiſſime vehementer gratulandum, quod cum turbulentiſſimis Sarmatiæ interregni temporibus (dum eſſes in minoribus) difficillima illa apud hyperboreas gentes Poloniæque Regnum, eiuſdem Sancti Hyacinthi patriam, & ſuarum virtutum, operumque admirabilium theatrum ſpectatiſſimum legatione fungeris, optime noueris qualis ille fuerit, quæ vniuerſis illis regionibus, & alijs propinquis erga eum Beatum Virum veneratio, ac deuotio, qui in animis in omnium illarum partium, populorum voce de ipſius laudibus concentus, quæ inſignia atque Illuſtria, tam in vita, quàm poſt obitum ediderit, edatque in dies*

*miracula, fidem indubiam præbentia in conſpectu altiſſimi inter beatiſſimos ſpiritus locum obtinere fœliciſſimum, ſubindeque huic Beato Viro fœlici tuo Pontificatus tempore, tibi ſit à Deo datum ſanctitatis triumphum, ac lauream miro, cum omnium ordinum gaudio eidem decernere. Eſt & inſuper Pater Beatiſſime non leuis tibi gratulationis occaſio, quod huiuſce futuræ (vt ſperatur) fœlicis Canonizationis tui eiuſdem nominis, & ex eadem florentiſſima Patria oriundus ſc. rec. Clemens Septimus principium fuerit auſpicatus, cum diligenti habito proceſſu. Sigiſmundo Primo Poloniæ Rege vehementer expetente, Primatibus Regni ſummis precibus obſecrantibus conſulto decreuerit. Beatum Hyacinthum in Poloniæ tantum Regno eſſe venerandum, & pro Sancto colendum, deſuperque Pontificios codicillos in forma breuis ſub annulo piſcatoris exarrauerit, ac publicauerit. Quod decretũ Clemẽs VIII. Pont. Opt. Max. & fœliciſſime, nunc Sigiſmundus Tertius Poloniæ, & Succiæ Rex & ſuo nomine Stanislaus Minski eiuſdem Regis Legatus, hic præſens abs te poſtulat atque orat, vt non ſolum digneris extendere, & ampliare, vt vniuerſus Chriſtianus orbis, eundem Sanctum Hyacinthum veneretur & colat, eundem Beatum merito Canonizationis decreto condecorare.*

*Sed quoniam hoc ipſo celeberrimo actu, nullus inter mortales pene maior, nullus ſane illuſtrior fieri, excogitarique poteſt. cæteri namque qui ab hominibus honores tribuuntur, cito tanquam fumus, vel vmbra recedunt, & vna cum homine funditus intereunt. At hic honos, qui prius datur in cælo & poſtea per eius Vicarium confertur, & renouatur in terris, quamuis cælum & terra mutentur, vt æquum eſt, in æternum in gloria duraturus. Cum itaque decus hoc immortale à Sanctiſſimo, & integerrimo S. Matris Eccleſiæ iudicio non ex liberalitate largiendum ſit, ſed iure ipſo, & per iuſtitiæ tramites tribuendum pro honore huiuſmodi, quantum maximo decernendo æquum & iuſtum eſt, vt huius Beatiſſimi Viri inſignis vitæ æternorum qualitates referantur, non quidem quot & quam maxime, nam hæ captum humanum excedunt; nam vt Diuus Hieronymus in vita S. Paulæ Matronæ Romanæ ait: ſi omnia membra conuerterentur in linguas, ſi omnes nerui vocem humanam reſonarent, ne minima quidem pars eius qui eſt ampliſſimorum meritorum ſuorum ſplendor, & celſitudo recenſeri valeret. Quid ergo mihi in tam ingenti admirabilium rerum copia agendum erit, qui, nec ingenio, nec memoria, nec facundia valeam, ſolum obſequendi, ac tuo Pater Beatiſſime parendi deſiderio audeam. Imitabor igitur eos, qui ad verum fontem ſitientes accurrunt, non vt vniuerſos perpetuo ſcaturientes latices hauriant, nam id inſipientium eſſet conari, ſed vt ſitim leuent, & vaſculum quod ſecum gerunt, quantum capere poteſt abunde repleant.*

*Sed quia non me tali dignor honore, vt liquidiſſimis ſuarum virtutum fontibus mea hæc immunda proluam labra. Tu Beatiſſime Hyacinthe, qui elingues*

gues pene ſactos,& nullum verbum vi morbi ingraueſcente proferre valentes Diuino inuocato nomine ad loquendi facultatem reuocaſti, & linguæ modulos ægritudine depulſa reſtituiſti,ſupplex oro, per eam quæ iu te ſingularis, dum in humanis ageres fuit charitas, & hodie multo magis hac ipſa coram Sole pietatis æſtuas,vt noningentis alijs per te præſtitis miraculis, hoc ipſum addere digneris, vt balbutientem linguam meam exſolui & labra mea aperiri a perenni gratiarum fonte impetres, quo aliqua ex pręclaris bene ſanctaque anteactæ vitæ tuæ geſtis, ac ingentibus miraculis ad omnipotentis Dei gloriam,tuamque laudem valeam recenſere.

Ortus eſt igitur Beatus Hyacinthus,ex nobiliſſima familia Odrouons, Patria Polonus Anno, vt potui ex varijs ſcripturis colligere,a Natiuitate Domini noſtri Ieſu Chriſti 1183. In qua familia præter Generales exercituū ductores,& de Barbaris, & Chriſtiani nominibus hoſtibus magnificos triumphatores plures floruere Eccleſiarum Antiſtites, Epiſcopi & Archiepiſcopi. Eidem etiam familiæ magnum deinde additum eſt ornamentum. qui ex materno eiuſdem latere prodijt,ampliſſimi huius ordinis Cardiualis Radziuil,vita, moribus,& virtute ab illuſtribus anteceſſoribus minime degener. Habuit autem Beatus Hyacinthus patrem Comitem, Heroem præſtantiſſimum. Patruum Iuonem de Konskie Cracouiæ Epiſcopum. De cuius vitæ ſanctimonia egregijs animi dotibus,& cunctarum virtutum corona, ſi hic ſuus eſſet locus, mea quidem oratio facile principium inueniret, exitum vero perdificilem, Fuit etiam ſuis parentibus Deum timentibus in via Domini alitus, educatus atque inſtitutus. Poſt puerilia autem rudimenta, et audita oratoriæ artis præcepta,cum eſſet in primo adoleſcentiæ flore,cœpit Ciuilibus, & Canonicis ſtudijs, his ſacræ etiam Theologiæ accurate vigilantiam adiungens, in Ciuitate Bononiæ iugiter operam dare. Inde Poloniam rediens Iuoni Epiſcopo Cracouienſi patruo ſuo, qui quemadmodum dignitate, ita etiam vitæ Innocentia tanquam fax in alto poſita,Diuino amore accenſa alijs,mirifice prælucebat libentiſſime adhæſit. quo in dies magis illius exemplo excitatus,in Dei ſeruitio proficeret,& in ſemita recte ſancteque viuendi firmius veſtigia figeret. Quod profectò ſicut optabat ſeliciter ſibi vſu venit, quando quidem patruus ille perprudens,cognito generoſo Iuuenis animo, nil aliud prorſus affectanti, quam, vt diuino cultui penitus vitam addiceret, in Canonicorum numerum qui hoc magnopere optabant adſciri permiſit. Quo in ordine ita egregie,& per omnia ſe geſſit morum ſuauitate,humanitate,charitate refertus,quam indefeſſa ſedulitate Eccleſiæ inſeruiens, vt nullus ex collegis exiſteret, qui de admirandis eius virtutibus ac meritis paſſim non prædicaret. Interea cum emineret Vir Beatus eo in ordine, non ſolum vt in corona, ſed tanquam in regio diademate fulgidiſſimus Hyacinthus, Ecce Deus illum ad maiora vocauit. Iuonem namque Epiſcopum Romam euntem ſecutus,cum Sanctum Dominicum magno

cum

*cum animi ardore, & intimis charitatis viſceribus audiret verbum Domini frugiferè in vrbe prædicantem, & verba illa referentem, & diuinitus explicantem: ſi vis perfectus fieri, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, ſummo flagrans deſiderio diuino parendi conſilio, & iam ſibi conſtaret ſectari Beati Dominici veſtigia, Iuoni, quem vt dominum reuerebatur, certum fixumque propoſitum aperit. Illico Patruum, vere tanti nepotis amantiſſimum, cui non caro, non ſanguis reuelabat, ſed vt erat Præſul religioſiſſimus, æternamque gloriam huius mundi breui, & inani anteponens, Sanctus Spiritus inſpirabat, incredibili perfuſus lætitia cæleſtem potiuſquam humanam Nepotis deliberationem amplectitur, & occaſione data Honorio III. tunc temporis Pontifici Maximo, qui cum eo, dum ambo ſtudiorum cauſa Pariſiis verſarentur ſolidam contraxerat amicitiam, communicat. Honorius qui Beati Hyacinthi doctrinam, & ingenium quale eſſet non ignorabat, & laudatiſſimi, qui eſſent eius mores a multis audierat, vaticinatus eſt. Nec eum iudicium feſellit, ſi Beatus Hyacinthus Diui Dominici alumnus ac ſocius efficeretur, apud latas Arcturi, & Septentrionis plagas magnam Catholicæ fidei lucem ac ſplendorem eſſe allaturum. Accerſito itaque Beato Dominico, eique Beati Hyacinthi firmiſſima deliberatione oſtenſa, vti filium commendat. At is vbi diuum Dominicum libenter annuere intellexit, ſtatim ſumma cum deuotione, & humilitate, animo tamen lætiſſimo Dominicanæ Religionis habitum, & indumentum in Eccleſia Sanctæ Sabinæ, Immortali Deo ducente ſuſcepit. Ac per id temporis dum Romæ fuit nunquam à ſacro Dominici latere diſcedit, ita viuens vt non ſibi, ſed Chriſto videre videretur. Sed poſtquam uelut alter Eliſeus, hauſit ab Elia ardoris diuini ſpiritum, quippe quo Diuus Dominicus erat inflammatus eiuſdem placito, & benedictione, tribus cum ſociis, quibus cum fuerat religione initiatus, Ceslao, ſcilicet, Hermanno, & Henrico tribus quaſi ſtellis, ſpe, fide, & charitate comitantibus, Alpes ſuperat, Carinthiam peruenit. Vbi ciuitatis Frizacenſis populo, verbi prædicatione commoto, & ad cultus diuini ſinceritatem inceſo, prima ibidem Prædicatorum ordinis magno cum omnium applauſu fundamenta iecit, nobile monaſterium erexit, atque inſtituit. Relicto autem in eis partibus Hermanno, quod Theutonici ſermonis peritus cenſeretur, Craconiam veniens, quamuis ab omni populari auræ honore, quæ ſua erat ſingularis humilitas abhorreret, tamē quaſi ouās à toto clero et ab vniuerſo populo nil tale cogitans honorificentiſſime recipitur, Augentur honores vbi eius eloquio, ac doctrina, & vitæ inprimis ſanctimoniam ſentiunt, ſe inflammari, & indies magis Chriſtianis illius operibus grandibus, & inſignibus ex intimo corde commoueri. Quare nullum fuit illi negocium, in ea principe Regni ciuitate, Monaſterium in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis ordinis Prædicatorum erigere, quod tanquam maximum, & munitiſſimum Catholicæ fidei propugnaculum fæliciter poſuit, atque inſtruxit. Sed*

*cum*

*tum eiuſdem Sancti viri fama in vniuerſum Regnum, proximaſque prouincias diffunderetur, & in dies magis illuſtriorum factorum ſuorum rumor increbreſceret, & à cunctis populis maxima in veneratione haberetur. Erant namque iam vbique illarum gentium notæ ipſius, pietas, charitas, manſuetudo, continentia, humilitas, patientia, ieiunia, vigiliæ, orationes, incredibileſque aliæ ſingulares, quæ ſicut alterum Solem, ipſum Dei ſeruum ſplendeſcere faciebant. Quibus fiebat, vt quodcunque opus ad honorem Dei moliretur, quam celerrime ad fœlicem exitum perduceret, fac de prætereà ſibi fuit in ciuitate Pragen. per Ceslaum ſocium ſuum ſub nomine S. Clementis, & Vratislauienſi alterum nobile monaſterium, ſub inuocatione S. Adalberti Martyris, & Pontificis erigere, qui etiam miraculis clarus ibidem obijt, & alia complura breuitate temporis prætereunda, quæ in Bohemia, Maſſouia, Sileſia, Morauia, Pruſſia, Ruſſia, atq; in tota Germania eiuſdem Prædicatorij ordinis multa cum religione, & populorum deuotione, cultuſque feruore Monaſteria partim ipſe conſtruxit atque ſtabiliuit, partim poſt eius obitum adhuc ſanctæ eius memoriæ vigore, a fundamentis erecta. Illud ſolum referre liceat, nimirum cum S. Hyacinthus à magno Cruciferorum Magiſtro, inſulam impetraſſet, & Eccleſiam atque Cõuentum eiuſdem ordinis, in honorem D. Nicolai edificaſſet, & magnos fuiſſet factus eo religioſorum concurſus, cum locus atque inſula eſſet minime capax, vtpotè piſcatorum refugium, Deo volente poſt multa tempora Maris fluctus ſeſe vltra quinquaginta millia ſtadia retraxerunt, anſamque dedere non ſolum ad monaſterij commoditatem, & amplitudinem, verum vt ibi poſtea ciuitas Genadenſis poneretur cum portu pulcherrimo, atque tutiſsimo. Memoratu autem illud dignum eſt, & a meritis S. Hyacinthi non alienum, vt quamuis Monaſterium pluries ipſius ciuitatis hæretici inuaſerint, nunquam tamẽ dictum Monaſterium occupare potuerunt. De progreſſu ſanctiſsimarum ſuarum actionum hactenus, nunc de moribus breuiter dicendũ eſt. De quibus vnum illud dicere ſufficeret, fuiſſe Diui Dominici alumnum, & ſocium, & illi perſimilem. Vterq; enim pro Catholica fide labores ingentes exantlauerat, alter in Italia, in Hiſpania, & in Gallia, alter inter nationes ſub Septentrione poſitas. Erat denique Sanctus Hyacinthus quemadmodum Diuus Dominicus, rutilante virginitatis flore ornatus, pretioſo vt ille profundæ humilitatis theſauro dotatus, toto corde, tota anima erga Deum intentus in continuis orationibus, lectionibus, confeſſionibus, ſacrificijs, officijs alijſque pijs peragendis operibus perpetuo occupatus. Et vt contemplationibus aliquot tempus ſupereſſet, non in thalamo, & cubili, ſed in Eccleſia pernoctare ſolebat, corpuſque nodoſis cordis, vel vt vulgo vocatur, diſciplinis afflictum ieiunijs per ſingulas ſextas ferias; in honorẽ Sanctæ Virginis, & ſanctorum Apoſtolorum vigilias in pane, & aqua maceratum, ſuper nuda terra, & caput ſuper lapide, vbi ſomno cedere cogeretur, ante altare declinabat, quo per incommode*

*parum.*

*parum quieſcens iterum ad nouas vigilias, contemplationesque & orationes facilius excitaretur, memor verborum Domini, ad diſcipulos in horto recumbentes. Non poteſtis vna hora vigilare mecum, & quæ ſequuntur, &c. Quantum vero, ſpe, fide, & charitate valuerit, quæ ſunt noſtræ ſalutis propugnacula munitiſſima, ex eius operibus cognoſcite. Nam charitatis illud fuit ſignum euidentiſſimum, cum is ex nobiliſſima familia oriundus, cunctas opes, quibus affluebat in pauperes alendos diſpergeret, in Eccleſias, in Monaſteria & conuentus ad gloriam Dei extruendos erogaret, cumque nil amplius haberet, quod ægenis largiretur, totis commotis miſeratione viſceribus, ad lacrymas, ad orationes confugiebat, vt miſeris ſolamen, auxiliumque a largitore Deo imploraret.*

*Qua vero ſpe fultus fuerit, ex eo perſpicite. cum audacter poſſet, vna cum Chriſti diſcipulis dicere. Ecce omnia relinquimus, & ſecuti ſumus te, nec ſolum diuitias, tanquam acutiſſimas ſpinas, ſed cunctos honores à ſe abdicauerat. Et ne rebelleſceſſent ſenſus, incredibili humilitatis calcare deuicerat, & in chamo, & freno maxillas eorum conſtrinxerat. certiſſima ſpe fretus, æternum ſibi ſolatium in cælis iri præparatum. Qua vero fide vti ſcopulo firma, & conſtanti aduerſus tentationum mare extiterit, non ſolum ex paulo ante dictis, ſed ex innumeris Chriſtianis operibus, quę temporis breuitas ſub inuolucro ſilentij contegi iubet, nec ſi ſineret, poſſem tantam copiam tam puſilla languenti memoria mea complecti. Sed ad quid laborandum? Nam ſi ſumma, & excelſa fide, vel vſque vltra granum ſinapis prędıtus non fuiſſet, non omnia commoda abieciſſet, non per tot labores ſeſe commiſiſſet periculis, non tot tantaque Eccleſiarum, & Monaſteriorũ moles in varijs Prouincijs, quæ magna ſuę fidei, ac pietatis adhuc extant monumenta, condita à ſe fuiſſent, per eum muti loquuti eſſent, cæci vidiſſent, membris concuſſi ambulaſſent, mortui ſurrexiſſent, ſiccis pedibus, & rapidos fluuios tranſmitteret, quomodo ille conuulſas ſegetes in priſtinum reſtituere potuiſſet? Quæ admiranda, & ſtupenda miracula non niſi à ſingulari, & immobili fide præditis poſſe fieri, & ab omnipotenti Deo ijs datum eſt. Quæ quidem miracula, cum Sanctum Hyacinthum feciſſe legitimis ventilatis probationibus, & ſacræ Rotæ Auditoribus, & Eccleſiæ ampliſſimorum Cardinalium, Sacrorum Rituum Congregationi conſtiterit, quam potero breuiter, ex ingenti cumulo pauca recenſebo. Primum igitur illud eſt. Dum proficiſceretur Cracouiam, propter feſtum Sancti Stanislai Regni Poloniæ patroni celebrando, in ripa Iſtulæ fluuij, quem erat tranſiturus magna comperta hominum multitudine. Ecce ex ea prodiens nobilis mulier Flaniſlauia, quæ notam habebat S. Hyacinthi ſanctitatem, & charitatem, ſingultibus, & vlulatibus omnia complens ad eius pedes procidens orabat ſupplex & gemens, vt Petrum de Villa Proſſouuo, vnicum filium ſuum heſterna die in flumine obrutum, & in ripa mortuum exiſtentem, ſuis porrectis Deo*

pre-

*precibus in vitam reuocaret. Vir Beatus miſericordia motus, & non ſine lacrymis ſcorſum humiliter Deum pręcatus, ad cadauer veniens, & illius ex animi manu apprehenſa, ita omnibus audientibus obteſtatus eſt. Petre. D. N. Ieſus Chriſtus, cuius veram gloriam ego prædico, per interceſſionem Beatę Marię Virginis te in priſtinam vitam reſtituat, ille ſtatim viuus ſurgens gratias egit Deo, Beatiſſimæ Virgini, & S. Hyacintho tam ſingularis gratiæ pio miniſtro. Idem operatus eſt, vt patet in vita eiuſdem Sancti, per Fratrem Staniſlaum S. Theol. Lectorem fideliter ſcripta, in vnico filio, alterius nobilis viduæ, nomine Tribiſlauę Dominæ Caſtri Serniki, Qui filius a matre miſſus, cum ſuo armigero Craconiam, vt inuitaret Sanctum Hyacinthum, ad prædicandum in die feſto Sancti Iacobi Apoſtoli, eiuſdem Villæ patroni, rediens miſer, & incautus iuuenis, in Rabba flunio ſubmerſus eſt. Cuius corpus cum nuſquam ex aquis appareret, in occurſu dolentis matris, ac totius populi concurſu, Sanctus Hyacinthus diuino inuocato nomine, imperauit aquis, vt corpus in ripam rediret, atque in hæc verba ſuſcitauit. Fili Viſlac D. Ieſus Chriſtus, cui omnia viuunt, ipſe te viuificet, & illico viuus factus eſt, magno cum omnium ſtupore. Sed O Sancte Hyacinthe, qui plenus fidei, tuis apud Deum meritis, mortuos ad vitam reuocaſti, quod omnium certe miraculum eſt longe præſtantiſſimum, multo facilius tibi fuit, alia quæ ſequuntur, pro tua ſingulari charitate, à fonte miſericordiarum Deo impetrare. Ecce mulier Iudka, ex nobili genere oriunda, tam graui paraliſi laborabat, vt præter aliarum corporis partium concuſſionem, linguæ vſum ferè penitus amiſiſſet, nullum valens obloqui, aut concipere verbum. Et cum eius filius Prandota, ſolertiſſimam medicorum artem fruſtra adhibuiſſet, tandem ad S. Hyacinthum matrem perduxit, ipſam humiliter illi commedans, vt ſua interceſſione adiuuaret. Vir Sanctus ad paraliticam conuerſus, ſic locutus eſt. D Ieſus Chriſtus, liberet te ab hac infirmitate, & modulos linguæ reſtituat. Repente morbus exulauit, & linguæ impedimento ſoluto, cępit verbis clarè conceptis, & voce expreſſis Deum benedicere, mirabilia operantem per ſanctos ſuos. Sed quam præſtanti, qua firma fide fuerit Sanctus Hyacinthus ex eo intelligi poteſt. Non eſt diſſimile, per quod Apoſtolorum Principis, fides magnopere eluxit, cum iuſſus à Domino nauicula deſcendere, & ſuper aquas ad ſe venire, repente parere, & aquas pedibus calcare non dubitauit. Ita S. Hyacinthus, cū flumen Vandalū, auctis aquis tumentē rapidū, & alueū ſuper ripā extollentē tranſmittere properās, vt apud Viſſogradū Ducis Maſſouiæ Vrbē, vbi verbū Domini prædicaret, nullo reperto nauigo ad ſocios Florianū, Godinū, & Benedictū conuerſus. Fratres, inquit, oremus Deū, cui Cœlū, terra, mare, & fontes aquarum obediunt, vt det nobis ad ſui laudem fluuium hunc pertranſire. Oratione habita, triumphalique Crucis ſigno, ſuper aquas extenſo, illas ingreſſus, ſequimini me, inquit; & cum iam ſicco pede, ſuper flumine pergere cepiſſet, videns ſocios fluminis impetu terri-*

*tos, minime ſequi, pallium ſuum ſuper aquam explicuit, ſocios ſic alloquutus. Fratres cariſſimi, hic eſt pons Chriſti. In nomine eius tranſite & nolite timere. Tranſiuerunt itaque, & ciuitatem appulerunt, populus autem, qui erat in proſpectu ſumma admiratione, & ſtupore correptus, Deum & corde & voce laudabat.*

*Liceat mihi vobiſcum Patres Ampliſſimi, qui ex Religionum ordinibus, ad hunc celſum Cardinalatus gradum aſſumpti eſtis congratulari, quod vobis miſericors Deus, dederit poſſe tumentem, & rapidum vitæ huius torrentem, ſine nauigio ſuper hoc Chriſti Ponte, ſcilicet religionis habitu ad ſalutis portum, quæ omnium maxima gratia eſt, & cæli ciuitatem peruenire. Sed aliud ſtupendum ſimile, miraculum, quod antiquus liber ſcriptus Stanislai refert. Tartaris ciuitatem Kiouiam inuadentibus, Beatus hic vir, Sanctiſſimo ſacramento manibus ſuſcepto, & imagine Beatiſſimæ Mariæ Virginis, ſupra ſuas vires graui, & ponderoſa ſuper humeris impoſita, ne à Barbaris ab omni pietate, & cultu alienis conculcarentur, Boriſtenem fluuium Europam ab Aſia diuidentem ſua rapiditate, & profunditate metuendum, ſiccis pedibus pertranſiuit, & ſacra, quæ ferebat in tutiſſima ſtatione collocauit. Extat & adhuc in Eccleſia S. Trinitatis Cracouiæ, illa eadem Beatiſſimæ Mariæ Virginis imago apprime venerabilis, Extant, & vt à multis relatum fuit, apparentia ſuper aquis eiuſdem fluminis Beatiſſimi viri plantarum veſtigia. Sed quid mirum? Si cæli Reginam? ſi eius filium Saluatorem non Cæſarem vehebat? Ecce aliud mirabile ſignum, ab eodem relatum, in feſtiuitate translationis S. Stanislai occurrit. Nobilis matrona Vitoslaua, quæ vno partu filios geminos ediderat, oculorũ luce priuatos ſeptimo Anno natos. Quæ lacrymans orabat Sanctum Hyacinthum, vt ſuis acceptiſſimis Deo precibus, lumen illorum oculis infunderet. Vir Beatus charitate, & pietate plenius, habita ſeorſum oratione, crucis ſignum ſuper oculos imponens puerorum, ocellis lumen infundit. Sed non minus, quod ſequitur dignum eſt audiri miraculum. Clementia nobilis mulier, Domina Villæ Koſtzielecz, Sanctum Hyacinthum redeuntem ex Kyouia Ruſſorum Metropoli, ad domum ſuam inuitat. Ecce interim turbine exorto tam grandis, ac inſolita cecidit grando, vt omnes ſegetes, magnam vbertatem præſeferentes, prope maturas decuſſerit, atque euaſtarit. Aduentati autem Beato viro, mulier, & alij illarum partium lacrymantes, & pro tanto, ac tali infortunio dolentes, ſeſe illi obnixe commendarunt. Vir Beatus eos hortatus eſt, vt tota ſequenti nocte vigilarent, & omnipotentem, miſericordemque Deum orarent. Mane autem exorto Sole, viderunt cunctas vndique ſegetes abundantes, quas funditus perditas deplorarant, ſuis ſatibus longe vberius, quam antea refertas, immortali Deo gratias ſine fine agentes. Hactenus de his, quæ ex compluribus alijs, quæ ab eo viuente miraculis geſta ſunt, Nunc de felici ipſius obitu dicendum eſt. Multos Sanctus*

*Hyacinthus ad honorem Dei perpeſſus labores, ab Anno Domini* 1216. *quo tempore religionem illam eſt ingreſſus, vſque ad Annum* 1257. *quo tempore ab huius mundi carcere eſt egreſſus. Cum in craſtino feſtiuitatis Sancti Dominici ægrotare cæpiſſet, in feſtiuitate Aſſumptionis Beatę Mariæ Virginis, infirmo corporis pondere ſolutus, euolauit in Cælum, fratribus & vniuerſo populo quaſi a patre deſtitutis gementibus, ac lacrymantibus, mirum ſui deſiderium relinquens. Quem ſane extremum vitæ ſuæ actum, non ſine magna ſanctitatis ſignificatione proceſſiſſe, putandum eſt. Nam quid aliud præſeſert aduerſæ valetudinis initium, in feſto die Sancti Dominici, niſi quod ab eo tempore, quo eidem ſe diſcipulum, & ſocium addixit, quemadmodum ægrotatio ſolet omnia membra concutere, & omnes ſenſus conturbare, ita ab illo tempore Sanctus Hyacinthus, cæpit corpus ſuum laboribus, & ieiunijs indies magis affligere? Quid aliud receſſus ab humanis, in die Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis, niſi quod aſſumptam Reginam, in cælum ſit cum Angelis comitatus? Fælix certe ægrotatio, fælicior è terris diſceſſio. Laudabile teſtamentum, quo ingentem fratribus ſuis reliquit (his verbis) humilitatem ſeruate, charitatem mutuam habete, paupertatem voluntariam poſſidete. His dictis, cum pſalmi illud pſalleret: In te Domine ſperaui, & ad illa verba veniſſet, In manibus tuis Domine commendo ſpiritum meum, fæliciter in Deo obdormiuit. Atque in die ſepulturæ ſuæ, ſtupendum hoc egit miraculum. Adoleſcens ex Illuſt. familia, nomine Zegota, equum ferocem in campo Sancti Floriani, ad curſum impellens, ab eo proiectus, fracto collo, membris colliſis extinctus eſt. Miſeri parentes infælici accepto nuntio, vbi lacrymas, & ſingultus prodeſſe minime viderent. Defuncti corpus ad ſepulchrum afferunt Beati Hyacinthi, vbi per horam penè orantes gratia obtenta, filium viuum & ſanum receperunt. Poſſem innumera poſt ſuum obitum recenſere miracula, & maxime de his qui voto emiſſo ad Beatum Hyacinthum, ab alijs grauiſſimis, & nulla arte medica ſanandis morbis, ſunt priſtina valetudini reſtituti, vt de quadam Barbara, & Vrſula Cracouien. Altera lethali morbo, a duobus annis media conſumpta, inſanabili hydropiſi laboranti, quas ex voto, Beatus Hyacinthus, eidem emiſſo ſtatim ad valetudinem reſtituit, & alias perſonas innumeras. Sed quia his maiora multa recenſuimus, ſilentio dixi prætereunda; illud ſolum erit pro coronide: Honeſta mulier Catherina Matiſſouna Cracouien. filium ediderat non ſe mouentem, non ſpirantem; ſed penitus a tribus horis mortuum. Illa cum coniuge, propter infælicem partum, dolebat quod filius ſanctum baptiſma non recepiſſet. Emittunt itaque votum ad Beatum Hyacinthum, ſubindeque genitor fidei, & ſpei plenus, ad ſepulchrum Beati Viri oraturus accedit, finita oratione domum rediens, viuentem, & vagientem puerum inuenit. Cum igitur Pater Beatiſſime Diuina ſit promiſſio immobilis, & æterna, vt* qui fecerit, & docuerit, magnus vocandus ſit in Regno cœ-

lorum: nec non &, qui recte curſum vitæ conſumauerit, fidem ſeruauerit, ſit ei Corona iuſtitiæ, a munificentiſſimo æterno remuneratore repoſita, & quam legitimè conſtet Beatum Hyacinthum, conſtanter hoc toto vitæ tempore preſtitiſſe, & probatum ſit in numeris admirandis ſignis confirmaſſe, quemadmodum Sacri Palatij Apoſtolici diuini, humanique Iuris notitiæ, in arcæ conſtituti Rotæ Auditores ad id delegati diligentiſſima adhibita cognitione, & veſtigatione, manibus ſere palpantes pro veritate determinarunt; deinde ſapientiſſimi, ac prudentiſſimi, pro ſacris ritibus ſeruandis, & cuſtodiendis, & in ſpecie pro hac cauſa pluribus vicibus congregati Cardinales, Beati Hyacinthi merita, atque miracula tanquam aurum ad ignem, ſubtiliſſimè examinarunt, & conſultiſſimè approbarunt, rite ſancteque decreuerunt, Beatum hunc virum eſſe in numerum ſanctorumque Cathalogum adſcribendum. Cumque Clemens Septimus, & Paulus Tertius ſe. re. eundem vſque ad perfectam Canonizationem, in Poloniæ Regno colendum, & venerandum eſſe declarauerint. Aequum eſt Pater Sanctiſſime, vt quem triumphantem, iam eſſe in Cælis maniſeſtiſſime patet, eundem in vniuerſo Chriſtiano orbe, ad gloriam altiſſimi, ad bonorum excitationem, communemque lætitiam triumphare cōcedas, & quemadmodum Hyacinthi gemma, in Angelorum ſplendet corona, vel tanquam flos pulcherrimus, in Paradiſi delitiarum hortis retinet, ita ſplendeat, & micet in terris. Concupiuit hoc ipſum mirificè Sigiſmundus Rex Primus; hoc Stephanus Rex, hoc maxime omnium, Sigiſmundus Tertius Poloniæ, & Suetiæ pro Catholica fide Rex inuictiſſimus, & V. S. filius obedientiſſimus; hoc eius nomine Stanislaus Minsky orator nobiliſſimus; hoc, Anna Regina religioſiſsima, cum deuoto matronarum, & Puellarum Poloniæ cœtu: hoc, venerabilis Sancti Dominici Prædicatorum ordinis Religio, ſanctæ huius Sedis Apoſtolicæ, vna ex columnis firmiſsima; hoc ipſum Eccleſiarum Regni primates, & laycorum Principes; hoc ipſum denique vniuerſum illud Regnum, humiliter poſtulat atque requirit, ſupplicatque, vt quemadmodum cum ibidem eſſes, pro Apoſtolica Sede legatus, tanta tuà cum gloria, & cunctorum ordinum gaudio, & lætitia eius populos gratiſsimo pacis munere, & optatiſſimæ concordiæ exornaſti, ita apud eas omnes gentes, hæc alia memoria de te futura ſit ſempiterna, ſanctitatem tuam, Beatum Hyacinthum eorum ciuem, cum pro ſummis eius erga Deum meritis inter Sanctos retuliſſe, & nouum hoc ornamentum ſtabileque illi Regno præſidium, vt par eſt, contuliſſe.

# IN LAVDEM S. HYACINTHI POLONI, ORATIO

## IVLII NIGRONI E SOCIETATE IESV,

Habita Romæ, in Templo S. Mariæ ſupra Mineruam, in multorum S. R. E. Cardinalium, religioſorum virorum Ordinis Prædicatorij, aliorumq; nobilium Auditorum frequentiſsimo conuentu: dum ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium publica, ſolenniq; ceremonia in honorem S. HYACINTHI, ab vniuerſa Prædicatorum religioſiſsima familia, primum fieret: octauo poſtquam inter Beatos adſcriptus eſt, die: hoc eſt Dominica ſecunda poſt Paſcha, quæ incidit in diem 24. Aprilis Anni 1594.

*LAETOR vehementer hodierna die in hoc auguſto celebrique templo mihi dicendi munus obtigiſſe, Card. Ampliſſimi, Patreſq; religioſiſſimi. Nam etſi per magnum quiddam eſt, & vero etiam pertimeſcendum, in tot virorum dignitate, iudicio, ſapientiaq; præſtantium corona, vnum quempiam peregrinũ, ignotum auditoribus, imparatum, aſſurgere ad dicendum pœne ex tempore, de laudibus Beatiß. Viri Hyacinthi, qui poſt ſeptem martyres cognomines ſuos primus huiuſce nominis Confeßor, Doctor, ac Virgo, in cœleſtium numerum relatus eſt: tamen non valde gaudere non poſſum, cum animaduerto, eo mihi die dicendum eſſe, quo primum die ſanctiſſimi huius Viri memoria ſolenni ritu, prece, ſacrificioq; colitur, à Prædicatorum religioſiſſima Familia, quorũ vitam ille viuens profeſſus eſt: & eo in templo, quod iamdudum eſſe noui pleniſſimum ſanctitatis: eorum rogatu, quibus optantibus obſequi mihi glorioſiſſimum duco: addo etiam apud vos potiſſimum Auditores, qui pronis auribus, beneuolisq; animis excipiẽt oratoris vocem de virtutibus eximijs, ſingularibusq; ornamentis præclariſſimi Confeſſoris ſui, differentis: & quod caput eſt, eo de Viro dicendum, in quo exornando, ne infantiſſimo quidem oratori, quamuis eum vox, latera, tempus deficerent, deeſſe poteſt oratio. Illud vnum me nonnihil commouet, Auditores, vnde nam potiſſimum in tanta rerum amplitudine, laudandi ſumam exordium. Ab ijs ne rebus quas Victor ſui contempſit; an ab ijs quas fortiter, ſancte, admirabiliterque geſſit? Etenim difficile dictu eſt, difficilius iudicatu, vtrum Hyacinthus in rerum vulgo ſpecioſarum contemptione fuerit admirabilior, an in conatu pie laudabiliterq; gerendarum. At quia neutrum genus rerum ſileri ſine culpa poteſt, & ordiri neceſſe eſt ab alterutro, exordiamur à primo. Erat igitur Hyacinthus*

*familia*

Verdi. de Caſtiglio in hiſtoria generali ordi. Præd. P. 1. lib. 1. cap. 45. & l. 2. c. 47. Seraphinus Razzi. li. de ſanctis ordinis Prædicatorum. Aug. Montalcinus ordi. Prædic. in Summ. vitæ & miraculorũ Hyacinthi

*ſamilia pernobili natus, & in ampliſsimo Poloniæ Regno natus, vbi Nobilitas antiquiſsimo iure, creadis ſibi Regibus, ipſa ſibi libere dominatur. Fuerat ab illuſtribus parentibus educatus egregie: doctrinis eruditus non vulgaribus: erat Iuonis Cracoviæ (quæ ciuitas Regni Polonici caput, ac regia ſedes eſt) Epiſcopi copioſi ac locupletis fratris filius; à quo & Canonicatum erat in eadem Eccleſia conſecutus. Quid præterea? rebus grauioribus gerendis erat exercitatus a patruo; Romæ verſatus aliquandiu; Romanæ curiæ carus; Pontifici, qui tum Eccleſiam vniuerſam gubernabat, Honorio Tertio gratioſus: ac proinde non modo tenebat pænè manibus Epiſcopatum Cracouienſem, ſed etiam ad ampliſsimos quoſq; honores ſibi aperuerat viam. Quid hic expectatis Auditores? Poſitus in tam ſecundo rerum humanarum fluentium ad voluntatem curſu; ætate, ingenio, nobilitate, gratia, opibus, honoribuſq; florens, ſponte ſua, diuina quadam animi celſitate præditus, iſthac momento temporis vniuerſa deſpexit, repudiauit, abiecit; ac meliora ornamenta vitæ præſentis, melioraque bona conſequentis intuens, maluit nuncium Mundo remittens delicias afflictatione corporis; honorum ſplendorem obſcuritate vitæ; diuitias paupertate religioſa commutare, gratiamque Dei, gratiæ mortalium anteferre. O animum excelſum, o mentem altiſsimam viri res caducas omnes, ſed prudentiſsime deſpicientis. Quem enim ordinem religioſorum in hac vitæ commutatione complexus eſt? eum nimirum, qui vna cum Ordine Minorum à Franciſco Aſsiſiate Viro notiſsimæ ſanctitatis inſtituto, tunc primum ad ſalutem Chriſtianorum efflorеſcebat; Ordinem inquam Prædicatorum, viuente adhuc, atque illum recipiente in ordinem, ipſo Sanctiſsimo viro Dominico, qui hanc familiam & fundauerat & ducebat. Quo conſilio? qua mente? cuius impulſu complexus? Eo ſane conſilio, vt ſibi per religioſam vitam facilius ad Cælum aditum pateſaceret: ea mente, vt patriæ commodius prodeſſet ſuam operam depoſcenti: eius impulſu, qui quemque ad optima ſemper impellit. Cum enim Iuo patruus, de ſuo grege ſolicitus Paſtor enixe peteret à S. Dominico, vt in Poloniam è ſuis ſodalibus mitteret, qui populos illos verbo excolerent, & exemplo: contra Dominicus affirmaret ſe, peritum regionis illius ac linguæ, qui mitti poſſit, habere neminem: Hyacinthus de repente diuino afflatus ſpiritu, Dominici ad pedes accidit, vi ſe offert nec opinanti: nulla interponitur mora, induitur religioſo habitu, recipitur in diſciplinam, conſecratur Deo in familia Prædicatorum. Quam cum ego nomino, (honoris enim & veritatis cauſſa nominabo ſæpiſſime) cupio vos, Auditores, teſtatus Deum immortalē me nihil gratiæ, nihil auribus dare, cupio inquam, vos intelligere eum religioſorum hominum cœtum optimis temperatum legibus, per Honorium Tertium Pontificem ab Apoſtolica ſede comprobatum, qui non modo tres quattuorve Pontifices Maximos, permultos Cardinales, innumerabiles propemodum Epi-*

Hier. Platus lib. 2. de bono ſtat. relig. c. 28.

*ſcopos*

*ſcopos Eccleſiæ peperit: non modo viris doctiſſimis, qui Chriſtianorum magiſtri merito habentur, per quadringentos fere annos floruit: non modo Dominicum parentem ſuum, Thomam Eccleſiæ doctorem, Petrum martyrem, Vincentium concionatorem egregium, Antoninum Epiſcoporum formam, aliosque in ſanctorum numero rite locatos educauit: ſed etiam, quod ego maximum duco, cum propria ſit ac ſolida laus (illa enim cum alijs religioſorum ordinibus communia ſunt) iam inde ab ipſo ortu, vſque ad hoc tempus, perpetuus fuit, conſtans & acerrimus, non ad ſudoris modo, ſed etiam ad ſanguinis vſque effuſionem, Catholicæ fidei, ſinceræque Religionis, & defenſor, & propugnator. Magna laus hæc Hyacinthi eſt, Card. Illuſtriß. fuiſſe tanti filium Parentis: magna laus familiæ, tanti fuiſſe filij Parentem. Optimam Hyacintho dederat educationem Mater: maximum Hyacinthus reddidit decus Matri. Dicam iterum, & clara voce atque intenta dicam, vt omnes exaudiant. Magna Hyacinti laus eſt, ex Ordine prædicatorum extitiſſe: verum fortaſſe non minor illa eſt, fuiſſe ex primis, qui ſunt in hunc ordinem cooptati. Prudenter enim Vmbertus quintus Magiſter vniuerſi Ordinis veſtri monuit, Patres optimi, vt in Eccleſia ſua fundanda Chriſtus Saluator noſter Apoſtolos excitauit, Viros, vt vno verbo dicam tales, quales poſterioribus ſæculis omnino nulli extiterunt: ita religioſorum hominum ordines nutu diuino recens inſtitutos, diuino item inſtinctu, viri magni animo & prudentia rerum agendarum: magni ingenio, doctrina, eloquentia: magni probitate ac virtute complectuntur, quales eorum poſteri deſiderare magis, quam videre conſueuerunt. Quare cum Hyacinthus ab ipſo Auctore ordinis Dominico ſub initium erectæ familiæ in prædicatorum numerum lectus, & adſcriptus fuerit, merito dici poteſt, Apoſtolus veſtri ordinis, & vel hoc ipſo nomine, quod inter primos adſcitus ſit, magnus & ad magna vocatus à Deo putandus eſt. Dixi de rerum humanarum deſpicientia: reſtat de rebus geſtis dicendum. Hyacinthi porro res geſtæ, aut actiones fuerunt virtutum, imitandæ; aut miracula admiranda, quæ partim ab eo dum viueret, patrata ſunt; partim poſt fœlicem exceſſum è vita. At mihi quidem in Polonia, quo non multo poſt mutatam vitæ rationem, iuſſu Dominici, vineæ euangelicæ cauſſa colendæ profectus eſt; & vbi tanquam in latiſſimo campo diutius virtus eius quaqua verſus excurrit: mirabilis viſus eſt, in actione vitæ cum contemplatione temperanda; mirabilis etiam in reliquis virtutibus, quæ inter ſe pugnare videntur, mira quadam concordia permiſcendis. Etenim humaniſſimus erat in alios, aduerſus ſeipſum aſperrimus. Peccata in aurem ſibi confitentibus collachrymabatur; & in eorum animos aculeos reprehenſionis ſalutariter inijciebat. Interdiu ad laſſitudinem vſque defatigabatur agendo: & ad Sanctorum aras pernoctabat in precibus. Aſſiduus erat in concionibus; & terga nodoſis funiculis ad ſanguinem vſque verberabat. Peregrinabatur pedes, &*

Humb. in c. 23. Reg. S. Aug. c. 140.

*dicm.*

*diem integrum ieiunus. Solicitus erat de ſalute finitimarum regionum, nec tamen prouinciam ſuam incultam deſerebat. Quis, proh Deus immortalis, tot res, tam difficiles, tam inter ſe pugnantes conficere colligareque potuiſſet, niſi Diuina magnitudine animi ac ſapientia fuiſſet inſtructus? O vir laborum victor, quam anguſta erat pectoris tui latitudini Polonia prouinciarum omnium ampliſſima, cum de finitimorum regnorum ſalute cogitabas? cum in Bohemiam concionatores, euangelicoſque operarios ſubmittebas? cum ipſemet luſtraturus vaſtiſſimas illas regiones ad Septentrionem Orientemque porrectas, & fame diuini verbi laborantes ſatiaturus, eo iter arripiebas? Attendite quæſo, Auditores, rem ſingularem, admirabilem, inauditam, cum miraculis æquandam prophetarum. Deligit tres è ſuis, itineris comites & laboris: pedes iter ingreditur Maſouiam verſus. peruenit ad fines eiuſdem prouinciæ, quæ Poloniæ adhæreſcit. cum ad oppidum celebre, cui nomen eſt Viſſogrodium, diuertere cuperet, incurrit in flumen (Viſtulam opinor) cum per ſe magnum, tum vero liquefacta niue, fractoque gelu turgidius ſolito atque incitatius. Non pons, non linter, ſe offerebat tranſeuntibus. Charitas cupidum ante noctem in oppido concionandi, traijcere imperebat: ſed humana ſubſidia deerant charitati. Quid hoc loco conſilij capiat, Auditores, Chriſti peregrinus? Non erat ille Moyſes, qui virga Erythræum mare ſecans, aperuit ſuis viam inter tumentes fluctus. Non ille Ioſue, qui Iordanem cohibere curſum incitatum iuſſit. Non Eliſeus, qui pallio diuiſit iam doctum hominibus parere, Iordanem. Memor tamen eundem præeſſe atque ineſſe rerum naturæ Deum, qui omnia poſſit; memor Chriſti Domini ſui ſupra mare quondam ambulantis, ſpe ac fiducia plenus, diuinitus, ut par eſt credere, excitatus, audet rem tentare ſupra naturæ vires. Quid faciat? Dat ſe primum in preces cum comitibus: deinde Signo munitus Crucis, nouo modo, non ante Chriſtum, vt reor, audito neque vſitato, fluuium non fluentem aquis, ſed furentem vndis, ſed feruentem vorticibus, ſed ingentia glaciei fruſta voluentem, premit, calcat, tranſmiſſurus pedibus calceatis quaſi ſolidam tellurem nihil cedentem plantis. Sodales metu perculſos, pendentes animi, inopes conſilij nihil fluctuans ipſe, nihil ſubſidens, animare, inuitare, prouocare vt ſe inſequantur. renuere illi, rem metientes humano modulo: ſtupere, formidare periculum, hærere in ripa. Hic Hyacinthus tergo fluminis ſuſtentatus, ſtans in gradu, tanquam alter Eliſeus proijcit pallium: eo vt explicato, pro nauigio vtantur, imperat. Illi tandem mirando Magiſtri ſui ſtatu minime fluctuantis animoſiores facti, committunt ſe pallio, credunt ſe vndis: & trahente inuſitatam nauiculam, gubernanteque Hyacintho, delati aliquantum amne ſecundo, fluuium omnes tranſmittunt incolumes, ſicca tunicæ talaris ora, ne ſoleis quidem madefactis. Quid in hoc miremur Auditores? Fidem ne in Dei prouidentiam, an factum ipſum? maxima fides; maximum factum: illa ſingularis; hoc plane nouum.*

Exo. 14.
Ioſ. 3.
4. Reg. 2.

*Calcauit*

*Calcauit Chriſtus vndas intumeſcentis lacus: Hyacinthus rapidiſſimi fluminis fluctus. Preſſit plantis Simbriuinum ſtagnum placato æquore Maurus, ad imperium Benedicti Abbatis parendi magis cupidus, quam cogitaus de periculo: Hyacinthus Viſtulam incitatiſſimo curſu præcipitantem, vltro, meditatus, periculi gnarus, pedibus preſſit. Scidit Eliſeus Pallio Iordanem profluentem, vt vado ipſe tranſiret: ſuis hic diſcipulis de pallio lembum fecit. Chriſtum imitatus Hyacinthus Maurum vicit in ſe, Eliſeum pœne vicit in ſuis. Conſtanti fama accepimus, S. Franciſcum, cui à Paula patria cognomen eſt, Sicilienſe fretum, pallio ſuo pro cymba vſum traieciſſe, quod inhumani nautæ ſine naulo tranſportare virum pauperrimum recuſaſſent, ac deſeruiſſent in littore. magna res; magnus animus; Fides æque vt illa mirabilis. at quod longo interuallo poſt Hyacinthum vixit Franciſcus; potuit à Hyacintho didiciſſe, audere magna, fidere Deo. neque enim indignum eſt, virum Sanctum, Sancto erudiri Magiſtro. Mitto reliqua non enim eſt huius temporis, hoc eſt ſemihoræ, non dico explicare ornando, ſed percenſere numerando miracula omnia Hyacinthi, ſpectata, probatæ fidei teſtata. Extant publicæ tabulæ: extant diplomata pontificia: extat libellus ex hiſtorijs ea complexus vniuerſa. ibi dicuntur mortui non pauci per Hyacinthum ad vitã reuocati: mancæ digitis manus redintegratæ: redditæ ſegetibus fruges, quas grando ſuſtulerat: depulſæ febres, eiecti dæmones de corporibus: cæcis videndi, audiendi ſurdis, claudis ingrediendi reſtituta facultas. ex dictis facite de reliquis coniecturam. Iam vero quando in eo primario templo ſumus, cui Beatiſſima Virgo Maria cura materna præſidet, fas non eſt præterire Hyacinthi religionem, qua colebat eam glorioſiſſimam cœli orbiſque Reginam, quæ cum omnium religioſorum ordinũ, tum in primis Prædicatorum Patrona eſt. is igitur nullum diem feſtum tantæ Virginis aduentare ſinebat, quin pridie à vino ciboque omni, præter panem, abſtineret. tanta erat cum ea familiaritate pia coniunctus, vt tamquam cum amantiſſima Matre filius ageret in precibus ſuis: illa viciſſim erga Hyacinthum, vt mater erga cariſſimum filiolum gereret ſeſe. Nam primum oranti illi ad aram ipſius, pridie eius diei, quo Virgo in conuentum beatorum corpore recepta eſt, viſa eſt repente labi de cęlo incredibili circumfuſa ſplendore, quæ hunc filium ſuum affata eſt ſuauiſſimis verbis, atque ad progreſſus in virtute continuandos adhortata vehementer. deinde cum placuit Deo auctori vitæ, mercedem laborum reddere Hyacintho, ei pia Mater, quo paratior eſſet ad exitum vitæ mortalis, diem mortis, atque horam prænuntiauit. Quin etiam eo ipſo die, quo Virgo quondam in cęlum abijt, Hyacinthus hortatus ante obitum ſuos, ad vitam virtute colendam, Sacramentiſque omnibus inſtructus, corpus quod corrumpitur in terra deſeruit, atque in celeſte domicilium beatorum euolauit. Poſtremum, vt ſanctiſſimæ cuidam fœminæ, quæ annos totos quadraginta ſumma integritate vixerat, per viſum ſignificatum eſt, eadem-*

Mat. 14. c.
Greg. l. 2. Dial. c. 7.
4. Reg. 2.
Ex Breuiario.

met Dei Parens multis beatarum mentium comitata cohortibus, animum eius inuexit in cælum; atque inter beatos non humili in ſede collocauit. Vix obierat, cum ſepulchrum coruſcare miraculis cœpit. inter quæ illud, quod eximiæ cuiuſdam virtutis argumentum eſt, nullo modo prætereundum videtur. In funere priſcorum Regum, Auditores, atque Imperatorum defunctorum, cum eorum impura cadauera de more cremarentur, vt fœtoris grauitas à naribus viuorum depelleretur, magna vis odorum in eundem rogum conijciebatur. ducentas & decem lecticas odoribus pretioſiſſimis refertas arſiſſe cum L. Sylla teſtantur hiſtoriæ: quin etiam in eodem ambitioſo funere, humanæ magnitudinis ſimulachra duo, alterum Syllæ, alterum lictoris, ex diuerſiſſimis lectiſſimiſque odoribus, quos Romanæ fœminæ contulerant, ficta, cum exſangui corpore, iiſdem flammis incenſa fuere. Verum diſſimilem voluit Deus mortem eſſe piorum. quorum ſanctiſſima corpora, vt ab omni turpitudine, dum viuerent, abhorruerunt; ſic mortua, integra fere, atque ab omni corruptela diuino munere conſeruantur aliena. Lōgum eſſet narrare de omnibus, quorum è ſepulchris patefactis, ſepulchrorumve rimis, mira quædam ac diuina ſuauitas odoris afflata eſt. Ac ne egrediar ex iſta veſtra familia Prædicatorum, Patres optimi, vbi tot virtutum exempla ſuppetunt, & miraculorum: nonne veſtris annalibus proditum eſt, Dominici Familiæ conditoris, Iordanis qui proximus Dominico, in ordinis ductu ſucceſſit: Thomæ Aquinatis Theologorum Magiſtri corpora, de ſepulchris odorem ſpirauiſſe. Neque vero defuit diuinum hoc beneficium Hyacintho, cuius ad ſepulchrum procumbentes multi deprecaturi, marmorque de more pie oſculati, ſuauiſsimum odorem effluere inde ſenſerunt, ac teſtati ſunt. æquum enim erat, vt cœleſtis odoris iucunditate, eius qui diuino quodam, non humano modo vixiſſet, ne mors quidem, quæ maxime putatur hominis propria, humana videretur. Sed quam virtutem, Auditores, ſignificari hoc odore ac remunerari dicemus, eam opinor, quam Hyacinthus in Virgine Dei Matre tantopere ſuſpiciebat, adamabat, æmulabatur, Virginitatem. Huius virginitatis odor indicium; huius virtutis ſuauitas præmium fuit. Id quod Staniſlaus martyr ſanctiſsimus Cracouiæ quondam Epus, Prandotæ Epo itē Cracouiæ funeris curatori, oranti à funere, atq; obdormiſcēti cœleſti viſo ſignificauit. Quo viſo ſpecies Hyacinthi coronati, ac redimiti, Prandotę obiecta eſt; hoc eſt, præter coronā aureā gemmis fulgentibus illuminatā, beatitudinis ſummę argumentum; gemina ſerta cœleſtibus intexta floribus capite geſtantis; quorum alterum Doctoris erat inſigne, alterum Virginitatis ornamentum. At hoc loco quæret quiſpiam ex me: quando Hyacinthus in cœlum beatorum receptus eſt, ante ſeptem & triginta ſupra trecentos annos: atque illa ipſa hora, qua ceſsit è vita, Diuinitas ſe illi in æternum contemplandam obiecit; quid ei factum eſt xv. Kal. Maias, hoc eſt nudius octauus? Fateor equidem vera eſſe quę dicuntur: abijt Hyacinthus in cœlum anno poſt Chriſtum natum;

Plutarchus in Sylla.

I

decen-

*ducenteſimo quinquageſimo ſeptimo ſupra milleſimum, beatitudinem eo temporis puncto, quo obijt, conſecutus at id Eccleſiæ toti, non ante diem quintum decimum Kalendarum Maiarum conſtitit. Diuinę igitur Naturę conſpectu frui, beatique Hyacinthum, vt ante id tempus pie credebamus, ita nunc certo ſcimus, ab eo tempore, quo Clemens VIII. Pont. Max. atque optimus, toto pectore in com nunc bonum incumbens, hac Hyacinthina gemma, cuius fulgorem ſanctitatis in Polonia Cardinalis ac legatus Apoſtolicæ ſedis viderat, Eccleſiæ militantis Paludamentum exornauit. Qui gratificaturus Sigiſmundo Tertio Poloniæ, ac Sueciæ Regi optimo, & potentiſſimo, Regnoque Poloniæ nobiliſſimo per oratorem clariſſimum virum id poſtulantibus: gratificaturus etiam vobis, Patres religioſiſſimi, votis aſſiduis idem, precibuſque à Deo expetentibus, ritu ſolemni, more maiorum, celebritate maxima, decreto diuinitus facto, Hyacinthum & beatum eſſe, & vt ſanctum poſthac toto orbe terrarum templis, aris, ſignis, tabulis pictis, facibus, odoribus incenſis, ſacriſque colendum, inuocandum precibus, propitiandum donis declarauit. Diu Hyacintho debitus honos, non illi ſublatus, ſed dilatus: non ereptus vlli, ſed reſeruatus multis. & reſeruatus diuina prouidentia huic tempori, quo peruerſi quidam homines adeo impie in ſanctorum cultum honoreſque inuehuntur; vt repetita conſuetudine à priſtis vſque temporibus referendi viros probatæ ſanctitatis in numerum beatorum, illi commutatæ religionis antiquæ coarguantur. reſeruatus huic Pontifici, vt eius Clementiæ daretur inſignis occaſio, inſigniter benemerendi de familia veſtra, Patres optimi. reſeruatus denique vobis: vt ſicut ineunte hoc ſeculo poſt ſalutem datam mortalibus decimoſexto, ideſt vt planius dicam, anno tertio & viceſimo, Antonino Florentinorum Archiepiſcopo alumno veſtro per Adrianum ſextum Pontificem inter beatos adſcripto, veſter ordo decoratus eſt: ita etiam eodem ſeculo exeunte, anno inquam quarto & nonageſimo, idem a Clemente Octauo, nouo honore declaratæ Hyacinthi beatitudinis illuſtraretur. Verum qua pompa id factum eſt, Deus immortalis? qua celebritate? qua lætitia? Dicere audeo, Patres optimi, nec, opinor, temere dicam; neminem fere ex ordine veſtro, tanto cum honore ſanctum fuiße renunciatum; quanto Hyacinthum vidimus renunciari. Retulerunt quidem inter cælites Gregorius IX. Dominicum Parentem ac ductorem veſtrum: Innocentius Quartus Petrum, qui pro fide martyr occubuit: Ioannes XXII. Thomam Aquinatem, qui doctrina ſua toti prælucet Eccleſiæ. Pares erant auctoritate illi Potifices, Clementi Octauo: non nego. at vbi nam id præſtiterunt, Auditores? quam in celebribus, ac frequentibus Ciuitatibus? Reate Gregorius, in Vmbilico quidem Italiæ, vrbe vetuſta, atque honeſta, quo valetudinis gratia ob ſalubritatem loci ſub æſtatem ſeceſſerat; ſed tamen neque frequentia ciuium, neque magnitudine ſitus, Romæ comparanda. Peruſii Innocētius, quę ciuitas ꝑ antiqua atque illuſtris, licet ſua habeat egregia nobilitatis ornamenta, celebri-*

Platina in Greg. 9. Leãder in Italiæ deſcri. in Hetnicis,

Litteræ Canonizat. editæ ex reg. Vat. Gregor 9. per Gerardum Voſſium.

*tate tamen populi, haud opinor cum Romana contendet. Auenione in Gallia Ioannes: qua in in vrbe maximi Regni non magna, neque habitatorum multitudine cum Romana, neque ſplendore conferenda, tamquam extorris Pontifex morabatur. Hoc neceſſitas tulit. eſto; propterea ſanctitate magis ceremoniarum, quam celebritate locorum cohoneſtatos aſſero illos beatos viros. At Hyacinthus, à Clemente, Sanctus ac beatus iudicatus eſt, non in aliquo orbis angulo, ſed in ampliſſima, celeberrima, & frequentiſſima Vrbe Roma, quę vt quondam caput orbis Imperio fuit, ita nunc Princeps eſt, religione. Quo in templo tantę vrbis? nempe in eo, quod quia Principi Apoſtolorum Petro dicatum eſt, & à ſummis Pontificibus certatim regijs ſumptibus inſtauratur magnificentiſſime, & pulcherrime exornatur; templorum (vno excepto) Chriſtiani orbis obtinet principatum. in eo porro auguſtiſſimo templo, quam viſendus fuit apparatus? qui numerus Cardinalium? quæ religio ceremoniarum? quæ ſummi Pontificis pietas & maieſtas? quæ frequentia ordinum omnium? quod piorum ſtudium? qui concurſus populi Romani gratulantis? qui niſi templo fuiſſet excluſus: in templum Romam ipſam, ſuis effuſam domibus, incluſiſſet. Quanta denique rerum omnium religione temperata alacritas? Quæ profecto tanta fuit, vt non modo mortales cuncti, qui intererant, lætarentur, columnæ ipſæ templi pretioſis, & auro fulgentibus periſtromatis conueſtitæ, parietes apparatiſſimi; tecta, muſicis vocibus, cereis collucentibus, thure cæteriſque ſuffimentis, ſola feſta fronde, ac floribus ſtrata geſtire, cælum inſolita hilaritate ridere, gratulari aer pulſu campanarum, terra ſtrepitu bombardarum applaudere viderentur, ſed etiam Hyacinthus ipſe de cælo ſpectans honores ſuos, quia de nouo gaudere poterat, immortaliter gauderet. Neque vero temporis ac diei, quo res acta eſt, prætereunda eſt conſideratio. nam primum dies ille Dominicus, qui in Albis dicitur à maioribus noſtris, tū quia, qui ſacro Baptiſmate initiabantur, in togis albis viſebantur, ſemper lætiſſimus ac religioſiſſimus eſt habitus. deinde reor accidiſſe diuinitus, vt qui caloribus æſtiuis, medio Auguſto menſe conceſſit ad ſuperos, eius beatitas innoteſceret medio Vere. Scriptores enim rerum naturalium diligentiſſimi prodiderunt, è vernis floribus Hyacinthum florem ſuauerubentem maxime durare. Referte nunc cogitationem, Auditores, ad eius, quem celebramus & colimus, nomen: nonne animaduertiſtis vocari Hyacinthum? Quid ſibi vult ergo Hyacinthum Pontificis oraculo beatum decerni, veſtita floribus humo, tota ridente Natura; atque vt planius loquar, Vere medio? O admirabilem Dei ſapientiam in nominibus vitæ, virtutique congruentibus imponendis. Vere medio beatus decernitur Hyacinthus, vt nimirum intelligamus eum eſſe, qui non modo familiam ſuam, patriam Poloniam, Eccleſiam militantem, tanquam flos vernus caritate purpureus exornaturus eſt: verum etiam in amœniſſimo illo, & florentiſſimo triumphantis*

Plin. lib. 21. c. 11.

Hor-

*Horto, vbi pro Sole Deus eſt; pro tempore æternitas; pro quattuor viciſſitudine tempeſtatum, ver perpetuum, quaſi cœleſtis Hyacinthus diuina gloria ſuauerubens in perpetuas æternitates duraturus. Lætare igitur Polonia, quæ pulcherrimum hunc florem edidiſti. Gaude Sigiſmunde, multorum regnorum Rex ad auitam, hoc eſt Catholicã Religionem patrio Sueciæ Regno reſtituendam nate, de tanto regni tui bono. Triumpha Cracouia de iſto theſauro corporis, intra ſinum tuum recondito, quod quaſi florem, mortis falce ſucciſum, oriente vitæ æternæ ſole viſura es aliquando reuireſcere. Exultateq́ vos, Patres optimi, lætitia in tanto veſtro decore Hyacintho: quem mihi videre atque audire videor, ab illis beatorum ſedibus, vbi cum veſtris ſanctiſſimis heroibus ſodalibus ſuis, Dominico, Thoma, Petro, Vincentio, Antonino, quos in Concilio cœleſtium viuere certo ſcimus, de ſua veſtraque dignitate lætus gratulatur; appellare adoleſcentes veſtros, atque his propemodum vocibus affari. Filij quos vnice amo; quos in ordinem noſtrum lectos, Familia prædicatorum alit, educatque. videtisne quo meaq me virtus intulit? noſtis quibus officiorum & recte factorum gradibus in cælum aſcendi? ſequimini paſſibus iiſdem, ac veſtigijs præeuntem. Habetis plura, quam ego habuerim, ad ſanctitatem adiumenta: habetis tot ſanctorum virorum noſtri ordinis, qui vos anteceſſerunt annorum ferme quadringentorum ſpatio; & mearum nonnulla etiam virtutum exempla: accepiſtis maiorum mores; imbibiſtis præcepta; ingreſſi eſtis viam eorum illuſtribus conſignatam veſtigijs, quæ omnia ſuadent hominibus, expectare a vobis plura quam arbitremini. Videte, per Deum immortalem, etiam atque etiam; & per ſigniferum noſtrum Dominicum videte, ne ſpem de vobis conceptam; ne fidem datam, ne expectationem fallatis. intelligite nec ingredi, nec diu viuere in optime inſtituto ſodalitio ſatis eſſe ad ſanctimoniam; niſi ſancte integreque viuatur: nec miracula expeti à vobis: ſed ſtudium probitatis, recte facta, virtutum exempla, morum ac doctrinæ integritatem, populorum eruditionem, fidei Catholicæ Romanæque defenſionem. Atque hæc paterna monita, Auditores, non modo ad veſtros adoleſcentes, ſed etiam ad omnes religioſæ cultores uitæ, veſtrique ordinis imitatores referri poſſunt. Quare tandem aliquando ad uirum beatiſſimum Hyacinthum in tutiſſimo fœlicitatis portu locatum, orationis noſtræ curſum deflectamus. Debebatur tibi quidem ſanctorum prædicatorum flos Hyacinthe, Sancti alicuius atque eloquentis oratoris oratio. Alter Baſilius, alter Ambroſius, virtutibus tuis; alter Nazianzenus, alter Chryſoſtomus tuis laudibus debebatur, aut certe vnus è doctiſſimis, diſertiſſimiſque ſodalibus tuis in hunc locum te laudaturus aſcendere debuiſſet. neque enim vereudum erat, vt ne ſordeſceret laus in ore proprio: quando qui te laudat, non laudat hominem, ſed virtutem, quam in te impreſſeras: Chriſtum laudat, quem imitatione morum pæne expreſſeras: Deum laudat, qui mirabilis eſt in ſanctis ſuis.*

Quo-

*Quoniam tamen horum tuorum ſociorum modeſtia voluit laudatorem tuum, profeſſione quidem & habitu diuerſi ordinis eſſe, eiuſdem vero amore, eiuſdem inſtitutis, ſuſcipe paterna beneuolentia non laudationem, ſed conatum laudationis, quam tridui ſpatio imbecillitas ingenij mei exorſa eſt, non contexuit, adumbrauit, non depinxit; atque apud Deum eſto deprecator ſalutis meæ. Deinde Eccleſiam, tot tamque grauibus calamitatibus exagitatam: Clementem Pontificem qui clauum tenet, Cardinales qui aſſident gubernanti, tuo patrocinio iuua. Sigiſmundo Regi clienti tuo, in Suecia pro religione Catholica laboranti animos, ac vires impetra. Poloniam tuæ iamdudum, commiſſam tutelæ atque receptam tuere. ſodales hoſce tuos adeo vtiles Eccleſiæ vbique gentium diſſeminatos foue: clerum denique, populumque Romanum, religioſorum omnium ordines, auditoreſque inprimis qui mihi dicenti de tuis laudibus humaniter aures præbuerunt, eadem charitate, qua nationes omnes, ac gentes viuens in terris tuebare, nunc beatus in cælo complectere.*

ORA-

# ORATIO
# F. HYLLARIONIS RANGONII
## MONACI CISTERCIENSIS
## DE VITA ET LAVDIBVS
# D. HYACINTHI POLONI ORDINIS
## PRÆDICATORVM.

Habita ab ipſo Ticini in ædibus D. Thomæ apud RR. PP. Prædicatores inter ſolennia, quæ pro Canonizatione eiuſdem D. HYACINTHI habebantur, die 17. Maij anno ſalutis 1594.

*PEROPTATA, flagitantiq; animo diu deſiderata ſolemnitate vniuerſum orbem in præſentiarũ frui, quis mortalium immortaliter non gaudeat? præſtantiſſimi Patres, voſque in omni virtutum genere Pap. nobiliſſimi, nouiſtis omnes quibus maximis honoribus, & quàm ingenti pietate, ſanctorum exoptatiſſima natalitia chriſtianorum genus vbique terrarum proſequatur; ſacra tamen hodierna cœlebritatis, quæ vniuerſis mundi partibus HYACINTHO diuino Prædicatori, maximà cum religione perſoluuntur, afferuentioraque iubila per omnes gentes, & nationes, quis aut explicet verbis, aut complectatur animo? hinc Religioſi, & ſenes, hinc iuuenes, & mulieres, omnes inſolito huius ſolemnitatis ſplendore perculſi tanta voluptate perfunduntur, vt ipſa quoque bruta oblita generis atrociam, quin plantæ, arbuſta, parietes iſti, elementa, cœlum denique & terra, quòd minus loqui poſſint, tacito quodam conſenſu, ac ſi Orphica illa inſignis ſymetria interciperetur, videantur lætitiæ huic vehementi coniubilare. nulla proindè vos exagitet admiratio Pap. ornatiſſimi, ſi ego hac iocundiſſima rerũ omnium voluptate demulctus, nulla meâ tenuitatis habita conſcientia, nec vel excelſi huius aditum loci, vel tantum hunc Ticinenſis Academiæ ſplendorem mihi pertimeſcendum putaui; cùm & ea mihi ſit in glorioſiſſimum HYACINTHVM numeris omnibus abſoluta deuotio, atque illud in Orthodoxæ fidei firmiſſimam baſim (hoc loquor Prædicatorium inſtitutum) immenſum offici m, vt nec vel temeritatis ſuſpicio dimouere, vel impudentiæ crimen à grauiſſimo (fateor) impoſito hoc onere me deterrere potuerint. Hùc accedit, quòd cum humaniſſimis viris rem mihi habendam intelligerem, qui magis*

*ſtudium*

*ſtudium dicentis, quàm malè cohærentem, atque imperitum hunc ſermonem eſſent æſtimaturi: ſed nec vniuerſa Sanctiſſimi huius Patris egregia facta, Diuinam & admirabilem vitam, tantam rerum maximarum, quæ illi contigerunt, varietatem ingeniolo hoc acerbiori conuocanda forent, qui expers adhùc magnarum artium deſiderarem in me præclarum illud genus orationis, quo digna Sanctiſſimo HYACINTHO, digna hoc grauiſſimo veſtro conſpectu, ſtudio tandem meo digna ſuppeterent. At, quia in magnis voluiſſe ſat eſt, quæ de illius vita, præclariſſimiſque facinoribus, concepta cordis impertietit exultatio, hæc ita vob. exponam, vt tamen maximum, quod humaniſſimus hic veſter aſpectus gaudium exprimit, difficili, aut moleſta magis oratione (ſi modò rudis & impolitus ſermo oratio cenſendus eſt) minimè perturbem.*

*Magnum prorſuſque ingens hoc mundi theatrum, ſicut pro ſpecierum dignitate, earumque accommodata varietate omnium oculis ſe præbet admirandum; ſic pro diuerſis inſtinctibus, qui hominibus ſunt elargiti, atque diſcordi eorum propenſione longè admirabilius mihi ſemper fuit exiſtimatum, licèt enim velimus adminiſterium aliquod in illos ſublimes planetas ob id conferre, quòd horum inferiorum, quæ ſibi ſunt finitima, citiſsimis illis circuitionibus incolumitati præſint; qui tamen fieri poterit, vt ſedibus adeò remotum cælum, atque in influendo ita vniuerſum, in liberos præſertim animos noſtros hoc efficiat diſsidij; vt quis naturæ quadam inductione tantùm ferè ſtudioſus ſit cōgerendarum opum, quis profundendarum, hunc uel coactum quies conſectetur, illum labores, & difficultates totum excrucient, ſed & impulſu agatur penè inuitus? Non coniiciamur modò aut in Pythagoricam illam animorum noſtrorū Metempticoſym, qua nihil fortaſsè nec viro Chriſtiano iniquius, nec philoſopho præſtanti deformius poteſt excogitari; aut in Plotini illius abſurdiſsimam ad ſeueriores que calculos reuocandam inſaniam (ſi qua Chriſtiana veritas horret, eis cum aperto marte digladianti nullum dedecus conſequatur) qua animas noſtras effuſas ex hac luce ad eam credidit iterum reuerti, atq; in aliud corpus demigratæ, quales in ergaſtulo priori vixerunt, tales demum aſſurgere atque repullulare. Ego enim cùm huiuſmodi affectionum occaſionem in ipſius corporis complexionem referam, quæ volentes animos noſtros ſemper nititur vt pelliciat; maximè tamen in progenitores vt eorum mores ſapiat, naturamque (nì aliquod in conceptu intercedat offendiculum) conſertam retineat prognata ſoboles, totum ea de cauſa reiicerem; quòd ſicut germinis præſtantiam ex dignitate ſeminum totam pendere conſpicimus, ita quoque hùc exortam referre liceat nobilitatem gentium, familiarum dignitatem, atque omnis illa generis excellentia ab hoc incorruptiſſimo fonte profluat atque dimanet, quā hanc auguſtiſſimam Remp. Prædicatorum tantoperè cernimus inſignitam. Media ſiquidem inter cęlum & terram conſiſtens, ac ſi cum celeſtibus iampridem de dignitate contendat, tot ſpectatiſsimis ornamentis, quæ in omni conſequenti*

Ariſt. primo meteor. Cap. 2.

Enn. 3. l. 4. c. 2.

quenti

quenti poſteritate temporis futura dignum eſt, vt diuinis laudibus exornetur, ea primum de cauſa condecoratur; quòd magnum illum Diuum Dominicum ſortita eſt in Sanctiſſimum progenitorem, atque legiſlatorem, qui cùm omnibus illis cæleſtibus lectiſsimis dotibus eſſet excultus, ita ad vnguem illam minimè degenerem ædidit, vt nihil quòd vel ad nominis æternitatem conſequendam, vel ad regnum illud cæleſte & æternum vtraque manu apprehendendū attinet, ſibi reliquerit exoptandum. Et equidem ſi, quod de hac ſanctiſſima familia, piiſſimoque illius inſtitutore vſque huc accepimus, admirabile atque valdè magnum illud ſemper exiſtimandum putamus, maximum & longè admirabilius quis non profiteatur hoc inopinatum, & incredibile gaudium; quod modò noſtris auribus illabitur? hoc, quod nos omnes, quin totum orbem extemplò inuadit & replet, de Beatiſſimi HYACINTHI ſolennitate periocunda conceptum iubilum? cum enim præſenti temporum iniquitate vrgeremur adeò, vt in ærumnarum gurgite profundiſſimo ex tempore mergi paueremus, diris hæreſum periclitaremur fluctibus, hinc indè volutaremur bellorum procellis, & circumquaque ſanguini noſtro inhiaret inferni perhorrenda facies; ecce in medio calamitatum turbine virtutem indutos ex alto, vt tantis perſecutionum fragoribus nequaquam inclinati Beatiſſimi HYACINTHI feſtos dies, vti certiſſimum & efficax futuræ tranquillitatis ſymbolum percælebremus cum omni ſymphoniarum apparatu: atque proindè creſcat lætitia præſens in immenſum, quòd eam cernimus in defixi animi noſtri ſolamen elargitam. Eſt quidem rationi maximè conſentaneum, vt ſanctorum omnium cælebritates ſingulari quadam obſeruantia proſequamur, illiſque peragendis omne ſtudium atque operam adhibeamus, quorum implorata fides atque merita in D. O. M. plurimo profectui nobis extare minimè licet inficiari: longè tamen maiori deuotione & collætitia feſtum iſtud arbitror proſequendum; propterea quòd in ipſo ſingula quid eximium, atque ſanctitatem neſcioquam peculiarem mihi videntur inſonare. Enim uerò (ſi in humiliori limine huius ampliſſimi theatri non tædet iocari pauliſper) quis ſanctiſsimi nominis præſtantiam non aduertat? cùm primo mane cælo aureſcente Solis ortus lucem nobis comportat, figamus tunc in ſublime noſtros obtutus, & intueamur ipſum hyacinthino colore præfulgidum; ac ſi vbi à D. O. M. conſtitutum fuit ſeminarium huius vniuerſi, pro dignitate ſibi aſciuerit hoc inſigne cooperimentum, adinueniamus Hyacinthum, & in gemmis & in floribus vbiq; ſingulari dignitate præſtantem. in illis & inuictam ferè ſibi vindicat ſoliditatem, (quippè qui adamanti tantum concedat) & ſublimi quadam eſt inſignitus qualitate, quia ad cœli mutationem (Solino teſte) & ipſum vti cælorum conſortem tranſmutari videas. in floribus autem cùm verno tempore hyemis rigores propelluntur, & terra nouum induta ſplendorem videtur aurea ſæcula referre; en primum Hyacinthorum venuſtiſsimum agmen quaſi certatim con-

tueri hominem, & tacito quodam lepore ipſum ſic affari. Quid me nō miraris? non excerpis? naribus tuis non admoues? tibi natus ſum, me carpe, pulchritudinem hanc qualis qualis eſt, tibi totam deuoui. Quòd ſi in herbis & lapidibus tantum excellit hyacintus; quantæ dignitatis in humana natura, atque in hoc admirabili Microcoſmo ipſum oportuit extitiſſe? hinc incipiamus. Percontanti mihi cur nobiliora metalla, precioſiores ve gemmas Italia orbis regio alioquì fœliciſsima non ferat; Reſpondit grauis quidam rerum naturalium æſtimator, prouincias ſingulas quandam peculiarem ex diuerſo ad cœlos aſpectu qualitatem ſortitas eſſe, pro cuius ſecundum magis minus ve diſpoſitione multiplici diuerſæ diuerſa metallorum genera, variaſq; gemmarum ſpecies pariunt, atq; fœcundiſsimis & montium & marium viſceribus enutriunt. quòd ſi feracem iſtam qualitatem ad temperiem quandam euectā fuerint conſecutæ, (qualem nobis Italis adſeuerabat accidiſſe) quò magis ea retuſa fuerit vtpotè ſuis viribus deſtitutam, eo magis ab huiuſcemodi precioſioribus abſtinere. Futurus igitur HYACINTVS homo, in minimè refracto ſinu, qualis eſt tractus ille Borealis; tum verò in ferociſsimæ regionis opulento ſolo naſci debuit. Ea eſt Polonia ab Aſthanes priore filio Gomer primogeniti Iaphet filij Noe fœliciſsimis auſpicijs tum primū inhabitata. Nō ſunt incolæ quales Sarmatas crudos & ignauos vetuſtiores nuncupauere; ſed numeris omnibus abſolutos, atque in omni virtutum genere præclariſsimos extare, vel ex inſigni illo Cracouienſi gymnaſio vobis modò ſignificetis; in quo cum liberaliores omnes artes edoceant ingenui doctiſsimiq; viri, maximè tamen in politiorem illam Apollineam facultatem incumbunt, quæ cruda antiquitus ingenia omninò perpoliuiſſe potuit & elimaſſe. commendatas plurimum eo in regno fluuiorum oportunitates, altitudinem montium, Hercyniæ ſiluæ cælebratum antiquitùs nomen, oppidorum copiam, atque vrbium nobilitatem, non eſt quod vobis commemorem. Cum autem ijs omnibus, quæ ad vitam præclarè degendam ſunt oppidò neceſſaria, vehementer affluat; tritico, numeroſiſsimo armentorum grege, atque ſale, tum in ingentia ſaxa de ſub terra exciſo, tum ex aqua decocto præ omni Europæa terra abundat bipartitus Polonus ager. Vbi Poſnania & Gneſna ſurgunt, Maiorem, vbi verò Cracouia reſidet, Minorem Poloniam antiquiores indigenæ nominarunt. Cracus qui & Cracouiæ iecit fundamenta, ita fœlici ſydere primus gentem iſtam duxit, vt poſteri eorum duces plurima cum Prutenis, Tartaris, Pannonibus, Germanis, Gallisuè bella gerentes eoſdem prælio ſuperarint, atque de profligatis eorum copijs tot inſignes reportauerint victorias, vt magni Boleslai tempore dominij finibus longè latèque poſitis, Otto Cæſar Polono Ducatui auguſtiſsimum Regni titulum adiecerit. Non commemoro Beatiſsime HYACINTHE tuam patriam, vt ex hoc tibi laudes accumulem; quia ſicut ſuperuacuis laborat impendiis, qui Solem facibus certat adiuuare;

D. HYAC. in Polonia naſci debuit.

Poloniæ breuis hiſtoria.

c. ſi omnia 6. q. 1.

*re; ſic tibi omnium dignitatum auctori ex patriæ claritate, ſeu etiam ex generis fortuna laudes adhibere, non inconſulti modò, ſed ſtulti, atque prorſus dementis foret iſta laudatio. At magis, vt illi plurimum gloriæ comparetur, quòd eum* HYACINTHVM *ſit enixa, in cuius nitidiſſimo ſanctitatis fulgore, & cum antiquiſſimis illis regnis poteſt conferri, quæ rerum omnium ſummam ſunt aliquando conſecuta, & inacceſſa quæque montium iuga, remotiſſimique marium ſinus Polonum nomen æternùm ad ſydera perſonabunt. In feraci itaque regione ciuitate Saxo, naſcitur puellus, defertur Sacro fonti, exindè* HYACINTHVS *appellatur. Quòd ſi verum fuerit res humanas omnes pro ſuppoſito fine regi atque adminiſtrari, autumandum eſt hunc puellum nomine* HYACINTHI *eius parentes ideò nuncupaſſe; quòd decentiſſima forma, atque accomodata membrorum compago, magnum terris omnibus decus atque lumen ipſum: ad inſtar micantis Hyacinthi pollicerentur allaturum. Libentiùs tamen illud dixerim, ſupremum Numen iam tùm id molitum fuiſſe, vt qui adultus perpetuam ergà cœleſtia reuerentiam atque religionem, tum verò ſingularem & nunquam perituram vim in morbis illis propulſandis erat conſecuturus, quibus ad extremum vſque ſpiritum conficiuntur homines; quia & agnomen viro conſentire, & nomen debet eſſe conſequens rei; quod Hyacinthina gemma iiſdem dotibus exornetur, Hyacinthinam idcircò nomenclationem in hac ineuntis ætatis imbecillitate ſortiretur. Per ſurgentis infantiæ gradus in dies puer ſenſim adoleſcebat; cum animaduertens draco ille teterrimus, qui cum inuidia pepigit fœdus ſempiternum, eum primæ illius ætatis omnes honores egregiè maxima cum excellentia conſecutum, atque ex hoc aliquando futurum conijciens, vt ſibi in nequitiæ ſuæ diſcrimen nimis obuiaretur; peſſima omnium æmulatione diſruptus cogitauit ſtatìm in ipſum inſilire, atque imparatum repentinis inſidijs adoriri: & modò generis nobilitatem ab oculos ponens (familia quippè Comitum Odrouonſium, vndè fuerat oriundus, à primis vſque temporibus per omnem eam regionem extitit ornatiſſima) modò affluentibus nimis diuitiarum copijs ipſum ad eas libidinum illecebras, atque cupiditatum lenocinia prouocans, quarum vis ingruens faciliores illos annos maximè conſueuit obcæcare; eum ita circumſederat, tantaque verſutia occultarat illi laqueos perniciosiſſimos, vt iam ſecurus ſecum ipſe diceret. Inſidias haſcè declinabit nè? laqueos iſtos videbit? poterit integumentis iſtis non irretiri? quando en Spiritus ille Domini, qui aderat* HYACINTHO *propugnator acerrimus, quaſi fortiſſimus gygas ſuæ virtutis loricam præcinctus, vt eum tantis diſcriminibus ſubmoueret, atque nequiſſimi exploratoris fallaces decipulas, contextaque in adoleſcentis perniciem machinamenta prorsùs diſrumperet; in patrui eius Iuonis, qui per id temporis erat Cracouienſis Eccleſiæ Antiſtes, propter eximiam pietatem, morum integritatem, rerum humanarum deſpicientiam, atque cœleſtium ſtudium & amorem, religioſiſſimus,*

Quare dictus HIACIN.

 men-

*mentem induxit, vt puerum* HYACINTHVM *in ſuam fidem reciperet, atque indita ſibi præclariſſimarum illarum dotum ſemina coleret, & efformaret.*

S. HYAC. Cracouiã deducitur

*Itaque Cracouiam aduectus* HYACINTHVS, *& apud patruum Iuonem tunc primum locatus in ſanctuario Dei, quibus imbutus fuerit ſententijs, quibus moribus, et opinionibus ad religionẽ & Sanctitatem fuerit exultus, vos ipſi poteſtis aſſequi conjectura. Erat ille patientiſſimus, animi fortitudine præclarus, diligentiſſimus in ijs quæ ad religionem attinent, in victus parcitate, quæ adoleſcenti naturæ adeò eſt inuiſa, cum frugaliſſimis ſenioribus certare videbatur. admirabantur omnes ipſum præter ætatem ſtudioſum pauperum, infirmorum commiſeratorem, amatorem pacis ipſum omnes incredibili beneuolentia complectebantur. Elucéſcebat iam tum in ipſo generoſa quædam exurgentis indoles integritatis, quæ ſicut blandus ille decore naſcentis auroræ conſequentis meridiei nimios æſtus effigurat; inauditam illam ſanctitatem, quam erat ſubindè conſecuturus haud obſcurè ijs in primordijs effingebat. cumque omnium hominum hęc ſibi mirificum amorem conciliaret, ſanctiſſimum præſulem ita deuinxit, vt cum iturus eſſet Romam votum quoddam, quod vouerat ſtudio perſoluendi,* HYACINTHVM, *quòd pro indulgentiſſima in eum beneuolentia ab eo diſiungi nequaquam pateretur, itineris conſortem effecerit.*

S. HYAC. Romã proficiſcitur.

*Itaque Romam aduecti, quod induſtrium Numen* HYACINTHVM *magnis acceſſiret, admirando nimis illi miraculo cum eſſent appulſi, quo glorioſiſſimus Dominicus iuniori Napoleoni mortem cum vita commutauit; atque pro rei magnitudine Antiſtes religioſiſſimus obſtupeſcens rogaſſet Sãctum Patrem quam diligentiſsimè potuit, vt aliquos ex ſuis confratribus Poloniam pro conſerendo ibi Prædicatorum inſtituto ſecum legaret; ſupplicique illius obſecrationi cum nec fratrum paucitas ſineret aſſentiri, maximè quòd illorum nemo Polonum idioma calleret, nec dignitas poſtulantis Diuum Dominicum diſſentire iuberet omninò, atque proindè animi valdè penderet; en deuotiſsimus Epiſcopus vt voti compos fieret, glorioſiſsimo Patri pro ſacræ huius Religionis combibendo cultu,* HYACINTHVM *hoc idipſum efflagitantem vnà cum Ceſlao obtulit & Hermanno. Excepit quidem libenter Sanctiſſimus Dominicus oblatos tres adoleſcentes, quippè quos omnes propoſito ſuo inſtituto plurimum emolumenti confideret allaturos; eò tamen libentius excepit, quòd in* HYACINTHO *præter illuſtrem aſpectum (decus & ſpecioſitatem corporis animorum ingenuitati & elegantiæ iuxtà dogma illud Academicum fortaſſis referens accepta) egregiam quandam indolem ſuſpiceret, quæ præter præclaras illas dotes, quibus affabrè iam erat imbutus, certam propemodum in ſpem ſublimioris cuiuſdam ſanctitatis Diuum Patrem adducebat. Receptus itaque beatiſſimus* HYACINTHVS *ad habitum Sacri Prædicatorum Inſtituti, animaduertens ſe, quod tantoperè concupierat, pingue otium in Dei contemplatione iam conſecutum fuiſſe; licèt ſortitus fuiſſet animam bonam,*

Plat. in Phædr.

D. HYAC. receptus in ordinẽ Prædicatorũ à D. Dominico Romæ apud Sanctam Sabinam.

*nam, & corpus incoinquinatum, eueſtigiò tamen tantam aſperitatem in corpus ſuum cępit exercere, tanta paupertate ſpiritus, ita aſſiduis vigilijs & orationibus, frigore atque nuditate ita ſeſe contriuit, vt illis quoq; primis diebus virium tenuiſſima valetudo ipſum mirum inmodum exagitaret. Recepit proculdubio tunc temporis ſuæ prędeſtinationis efficaciſſimum argumentum, propter quòd impinguatus rore cœli hominem illum internum, qui langueſcenti corpori iam non poterat non commiſereri, renouabat de die in diem; externum autem magis atque magis inceſſanter domabat cum multa patientia, tribulationibus, neceſſitatibus, caſtitate & longanimitate, in Spiritu ſancto & virtute Dei: & quaſi ambidexter Ahod ille fortiſſimus Iſrael ineaueatam hanc corporis beſtiam à dextris & à ſiniſtris inueniebat, coercebat, frangebat, diſcutiebat ita, vt conſequenti vitæ ſuæ tempore totus cęleſtis putaretur: omniaque in ipſo ſpiritui conceſſerant, atque mirifica ſanctitate redundabant, vt Beatorum gloriam ex tunc videretur aſſecutus. Quid enim vos, quid aliud agitatis Beatiſſimi ſpiritus, qui pro ſuperato moleſtiſſimo vitæ huius certamine ad immortalem illam coronam penetraſtis, vos inquàm quid aliud agitis, niſi pręſtantem, atque diuinam illam naturam non hebeti corporeo ſenſu, ſed acie mentis glorioſo lumine perpurgata præſentem intuemini, atque eidem ſi non omni ex parte, certè pro conceſſis viribus, laudes atque hymnos æternùm concinnitis? At hæc faciebat & HYACINTHVS, qui licèt irretitus eſſet hoc ergaſtulo mortali, tamen aciem mentis in Diuinorum intelligentiam, indefeſſamque affectionem in eorumdem amorem indeſinenter ita cuſtodiebat, vt nulla vnquam eum offenderet, non dicam dies aut hora, ſed ne breuiſſima quidem morula niſi diuinis laudibus arctiſſimè detentum, vt plurimum etiam ad pelagi illius infiniti fęliciſſimos hauſtus emotum; vt quod vobis cęlum patens in ſublimi, hoc ſibi præſtarent ſecluſi penitùs atque abditi illi cellulæ receſſus. Hæc erat glorioſiſſimi HYACINTHI per id temporis ingens ſanctitatis amplitudo, atque hi præſtantes honores, quibus cum magnis illis Paulis, Antonijs, Macharijs, Hyllarionibus, Paphnutijs, Arſenijs omnib. Monaſticæ huius Reip. Conſulari bus viris in huius ſolitarij certaminis tyrocinio cum videretur conferendus, Nō vlteriùs rem proferendā ſanxit Glorioſiſſimus Dominicus, ſed Hyacinthū iam ſanctitate nitidiſſimum, atque ijs omnib. præclariſsimis dotibus, quæ vel ad ingruentes omnib. hominib. peccatorum cæcitates nihilo æquandas, vel ad diſſeminandam exurgentem tunc Inſtitutionem Prędicatorum ſufficerent, confertim exornatam, Poloniam interpoſita nulla cunctatione direxit. Sanctiſſimum Patrem Diuum Bernardum noſtri Ciſtercienſis inſtituti propagatorem eximium memoriæ proditum eſt, cum Sanctus Stephanus Ciſtercienſis abbas cum pro erige do Clareuallenſi cęnobio, (e cuius officina ſplendidiſſima tanquam ex equo Troiano proceſſerunt tot Syluani, Guillelmi, Hugones, Amedei, Godefridi, Alani, Geraldi, Roberti, Henrici, Agathones, alijque ſanctitate*

1. Paral. cap. 8.

*tate illuſtres viri, tot fortiſſimi heroes, qui Chriſtianum nomen non modò per Galliam, Italiam, Hiſpanias, atque Germaniam vniuerſam, ſed per omnes prorſus orbis terrarum plagas præclariſſimis ſuis facinoribus exornarunt) ad Lingonienſem diœceſim tranſmiſiſſet; plurimum timoris ipſum inuaſiſſe, quod nulla habita ratione eorum, qui ſtrenui viri Ciſtercium incolebant, ſibi, qui & ætate tenuior, & in exteriori occupatione minùs erat verſatus, maximum hoc oneris demandatum fuiſſet ſtabat. veruntamen, & iacto in Domino ſuo cogitatu, æſtuabat adeò flagranti ardore, atque tantam ſollicitudinem pro extorquendis hominibus è faucibus inſanientis illius inferni, eiſque cogendis in ſanctiſſimum vnum ſenatum ſacro pectore conceperat; vt nullum quietis, aut conſolationis genus admittere poſſe videretur, niſi armatus quam primùm in campo illius ſpiritalis nequitiæ verſaretur; obijceret ſe hoſtium generis humani, ſcitè dixerò, naturalium telis atque furori, in eorum media arma penetraret, hominesque Deo gregatim nanciſceretur. Sic Beatiſſimus* HYACINTHVS, *quem ſingulare illius Deiparæ Virginis teſtimonium, quod iam iam eſtis audituri, cenſuit quoque deuotiſſimum; & qui conſimilem glorioſiſſimo Patri Bernardo ſanctitatis & religionis clariſſimam diſciplinam eſt aſſecutus; vbi onus iſtud laborioſiſſimum ſibi demandatum fuit, quòd indignum ſe fateretur, per quem fructus aliquis proueniret, mirum in modum ſibi pertimeſcebat, quòd onus erigendi ſurgentem tunc primum Prædicatoriam inſtitutionem, atq; emendandi langueſcentē tunc per occiduas partes Chriſtianam diſciplinam, ſolertiam maximam ſanctitati atque doctrinæ coniunctam deſideraret; cuius tamen ſe inſuetum & expertem omninò iudicabat. Magis verò timebat ſibi, quòd homines aduerſam eius valetudinem, quam præ nimia abſtinētia, perpetuiſque lachrymarum fluctibus exeſa facies exprimebat perhorreſcentes, itineris difficultati, moleſtoque peregrinationis illius labori inceptum eum penitus arbitrarentur. non commouebatur tamen omninò, oculos prorſus non deijciebat: ſed cùm diuinum numen ad præclarum hoc facinus ipſum delegiſſe exploratum haberet; confideretque ipſum etiam propitium fore ſuis conatibus, ita promptior ſibi ſpiritus addebatur, atque adeò magnum animi robur ſacro illo pectore concipiebat, vt iam ſibi videretur incutere terrorem diabolo, iam infeſtas acies Principis mundi tenebrarum harum dirimere, rabiem & impetum beſtiæ illius immanis iam reſtinguere, inuictoque atque animoſo certamine non modo tæterrimum hoſtem, ſed & loca, & tempora iam iam violentus urgere videretur. Futurus igitur in gentem magnam Roma diſceſſit, Ceſlai & Hermanni, hæroicarumque illarum ſuarum virtutum ſeptus comitatu, quibus tanquam acerrimis quibuſdam adminiſtris operi delegato finem optatiſſimum erat impoſiturus: eaque Italiæ parte, quæ patet Roma in Germanos iter habenti, peragrata, Germaniam per paucis interpoſitis diebus ingreſſus eſt. Quis verò tanta ad dicendum vbertate*

*per-*

*perpolitus, atque innumerandis aliorum dignitatib. & ornamentis adeò promptus, non dicam obtueri, aut debitis laudibus exornare, ſed nè quidem percurrere poſſit maximos illos honores, quibus* HYACINTHO *fuit iocundiſſimè per omnem eam regionem acclamatum? omnia ſubticebo nè in illis perſtringendis hæc dies me deſtituat, atque id tantummodo, quod apud Frizacum Germaniæ oppidum non vulgare ſibi fuit exhibitum, quòd ibi primæ Prædicatorum ſedes fuerint per ipſum exędificatæ, referam. Magno locorum interuallo diſiungebatur adhuc ab oppido Sanctiſſimus Prædicator, cum ſama citiſſimo rerum humanarum internuncio ipſius aduentum, quiduè magnum de nomine illius in oppidanos diſſeminante, ſurgunt confeſtim nobiles & ignobiles, iuuenes & ſenes, omnes quaſi de ciuitate migrent, proprios lares deſerunt, & diſtinctis agminibus occurrentes honorificentiſſimè aduentantem iam glorioſiſſimum* HYACINTHVM *excipiunt. omnes illi iocundiſſimis acclamationibus applaudunt placidiſſimo, atque omni ſanctitatis norma prorſus exornato illius aſpectu mirum in modum condelectati, omnes per prætoria, per plateas & aditus viarum, vbique publicè & priuatim, cum noua quadam admiratione, quę ſingulorum pectora tenet, non niſi* HYACINTHVM *diuinum Prædicatorem conclamant. Exoptabat quidem hæc Frizacenſium inſignis atque cumulatiſſima pietas, vt apud eos ſanctiſsimus hoſpes obmaneret, qui adeò vehementi neceſsitudinis vinculo iam illi deuinciebantur, vt eius diſceſſum omnes acerbiſsimè, aut certè nulla ratione ſuſtinere poſſe viderentur: cum, ipſo hinc in receptam perdifficilem prouinciam ſtudioſius mentem intendente, atque non modò Frizacenſibus, ſed et vniuerſis gẽtibus illis, quæ Septem gelidos illos Triones incolunt in Apoſtolum, atque veritatis Euãgelicæ declamatorem ſe legatum iugiter examinante; hinc oppidanorum ſpectante præces accuratiſsimas; illuc tandem ventum eſt, vt couſque apud illos eſſet, quò monaſterium quodpiam exædificaſſent, in quo aliquod ſuę ſanctimoniæ reliquum diſſeminaret, quod ipſi poſteà piiſsimè colerent, atque venerarentur. Remanſit quidem vt quanto citius Domino conſecraret primitias ſuarum frugum; adeò tamen breui tempore opus hoc eſt abſolutum, vt ſex menſium interſtitio, & coædificatum inſigne cænobium, & inſtructam optimorum religioſorum cohortem fratri committeret Hermãno. Hæc per ea tempora Frizacenſium ingens in* HYACINTHVM *pietas, atq; permaxima obſequia extiterunt. cuius quidem rei dignitatem quis metiri, quis tantorum officiorum magnitudinem etiam magnificẽtiſsima oratione proſequi conetur? Admiramur maximam illorum pietatem, qui relictis parentibus, domo, filijs, alijſque neceſsitudine coniunctis, vt plurimum etiam Regnis atque Imperio derelicto, dant ſe in moleſtiſsimam viam de longinquis regionibus, luſtrant prouincias, nouos adeunt populos, maria pertranſeunt, & de vltimis terræ finibus contendunt, vt limina illius ſacratiſsimi, quod apud Lauretanos cernitur ſacelli Mariæ Virginis humili-*

S. Hyacin. Frisaci.

*ter*

ter exoſculentur; vel vt peragratis Hiſpaniarum regnis in ampliſsimo illo templo, quod et antiquitate primum, & vetuſtiſsimũ religione apud extremos Callæciæ fines uiſitur, ſacrum Beatiſsimi Iacobi corpus adorent: ſeu tandem (id quod longè maius exiſtimo) qui domui ſuæ auro, argento, atque biſsinis veſtibus omni concinnitate depictis vtentes vix humi figunt veſtigia, quorum regia contingere, atque equi ferociſsimi cœlum expugnare videntur; mutato habitu, nulla deprompta pecunia, ſoli penetrant opulentiſsima illa Turcarum imperia, longiſsimę nauigationis laborem non refugiunt, non timent maris nauſeam aut iactationem, non maritimas tempeſtates, aut repentinos prædonum impetus reformidant, ſed ſarcinam humeris proprijs geſtantes, in terra hoſtili, & hoſtium quidem immaniſsimorum, oſtiatim ſtipem colligunt ad victum; vt tandem ſubactis omnibus diſcriminibus terram illam ſanctam, quæ plaſmatori noſtro naſcenti, concionanti, ſudanti, morienti, reſurgenti demum & aſcendenti fœliciſsima teſtis affuit, igne cæleſti conflagrantes humillimè deoſculentur. Magna profectò ſunt hæc, quæ & omni admiratione digna videntur. verumtamen, ſi cauſa noſtris obtutibus expoſita, concidat in effectu ſtupor omnis neceſſe eſt; laborioſiſsimas iſtas peregrinationes non eſt cur tantoperè obſtupeſcamus: ex inſanientis pelagi medijs fluctibus eripi, ab hoſtium furentibus armis circumdatum votis emiſsis tuto proſilire, aliiſque magnis diſcriminibus, quibus nulla ſuppetunt humana ſubſidia, vbi primum vota nuncupaueris liberari; hæc ea ſunt propter quæ non modò & reges & principes huius Chriſtianæ militiæ per aliena tabernacula in annos exulant pauperes & egeni, atque in laborioſiſsimis peregrinationibus conſeneſcunt, ſed & aſperrimi Thraces, atque impijſsimi Turcæ, qui Cercyona truculentiores, humanitatis etiam dignitatem refugiunt; ingentia illa miracula, quæ vbique terrarum Chriſtianum nomen oſtentat, expaueſcentes Euangeliti dogmatis principem Chriſtum, & qui ſtant ab illo omninò reuereri coguntur. Sed quibuſnam inclaruerat miraculis, aut quęnam ingentia facinora præſtiterat beatiſsimus HYACINTHVS, vt in itinerum ſuorum primordio tantam populorum ſibi conciliaret pietatem, manciparet obſequia? Itaque maximus cenſendus hic honos præſtitus HYACINTHO è callę ſolitudine tum primum egredienti, cuius cauſam ignores. quòd ſi fortè è altiori academia ipſam duci contigerit; erit ea tamen, qua rei huius magnitudo augeſcet magis, quàm contabeſcat Honorificentiſsimi occurſus, atque lætabundę illæ acclamationes à Frizacenſibus HYACINTHO, tunc temporis exhibitę, à quo profluebant, niſi à maximo neſcio quodam, quo eum proſequebantur amore, non ex affectu, aut conſuetudine aliqua cõtracto, cum nunquam amplius eum vidiſſent, ſed ex ipſa animorum natura Plat. in conuiuo. egerminante? Atqui progeniem amoris huius apud Platonem ita ſapientiſsimè Dyotimas conniuatur. Inter Venerea inquit ipſe natalitia. loquimur hic venerem illam cæleſtem, per quam omnis intellectualis ornatus deſignatur,

quę

*quę eſt ſpiritualis hic noſter animus; inter cuius procreationem, in horto Iouis, qui eſt ipſius animi eſſentia & natura, in qua ceù in pomerio quodam D. O. M. cœleſtium pulchritudinum varios traduces conſerit; obdormiſcebat Porus, ea eſt innata cognitio ſeu verius influxum ſimulachrum intellectualium ornamentorum, quę ab ipſa cognoſcente anima participantur diminuta tamen & manca, quę congenita ſimulachra ob id dicuntur obdormiſcere (ſi coniunctum ſit noſtrum conſilium cum Plotino) quòd tunc anima in illis conquieſcat, nec aliud quid expotet. licet ea de cauſa magis crediderim ego ſoporatum hunc affluentiſsimum Porum, quòd anima humana corpori comproducta hac cogatur lege, quòd nuſqum animaduerſionem ſuam ferat, quò ſpeculatores ſenſus prius non perluſtrauerint; compareturque tabellę cuidam, quam nulla pictorum artes vnquam perpoliuerint, ac perindè emortua iaceant in mentibus noſtris hęc a ſenſibus nondum animaduerſa ſimulachra, quę ſi poſtea typo aliquo viſibus noſtris obiici contigerit, expergeſiunt ſtatim & euigilant. Obdormiſcebat ergò Porus iſte, quandò en miſerrima omnium Pęnia, ipſa eſt indigentia, atque priuatio cœleſtis illius diminutè poſſeſsi decoris, Porum ſopore obrutum offendens, cum ipſo furtim congreſſa eſt, vt inopię ſuę conſuleretur; atque ex hoc ipſo congreſſu Amorem ſobolem quòd vtriuſque progenitoris mores regione ferè diuerſos conſectetur omnium prodigioſiſsimam concepit. hic enim vt matris imitatur miſeriam, eſt pauper, ſqualidus, & pro vt egeſtiſsima generis fert conditio, pauperrimi quoque contegminis, quidquid vnquam conatus fuerit, extat ſemper egenus. vt verò copioſiſsimi patris ſemina non poteſt non retinuiſſe, quatenus videlicet hæc appetitio participatum illud ſimulachrum conſectatur, eſt inſidiator pulchri, ſapientię ſtudioſiſsimus, virilis, audax, elegantiſsimus in dicendi ſacultate, atque per omnem vitam philoſophator egregius. Sed redeo vndè noſtra receſsit oratio. Obdormiſcebat ergo in animis hominum Porus & effigies quædam connata omnium cęleſtium ornamentorum, quibus ſapientiſsimum Prothotypon* HYACINTHVM *ab exortu cumulauerat; quando viſo eo indigens hominum Pænia Poro illi congreſſa eſt, atque inſignem illum amorem procreauit, quo homines etiam inuiti, atque nolentes, licet virum & viri ſanctitatem ignorarent, hoc tamen ſtudioſiſsimo Poride, quem maxima* HYACINTHI *ſuprà naturę dignitatem ornamenta minimè latebant, ſed & illis inſidiabatur, adducti ipſum omnibus neceſsitudinis ſummis uiribus complecti cogebantur. Quanta hęc eſt* HYACINTHI *gloria Pap. ornatiſsimi, quanta dignitas? quantus honor? ſi rei huius magnitudinem vberius proſequi voluerimus, quē finē, aut quē modū noſtra adinueniet oratio? Sed procedamus queſò? nec in primoribus hiſce initijs dignitatū & ornamētorū Diuini Prædicatoris tantū obſtupeſcamus, quando longè præſtantiora iam iam ſumus audituri. Itaq; receſſit ab oppido, & paucis indè tranſactis diebus inter frequentiſſimos populorum concurſus ingreſſus Poloniam, Cracouiam*

Ariſt. 3. de anima te 13.
Ibid. te. 14

S. Hyacinthus proficiſcitur Poloniam.

*Aa* tan-

S. Hyacin. peruenit Cracouiã.

*tandem deductus eſt; vbi deuotiſſimus antiſtes Iuo, & vniuerſa ciuitas ma-nium portis effuſa obuiam ſibi proceſſerunt, aduentantem exceperunt honorificentiſſimè, atque inter diſſauiantium oſcula, conſalutantiumq; iocundiſſimas acclamationes diu detentum, vniuerſo clero exporrectis ordinibus procedente exoptatiſſimæ ciuitati tandem reddiderunt. quis hic aut reconditos illos ſenſus iubilationum, quos beatiſſimus Hyacinthus pro ſuperato itinere difficili concepit, aut ardores flagrantium animorum, gaudiaq; non humanitus deguſtata, ſed incluſa diuinitus in Cracouienſium illorum pectoribus ſermone conſequatur? Hinc exultabat glorioſiſſimus Prædicator, quod illuc iam ventum eſſet, vbi conſtitutam prouinciam impiger aggrederetur, dilectaſq; patrias domos & conſpicua morum integritate, & aſſiduis concionibus ab impiiſſima flagitiorum tyrannide induſtrius vindicaret: hinc gaudijs vehementioribus ſuffundebantur Cracouienſes, quòd eo precioſiſſimo* HYACINTHO *eſſent perfruituri, cuius egregiam ſanctitatem, & ex admiranda eius indole, quum primum apud eos commoratus eſt, ſibi peroptimè confinxerant, & ob oculos poſitam iam intuebantur. Igitur in arcem demandatæ cauſæ Sanctiſſimus Prædicator vbi primum inuadens, pietatem cœpit accendere pietate, torpidos expergefacere, demoliri toto cardine vitia atq; corruptelas, herculeam pectorũ emollire duritiem, corporum caſtimoniam, exinanitionem animorum, atque cætera omnia chriſtianę pietatis ornamenta, quę fraude ſua pernicioſa nequiſſimus ille hoſtis obruerat, non interruptis concionibus, ferueſcentique ſpiritu diſſeminare occepit. Adhærebant iugiter vehementiſſimo Prædicatori Cracouienſiũ numeroſiſſimi conuentus, mellitis illis declamationibus mirum in modum cõdelectati, quæ non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis ita hærebant in cauſa, vt quodcunque tetigiſſent, id omne caperent & conſequerentur. erat enim ignitum eloquium ipſius vehementer, quo, dum concionaretur, gratiam & feruorem in auſcultantes ita diffundebat, vt domos proprias redeuntes viderentur ſibi ipſis mutati in viros alteros, tantoque æſtuabant pietatis ardore, vt vehementiorem Hegæſiam, pro effigurandis ærumnis huius vitæ, hominibuſq; à via ſua mala deflectendis, & conuertendis ad D.O.M. excogitare non potuiſſetis. Neque verò tantam pœnitudinem exanimem fuiſſe, aut demortuam arbitramini, quam flagrantium animorum ardore redundante operum vberrimi fructus ſunt conſecuti. adhærebãt enim in dies beatiſſimo* HYACINTHO *quamplurimi, qui ſe ſuaque Deo conſecrantes id effecerunt, vt non modò Eccleſiola ſanctiſsimæ Trinitatis in qua Cracouiæ ſeſe receperant, breui tempore in excelſum templum grandi adiecto monaſterio excreuerit; ſed & per omnem Poloniam fuerint conſtructa cœnobia, atq; ſacræ ædes exædificatæ, in quibus degerent, qui ſub* HYACINTHI *vexillis in cœleſtem militiam fuiſſent conſcribendi. Quodnam autem victus humani moderamen, aut quam viuendi normam in eis Sanctiſsimus Prędica-*

*tor*

tor conſeruerit, ſi quis veſtrum noſſe percupiat; ea eſt, quam à beatiſsimo Dominico Romę accepit, quam in hiſce ſanctiſsimis ędibus D. Thomę conſpicitis refulgere. in diuinis vigilantiſsimus, in confratres diſcretus nimis ac patiens, (nam & aliorum infirmitates vti ſuas collachrymabatur). in ſe durior ſupra vires aliquid iugiter moliebatur, haudquaquam corporis imbecillitati compaſſus. Peruigilabat in perpetua quadam ſollicitudine, & neq; oculos vſquam à ſua, cęterorumque ſalute deijciens, aut Prędicationibus inſiſtebat, aut in aſsiduis precibus erat, & celebritate ſacrorum occupatus. cum autem vt plurimũ in pane perexiguo & aqua vitam patientiſsimè duceret, ita membrorum eius affligebantur vires, vt non modò ſibi eſſent omninò perturbationum ſedati fluctus, atque reſtincti cupiditatum ardores; ſed etiam tenuiſsimo illo alimento an vt viueret, an pro morte differenda uteretur, dubitaſſetis. In tanta uictus parcitate non conniuebat tamen, nullam adhibebat ſibi fidem aut commiſerationem; ſed cum hoſtem verſutiſsimum non ignoraret in medijs quoq; ieiunijs, maximaq; corporis inędia inuolucra, atq; decipulas occultare conantem, eò magis proſpiciebat ſibi, & nè ſplendidiſsimo ſuę ſanctitatis candori quid obreperet rubiginis, ſingulis noctibus carnem diriſsimis flagellis cũ crebris malleorum ictibus in Eccleſia inter orandum conficiebat. Quid admiramini Pap. ornatiſsimi? quid vultus veſtros tanto ſtupore defigit is? parua ſunt hęc in Hyacintho, minima ſunt, obſeruate maiora. Diffuſus eſt ſtatim odor tantę ſanctitatis per omnem Poloniam, opinio Hyacinthi diſcurrit per uniuerſam regionem, & ecce maximos concurſus ſurdorum, claudorum, cęcorum, diuexatorum à dęmonibus, aliorumq; aduentantium ęgrotorum, qui lachrymis ora perfuſi vndequaque vt expetitam benedictionem conſequerentur, ad eum ceu ad gratiarum omnium erogatorem accurrebant. audiebant illi verbum de ore eius, videbant ſigna, & nihil hæſitantes de eius ſanctitate extemplo conualeſcebant, recipiebantq; priſtinam incolumitatē. Atteſtare tu Cracouia quot fuerint ab eo per id temporis dæmones fugati, erecti claudicantes, cæcutientes illuminati; quot ex pernicioſiſſimis illis morbis propulſati, quos neſcit humana facultas coercere; quot languentibus & infirmis per eum ſoſpitas impetrata fuerit, tu nobis ediſſere. Venio ad illud vnum, quod, cùm ſit ex omnibus, quæ ſibi contigerunt longè maximum, eius tanta dignitas exiſtit; vt ſi qui verbum inani profluentia illud exornare contenderit, aut rem aliter ac ſe habuit enarrare, deroget mirum in modum eius magnitudini: &, quod fertur de Homerico illo Platone, vbi aliquid uel adempſerit, vel addiderit, ſpecioſiſſimum ornamentum decerpſiſſe videatur. factum igitur referam ingenuè, & eò quidem libentius, quòd apud vos agam, qui magis rerum ſuauiſſimos fructus degiſtare, quàm ſterili verborum apparatu conſueuiſtis oblectari. Audiuiſtis omnes, quòd & indomita victus parcitate, & aſſiduis vigilijs, ut inuictum, & inſuperabile robur animi tutaretur, contrà corporis ferociam; quò concupiſcentijs om-

nibus hinc aditum occluderet, ſtrenuus dimicabat. & quia contra renitentium ea eſt conditio, ut unius effloreſcentia alterius concipiatur pernicie, ad carnis maceriem in ipſo tantus animi reſplenduit vigor, ut die illa illuceſcente, in qua ſolennis glorioſiſſimæ Virginis Aſſumptioni quotannis ſacra vouere, dum ante ipſius Virginis iconem lapideam procumbens, ſibi diuinum quodpiam ſolamẽ obſecraret; en quaſi nubeculam quandã Altaris pallam inuoluentem è cœlo deſcendere, qua à ſummo deorſum uſq; diſciſſa, indè Maria Virgo ſeſe obtulit, Hyacinthumquè omnia hæc humillimè ſuſpicientem eum in modum eſt allocuta. Frater Hyacinthe, dudum tuam in me cognoui pietatem; conſolare ergò, & ad præparatas tibi cœlorum ſedes, qua cępiſti uia feſtinato. interim uerò, ut magis confidar fili, quid per me petieris, pro tua pietate ſtatim conſequeris. & vale dicens, cum harmonioſa quadam dulcedine, atque ſuauiſſimo concentu euanuit. ò miraculum miraculorum omnium ſummam, ò rem inauditam, ò facinus egregium & ſingulare. quid faciemus nos in tanta rei magnitudine? quibus conſilijs innitemur? quam rationem inibimus? Verſamini adhuc in ancipiti? Simulato Aegeriæ congreſſu Romanos effrenes legibus Numa coercuit, fabuloſoq; Pythię reſponſo Spartiatas domuit omnium ſapiẽtiſſimus Lycurgus; & HYACINTHO, qui hoc ſacratiſſimo Dei Genitricis oraculo in orbe gratiarum erogator eſt conſtitutus, vlterius obluctabimur? ipſum, qui eſt plurimæ fidei in huiuſmodi grauiſſimis periculis, commiſeratorem nõ appellabimus? eum non inuocabimus noſtrarum cauſarum protectorem? in eius nomine è pectoribus noſtris incubantis iacturæ metum non propellemus? Hic, hic ille eſt Pap. qui per id temporis vtrumque Vitoſlaua cæcutientem filium à ſeptenni tenebra purgauit; qui exundantis fluuij obrutum aquis Faliſlauiæ natum reuocauit ad vitam; qui expilatas grandine ſegetes, quaſi diuinorum opulẽtiſſimum penu, Cæreali & iterum repleuit fruge. Ad ipſum confugiamus & nos, egeſtati noſtræ hinc conſulamus, auxilium eius imploremus; neque enim cum audierit ita peſſimè nos eſſe fortunatos, continere ſe poterit ita, vt & nobis opem non ferat. quid dixerim continere? en primus ipſe nos perquirit, in hac grandæua temporum aduerſitate prior venit nos conſolari, tantis diſcriminibus eripere nos conſtituit omnino. Renouate quæſò Pap. ornatiſſimi veſtram illam in audiendo egregiam humanitatem & diuinum quoddam facinus, quod ex altiſſimis hiſce concionis fluctibus nequaquam vult ſubticeri, ex animo penditote. Emerſit per ea tempora ex Caſpijs illis faucibus, quæ Taurum montium omnium quàm maximum perpetuum efficiunt, Tartarorum copioſiſſima multitudo, quæ inſignis cuiuſdam latronis Dauidis nomine ex Perſide oriundi imperijs tractata, primùm regna Perſarum inuadens, indèq; in Medos, Aſſyrios, Parthos, atq; Armenos hoſtili animo penetrans, ceu ſæuiſſima tigris, quàm ex vetuſtiſſimis Hyrcaniæ ſaltubus nimia fames diuexet, omnes perdomuit, cunctos diriſſima ſua ferocitate,

S. Hyacin. miracula.

Tartari totum orientem deprędantur.

*ſtate, regna ſolo euertit, cunctiſquè ferro atquè igni depopulatis aurum, argentum, cæteraq; precioſa ſecum aſportans circa Mæotidis littora tandem conceſſit. pellexerunt mirum in modum ingentia hæc ſpolia gentem auariſſimam; & maiores rapinas atquè flagitia animo moliti in Hungaros, conterminamquè Poloniam extemplo traycientes, omnia vi ceperunt, rapuerunt vniuerſa; & quòd improuiſis diſcurſibus ſint inſuperabiles, omnem regionem deprædarunt. Erat tunc temporis videre per ea regna efferatam ingluuiem barbarorum in rapinis & direptionibus debacchantem; in conſtuprandis ſacris virginibus, cæteriſquè eiuſmodi flagitijs ſpurciſſimam luxuriem; inſanum furorem in religionibus violandis; in omnium cædibus impijſſimã & nunquam amplius auditam atrocitatem; vt omnes alias irruptiones, quas aut hiſtoriæ omnium gentium, aut fictæ poetarum fabulæ memoriæ prodiderunt, formidabilior hæc excurſio longo interuallo ſuperarit. abripiebantur omnia, promiſcuè cuncta lacerabantur, cum fortunis omnibus euertebantur indigenæ, omnes pariter trahebantur ad mortem, demum vniuerſa ferro atque igni immiſericorditer trutinabantur. Nec tamen his eſt expleta eorum ueſana rabies; ſed in templa ipſa, in ipſum quoque Deum maledicti filij Cham infeſta ſigna intulerunt; imagines atque altaria demoliti ſunt, Eucharistiam quoque ipſam (proh ſcælus inauditum) ipſam quoq; Euchariſtiam, ut aureas, argenteaſquè pixidiculas graſſarentur, prophanis manibus, pedibuſquè tractandam vbiquè locorum proiecerunt. Quid faceret* HYACINTHVS *in tam impudentiſsima Barbarum inhumanitate? Ergò nè, dicebat, hæc contagioſiſſima peſtis non modò in fortunarum direptionem, atquè hominum perniciem eruperit, ſed in ſancta quoquè penetrabit? in aras Domini ſanctiſsimas irrumpent obſcæni? ſacra ſpurciſsimis manibus beſtiæ ſanguinariæ deturpabunt? tantam immanitatem capiet perditiſsima mens hominum, vt Domino Deo vniuerſorum neſarium bellum indicat? proruat in eius ſacratiſsima templa? vrgeat eius reuerendiſsimas aras? appoſitiſsimum illud ſacrificium, quin infandam illam Maieſtatem, quam cælites omnes reuerentur, pertimeſcunt poteſtates, dominationes omnes adorant, irreuerentiſsimis manibus fatigare conetur? ſiccinè diuinum decus proſternitur? honor cælitum deſpicitur? Chriſtiani cultus reuerentia labefactatur? deridetur? deperditur? Heu quia dolor nimis integraſcit, & mea pectora tota in cruciamenta abeunt. Menè his ipſis oculis aſpicere regificum epulum porcis atq; canibus expoſitum? menè intueri lectiſsimum illud, quod vnicũ adamo, ſimulachrum Aethereæ Matris ſacrilegis mucronibus transfigi, atq; humi corrutum ignominioſiſsimis conuicijs hac atq; illac diſtorqueri? Inuiſum ſit iſtud oculis meis; & vbi coagmentatus vndiq; dolor triſtiſsimam hanc lucem mihi nequit exorbere, prodibo in campum; contra infeſtas harum furiarum acies ſtabo ſolus & inermis; ſancta ſanctorum impudentiſsimis eorum auſibus ſubducam; aut certè ſi*

Tartari Poloniam, & Hungariã inuaduut.

Ma-

*Miraculũ inſigne Sancti HYAC.*

*Megæras eorum faces hoc per quàm voluntario meo ſanguine pijſsimus ille pater me modò cõſtituit irroraturum, pro cœleſti hoc holocautomate, pro icone Mariæ Virginis, illa mihi dulciſsima extremæ huius lucis vſuram libentiſsimus obibo. Adſunt ſacræ veſtes, induitur pompã ſacerdotalem; prehenſat dextra manus ſanctam illam Hoſtiam cuius adorandis aſpectibus concidit cœlum, & terra; portat ſiniſtrum latus deuotiſsimam illam cœleſtis Reginæ in prægrandi lapide ſculptam imaginem, quam ſex robuſtiſsimi viri vix è loco ſuſtuliſsent; proſilit in medios hoſtes; in eorum media arma penetrat; furentium truces oculos obducit; euadit incolumis ad fluuium Boriſthenem; &, ceũ vel immenſo deuotionis eius ardori nihil officeret oneroſa corporis grauedo, aut effincta moles lapidea benigniſsimæ Aduocatricis ſpeciem æquè & vim effigurans geſtatorem ſuum ſuper aquas deduceret aſportata; precioſiſſimas ſarcinas trans maximum flumen à furenti latronum ferocia vindicauit. Quid potiſſimùm laudem in tam egregio facinore? an inſignem illam pietatem, qua ea omnia conuicia, quæ truculentiſſimi milites in D. O. M. ſacra inuſſerunt, ipſe quoq; eadem ſuo in pectore, & mente omninò perpeſſus eſt? at hoc eſſet vaſta Oceani littora in caſſum niti, vt exiguo cochleari concludantur. quæcunque enim de hoc glorioſiſſimo Predicatore audiuiſtis, quæ eſtis aliquando audituri, omnia mirifica hac deuotione redundant. An illuſtrem martirij optionem, qua furentem acerrimum hoſtem pro Chriſtiana religione ſuſtinenda ſolus & inermis acciuit? at vbi Carneades ille buccinator admirabilis, qui nouum quoq; iſtud facinus eloquatur? An integerrimam illam fidem, quæ ſynapim longè ſuperexcedens excelſam lapideam molem (viribus hominis etiam robuſtiſſimi montẽ nuncupauero) ceù calamum inanem tranſtulit? At cum hæc omniũ hominum fidem exſuperet, totum orbem opus eſſet in vnum concedere, vt illam aliqua ex parte, ſi minus ex omni declamitarent. An fulgentiſsimam illam animi ſui diuinitatem, quæ dum onera ſanctiſſima efferæ impiorum rabiei ſubtrahere ſatagebat, radians ex ipſo corpore impijſſimos obcæcauit? at horret animus inuiſa, & quæ mortalium auribus nunquam amplius inſonuerunt adniti. An Seraphycum et ſublimẽ illum amorem, qui graue corpus fluido liquori inſiſtens ita ſuccendit, vt ſicco pede trans leuiſſimum flumen (qualis iactatur Boriſthenes) aſportaretur? at hoc illi quàm domeſticum & familiare fuit. audite quæſo. Conualuit aliquando Polonia à pernicioſiſſima illa Tartarorum peſte, atq; ex tot turbulentiſſimis calamitatib. emerſa ſpecioſior in dies coaleſcebat; cũ beatiſſimus* HYACINTHVS *Prædicatorię huius Religionis cultum in ea magis ac magis extempore confirmari, defigiq; proſpiciens, in exteras etiam regiones, quaſi inundatione facta melliſluum examen ſuæ ſanctitatis effundere conſtituit. itaque Ceſlao Boemiam verſus legato, ipſe cum fratrib. Godino, Floriano, atq; Benedicto Maſoniam ingreditur. offendens autem quod Viſogrado præterlabitur flumen,*

S. HYAC. Malouiã ingreditur.

S. Hyac. miraculũ.

*flumen, cum traijcientis naucleri copia minimè ſuppeteret, oratione Deo ef-fuſa ſuo cucullo ſocios iubet inſedere : ipſe autem pedes aquis incedens, cùm actuariam cymbulam ponè ſe deduceret, excepit eum tanta cum reuerentia procelloſum torrens, vt ſtatim blandum ac mite effectum ad oppoſitum marginem ſicco pede traiecerit. O nimis admirandam HYACINTHI ſanctitatem, ò reconditos profluentium aquarum ſenſus. valdè mirandum fuit olim Alexandro Macedoni, cui bellorum gloria Magni cognomen in perpetuum confirmauit, dum Pamphyliæ maritimam oram inuaderet, diuina quadam ſorte, mare illud alioqui ſæuum ſemper & procelloſum ceſſiſſe; id quod occaſionem ſcribendi permultis hiſtoricis ad immenſum vſq; ſtuporem exhibuit: admirationem maiorem nobis incutit memoriç reuocare olim ex lapide duriſſimo, ſteriliorią; rupe aquarum fontes & ſtagna Mundi huius Archetypum diduxiſſe: & non longè mirabilius erit mollem, fluidumq; liquorem quaſi firmiſſimum marmor conſolidatum præcipitem & indomitum feruorem dicto citius deponere, & beatiſſimi viri mandatis quaſi cicur obedire? Obediuit quidem, quòd eius voci nequiret obſiſtere, qui et temporum diſpenſatorem in contortis cęlorum anfractibus ſolo nutu coerceret; ea tamen comitate ob id glorioſiſſimo HYACINTHO credatur obſecutum, quòd cui totus aſſurgebat orbis, eidem procumbere fuit & ipſi pro condicione permiſſum. Hic recenſenda forent quę per vniuerſam Maſouiā tunc temporis prę-clara facinora geſſerit, quibus vè inclaruerit miraculis: quomodo Chijouiā Ruſsiæ Ciuitatem olim amplitudine inſigni percælebrem, quò Maſouia conceſſerat, perditam ferè ad religionē recuperauerit: quomodo exitiales illos morbos, quibus animi noſtri maximè tabeſcunt & colliquantur, ab inſula iudex ſeueriſsimus omnino proſcripſerit: quomodò crebris, ijsq; maximis miraculorum argumentis, quos Chriſtiani nominis extorres; quos in agmine ſpirituali ſegnius dimicantes; quos deſideria ſua ſectantes, alijsq; flagitiorum inuolucris offenderat obuolutos, ad eum prouocarit pietatis ardorem, vt quò magis pernicioſis hiſce ſcelerum omnium uinctibus illigabantur, eò magis ſtrenuos huius militantis Reip. aſſertores ſtatim exurgere cerneretis, eximioſq; heroes extemplò factos admiraremini. ſed amando hæc omnia à præſenti conuentu Pap. ornatiſsimi oneris huius quàm maximę imparitati ſuccumbens; cuius magnitudinem nec aut Latini rethoris mira illa ſuaui loquentia, qua quidquid exoptaſſet, perſuadebat exercitatiſsimus orator; aut diuini Platonis politiſsima illa locutio, quàm vnam Ioui (ſi modò is gręcè locuturus fuiſſet) non ineptam arbitrati ſunt ſapientiores, pro dignitate refferrent: & ad extremum vitę ſuę, vt ego quoq; vbi primùm littus explorem me confero. Annum ętatis ſuę ſeptuageſimum quartum iam natus erat Sanctiſsimus Predicator, cum temporibus multis expletis, ligaminis ſui corporei preſentiens compaginem diſſoluendam, ceù candidiſsimus olor, qui cum eſt*

ad

*ad moriendum vicinus, quaſi prouidens quantum ſit in morte boni ſuauiſſimos, iocundiſſimoſq; cantus cum incredibili delectatione fundit; reliquit ſuæ ſanctitatis inauditę ſpecimen admirandum. Vtinam huc adeßent omnes gentes, atq; in hoc antiquiſſimum templum totus orbis conceſſiſſet, vt me quomodò nos ad benè moriendũ comparare debeamus ex glorioſiſſimo* HIACINTHO *declamantem exaudirent. Illuxerant vigiliç Aſſumptionis beatiſſimæ Virginis (ſolemnitatem beatiſsimo iſti fœliciſſimam) cum ſanctiſſimus Prædicator naturæ ſibi perſoluẽdum officium diuinitùs tamquam ſub oculis proſpiciens (iuſtum planè, ac penè debitum erat, vt qui toto dierum ſuorum decurſu fuerat ſanctitatis obſeruatiſſimus interpręs, extrema quoq; hac oĩum gratiarum abſolutione cohoneſtaretur) vocari iubet fratres in cellam ſuam; canonicas laudes cum illis, vti conſueuerat, perſoluit, imperat fieri Sacrificium; quo perfecto genibus flexis ſubſidens ſanctiſſimum corpus Chriſti cum omni fletu & ſpiritus eliquatione reuerentiſsimè ſuſcepit; atq; vt nos doceret omnia prorſus, quæ ad illud iter extremum in cęleſtem patriam conſiciendum ſunt pernecesſaria, Extremę quoque Vnctionis clypeo voluit communiri. Hùc, hùc oculos conuertant, atquè in hoc vnum omnem ſuam operam conferant illi, qui ſuæ incolumitatis adeò ſunt inertes, vt triſtis ex hac vita d. feſſus eos prius obruat, quàm aliquam benè moriendi rationem nanciſcantur. non eſt hoc Chriſtiani, non benè inſtituti hominis, non eius, qui propriam ſalutem adamet. omnibus in rebus id eſt exploratum, quòd finis anteriora omnia ex quibus coaleſcit, effingat atquè demonſtret; & ſi illa bona, ipſe melior, ſin mala, ipſe peſsimus exiſtat. qui ergo in extremis illis anhelitibus conſtitutus clementiſsimum Deum in grauiſsima iactura ſibi inperfugium & commiſeratorem non adhibet; atquè adeò datus eſt in reprobum ſenſum, vt omninò nõ intelligat ſacramenta Dei; illius retro actam vitam ſordidiſsimis, atquè omnium grauiſsimis criminibus oppletam conijciamus; atquè vt uiuens deſcendat in emeritum infernum, hunc luctuoſiſsimum euentum illi impendere iudicemus. homines peſsimè fortunatos, qui, cùm ab incubantibus inferni cruciatibus diriſsimis facilimè ſe poſsint ſubmouere; ſeipſos tamen in efferatiſsimas immortales diuexationes deſerunt atq; deſtituunt. Præmunitus itaquè omni ex parte glorioſiſsimus* HYACINTHVS *pro ſuo fœliciſsimo tranſitu in vitam illam beatam, & æternam, cum magis ac magis obſtupeſceret ſenſus, atquè totum corpus iam hebeſceret, ſuos confratres nequaquàm oblitus quorum curam atq; ſollicitudinem perpetuò ſuſceperat ad ſe pertinere; imitatus Euangelicum illum diſpenſatorem, qui peregrè profecturus precioſa talenta chariſsimis ſuis erogauit; eos ſic allocutus eſt. Quia fugientem à me ſpiritum ſuo auctori Deo iam iam ſum redditurus, vos obſecrò mihi perquàm dilectos commilitones, vt mutua charitate vos primùm proſequamini; cordis mundiciam, atq; animi ſinceritatem nunquàm*

[Margin: S. Hyac. reuelatur eius obitus.]

[Margin: S. Hyac. nouiſſime ſuos confratres alloquitur.]

quàm

quàm non obſeruetis; demùm voluntariam pauperiem diuinæ gratiæ pignus certiſsimum votis omnibus amplectamini. Hoc eſt ſanctum,& minimè violandum illud fœdus,quod cum Patre noſtro Dominico pepigit Altiſsimus ille Deus, qui nos in ſpe vitæ æternæ ſingulariter conſtitutos, licet ſimus omnium ingratiſſimi,in liberum tamen illud cælum atq; in illam ſempiternam domum, vbi eius opem implorauerimus, liberaliſsimè recipiet. His dictis æternitatem illam beatiſsimam mente,cogitationeq; inuadens, cum hoc ſupremo vitæ ſuæ tempore, oculis atque vultu diuinitatem illam maximam ſui animi præſeferret,lætus & hilaris, veluti cum tacito quodam cantu, & voluptate inter graues circumſtantium ſingultus, vbereſq; filiorum lachrymas anno ſalutis milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſeptimo agente,de labore ad præmium, de morte ad vitam,de hoc mundo ad Patrem fęlix volauit. Volaſti,inquam, non euolaſti beatiſsime HYACINTHE. Licèt enim te cum ſancto Staniſlao cęlos petere & Prandota Epiſcopus viderit,& ſanctimonialis;in infęlici tamen poſitum mundum vel mortuus non deſeruiſti. Dum enim & præcedentium & conſequentium populorum legione plurima cadauer efferretur; adoleſcens quidam obrutus in flumine Zeghota, vbi primùm ſanctiſsimo corpori fuit admotus;acſi adhùc ibi fuiſſet viuus ille HYACINTHVS, qui morbis,& aquæ, & morti pro libito imperitabat, abſorptam viuificatricem animam recepit. Quæſo beatiſsime HYACINTHE, cur hac mortali luce functus tanta feſtinatione humanis mederi defectibus acceleraſti? forſan, vt morborum noſtrorum ſolers medicus ad tui confugium nos vbiprimùm aduocaret? aduocauit certè. condito namquè Mortali eius ſanctiſsimo, tot miraculis cępit confeſtim inclareſcere,vt hic eius fœliciſsimus obitus eum nobis reddidiſſe magis quam abſtuliſſe videretur.confluebant ad eius tumulum omnis generis ęgrotantes,atq; infirmi,qui beatiſsimo Prædicatori vota deſtinãtes,quã concupierant valetudinẽ tanta fęlicitate conſequebantur; vt afflictæ atq; miſeræ eorũ fortunæ tutorem portũ neſcirent exoptare.ibi capitis, dentiumuè effero correpti dolore ſubleuabãtur;ſurdis comparabatur auditus, greſſus claudicantibus;multis comprimebatur paralyſis; abripiebantur quãplures læthali phthiſis inedia;hydropis intercus putridus liquor duodecies (ni fallor)foras euocatus eſt; atq; conflictantes caduca ſorde homines duodeuiginti receptiſſimis teſtimonijs ad priſtinã incolumitatẽ aſſurrexere.Quid pluribus vos moror?excogitetis vos quã malueritis ægritudinem atq; morbos omnes,quibus noſtra corpora contabeſcunt,& in omnibus his humano generi opem tulerit HYACINTHVS. cęcutientes à ſuperfuſis oculorum tenebris quinquagies emundauit; grauiſſima preſſos infirmitate, quibus inopportuna mors incubabat, maximè verò prægnantes, ab imminenti vitæ iactura ducentum & quadraginta tres ſubmouit,linguæ,gutturis,colli,pectoris, epatis, aliorumque interiorum,nec non totius corporis diro cruciatu laborantibus infinitiès liberaliſſimè fuit opitula

S.Hyac. moritur.

S.Hyac. cōſpicitur ad cęlos euolare.

S Hyac. reſuſcitat mortuũ.

Miracula S.Hyac.

tus. tanta demum noſtræ calamitatis hunc ſanctiſſimum inuaſit commiſeratio;vt eius ope inexorabili mortis voragine quinquaginta quatuor abſorpti Mortales,fuerint ad hanc diem iterum euocati. O fœlicem nimis humano generi HYACINTHI vitam; poſteaquam ſi animis noſtris herculeo charactere illam defixerimus, atque vti paradigma quoddam inſigne fuerimus conſectati, in ſempiternis illis ſedibus nos collocabit: commodiorem tamen atque conducibiliorem mortem; per quam grauiorum omnium contagionum ſaluberrimum medicamen ſumus conſecuti;per quam ad HYACINTHI vota, (ac ſi leges omnes vniuerſi in hoc vno Prædicatore conquieſcant)ad huius lucis vſuram tot mortui reuocantur. Conſectarer hic Pap.ornatiſſimi ingentia illa miracula,quæ inter hæc iocundiſſima ſolemnia per omnem Italiam ſanctiſſimus Prædicator exhibuit, ni eadem & vos explorata prorſus haberetis,& impudentiſſimum foret ea vnius ore concludere,quæ & hæc ipſa tecta, atque exanimes muri dies nocteſque inſonare conſpiciuntur. Hæc eloquantur illi, quibus adeò mirabiliter opitulatus eſt ſanctiſſimus Prædicator, & per omnia triuia, atque compita, per omnes vicos & ciuitates oſtentent illi, alij donatam vitam, alij conceſſam oculorum claritatem, alij redditum greſſum,aliaque huiuſmodi præclariſſima facinora vbique gentium proferant.Ego enim temporis anguſtijs preſſus id tantum ediſſeram,quod animos noſtros in tempore turbulentiſſimo deiectos ex omni ſpe erigere, atque ſubleuare debet. Audiuiſtis omnes Sapientiſſimum Regem Salomonem actum diuino ſpiritu pulcherrimæ ſponſæ ſpecioſiſsimique dilecti perhenne connubium in iocundiſsimis illis Canticis canticorum modulatum fuiſſe. præclarè & etiam nouiſtis, quòd ſponſa ſit militans hæc Hyeruſalem mater noſtra. & quòd per Dilectum,libertatis noſtræ propugnator Chriſtus Ieſus effiguretur, omnes probè tenetis.quia tamen ſub eadem rudi verborum cortice infinita ferè pro vicaria temporum conſecutione noſtræ ſaluti accomodata miſteria latitant (id quod in obſequium ſacrorum librorum ſenſum hebetem maximè deligat) liceat idcircò nouum quendam ſponſum opportunitati temporis, inſimul & cauſæ iſtius rationi conſentaneum deligere;et ſi forte HYACINTHVM. pulcherrima hæc mulierum noſtra genitrix in dilectum exoptet perueſtigare. En obuijs manibus ipſam noſtris optatis reſpondentem;& quidem ita, vt & deſideratum amicum egregiè figuret, & magnum gloriæ, atque decoris ipſius ambitum paucis complectatur,& ornatè.Dilectus meus, inquit ipſa,eſt candidus & rubicundus electus ex millibus. lectiſſimus certè & amabiliſſimus ſit iſte dilectus neceſſe eſt, quam pulcherrima ſponſa tanta ſingularitate commendat; in quo præſtantiſſimi colores tanta cum dignitate cohærent, colores præſertim verò iocundiores,cum in alijs rebus maximè, plurimùm verò in gemmis probari atque commendari non eſt qui dubitet. inter ſpecioſiores autem gemmas ſola hyacinthus ea eſt,in qua excellentiori quodam glutino,& rutilus

candor

[Margin: Miracula Hyacinthi poſt Canonizationem.]

[Margin: Cãt. c. 5.]

*candor per iocundo rubore ſuffunditur, & præſtantiſſimus rubor micat ſplendidiſſimis candoribus immixtus, vt glorioſiſſimus hic* HYACINTHVS *ſit effiguratus ille ſuauerubens dilectus, amicus ille totus deſiderabilis, amor & perfugium Militantis huius Eccleſiæ, in quo & micat candor lucis æternæ, ſanctitas videlicet inaudita, operum puritas innocua, & cordis, ac mentis nunquam maculata ſinceritas: & rutilat flammeus rubor charitatis, per quem colles, preſſas pietatis alienæ metas, tranſilit; & ad excelſos æternæ Triadis montes propriùs ſalit atque conſcendit. Hunc ſpecioſiſſimum dilectum quanta ſollicitudine quæritet eadem præ nimio amore languens Eccleſia, mecum quæſo diligenter obſeruate. Nomnè dum ſuperiori menſe totius orbis gentium Maximus Pontifex* CLEMENS *VIII. auguſtiſſimorum illorum Cardinalium circumſeptus præſtanti corona; qui ſicut omnium terrarum ſunt ampliſſimi Senatores, ſic eorum virtutes & ornamenta, quæ tam longè latèque patent, quòd vberrimum eſt in homine flumen ingenij reformidat; maxima cum religione, inauditiſque cærimonijs beatiſſimi* HYACINTHI *ſacra celebraret, vniuerſalis Eccleſia cunctas gentes, in quibus aliquod pietatis, aliquod diuini cultus reliquum obſeruatur; ſic videbatur affari? Trecentis fermè annis, ò filiæ Hyeruſalem, vocaui dilectum meum* HYACINTHVM, *& non reſpondit* Cant. c. 5. *mihi, quæſiui illum, vt cœtui ſanctorum aſcriberem, vt eſſet propitiatorium pro vobis omnibus; & in Sarmatiæ lateribus deliteſcentem nunquam inueni. Inuenerunt me interim ex Germanis, quos feci mihi in cuſtodes ciuitatis noſtræ Syon; quorum pietate, religione, atque ſanctitate adducta Imperialem thiaram eis largita ſum, vt me vindicent ab inimicis & ſeductoribus, atque nomen Chriſtianum & ſanctitate, & armis, ceù turres fortitudinis noſtræ cuſtodiant atque propugnent, impijſſimus Lutherus, Caroloſtadius, Zuinglius, Oecolampadius, flagitioſiſſimi Anabaptiſtæ, alijque per plurimi, qui nec vel me, vel patriam religionem veriti, grauiſſimis ſuis ſcæleribus percuſſerunt me, atque ſacrilegis mucronibus ad internecionem ferè vulnerauerunt. Cuſtodes murorum Britanni, quibus ceù firmiſſimis lapidibus quadris ab Occidente ſanctam hanc ciuitatem conſtruxeram, quibus ad pernicioſiſſimos teterrimi draconis coercendos diſcurſus, vti fortiſſimis viris exporrectam illam aciem Angliæ à nobis toto orbe diſiunctam commiſeram; & quorum eximia ſanctitate, ceù ſpecioſiſſimis margaritis in occiduo illo tractu operimentum meum diſtinxeram; en quòd inſurrexerunt contra me, tulerunt pallium meum, muros aheneos in mœnium preſſam maceriem mutauerunt, corruperunt gloriam ſuam in idolum; & ecce vulnerata, lacera, & nuda circumquaque ærumnoſiſſimè conficior. Ea propter adiuro vos omnes, vt hunc dilectiſſimum* HYACINTHVM *inueniatis, illi templa ſtatuendo, altaria conſecrando, ſimulachra, tabulaſque pietas illi & per agros, & per vrbes, & in via, & in domo vbique locorum dedicando, illum ſtudioſius offendatis. vbi ve-*

rò ſic inueneritis; nunciatore illi per ſolemnes præcationes, per aſſidua vota, per annuas feſtiuitates, preces tum publicas, tum priuatas; per immortales & nunquàm perituros honores, illi hoc tantummodò dicitote; quia eius amore langueo, tota liqueſio. vbi enim concitatis languoribus me in eo contabeſcere atque dilabi cognouerit; confeſtim amoris rependet vices flagrantiſſimas; ab inflictis Germanorum grauiſsimis vulneribus auocabit; direptum ab Anglis ornatiſſimum pallium reſtituet; preſſum, conciſum, lacerum decus meum eius munere atque interceſſu iterum efflorebit. O ter, quaterque fœlices nos, qui incidimus in hæc tempora, in quibus glorioſiſsimum HYACINTHVM vbique terrarum licet adinuenire; qui nonniſi ex ſingulari ſupremi numinis conceſsione, hac luce ſaluberrima toti mundo perfruimur. Direptiones illæ, quę per vniuerſam Galliam, omnemque Germaniam paſsim ſuſtinentur, rapinę, flagitia, impietates ciuium cędes, vrbium depopulationes, vaſtationes agrorum; percrepitantes illi ſtrepitus armorum, quibus apoſtatæ flagitioſiſsimi nixi futilibus, commentitijſque ſuis inuentis Apoſtolicum dogma conantur demoliri; ſunt quidem de ſe mala, dictu grauia, perpeſſu longè difficilia, non inficior, non eſt tamen, quòd ea perhorreſcamus, quòd formidemus. Mitto, quòd id ſit peculiare rebus omnibus, quas citrà diffinitos perfectionum limites Altiſſimus ille Deus conſtituit; quòd ſi ſtatum cuique finem, vel citius apprehendere, vel in illo ſe quaſi vincere conentur, ſtatim tabeant, & concidant neceſſe eſt: vt experimur quotidiè non modò in pueris illis, qui præter ætatem graues, conſulti, moribus atquè doctrina conſpicui in animis hominum plurimum excitant admirationis; adoleſcentes enim ſtatim marceſcunt, & quaſi ſenſim prima illa compages euaneſcat; euadunt hebetes, tardi, cæteris quoquè ineptiores: in adultis quoquè & iam effectis viris, ſi quis inſuetam viuendi rationem actutùm ſibi nanciſcatur, eum præſagimus vel citò moriturum, vel futurum exindè deteriorem, vt hinc oſcitent rudes & vulgares Malè viuo, vt viuam: ſed etiam in regnis alijſquè publicis adminiſtrationibus perſæpè id cernimus euenire. Magnum illum Macedonem (vt interim alia prætereamus) noviſtis omnes, quòd eodem ferè tempore & homo, & hominum domitor effectus; cum annum trigeſimum ſecundum natus totum orbem iam concurſaſſet; & quacunquè ſibi patebat iter, dominij fines acerbè, & pręproperè nimis adpoſuiſſet, id tantum effeciſſe, vt non modo prodigioſum imperium, quod & extemplò exortũ, atq; ad maximum dignitatis culmen euectum fuerat, & cas deſiderabat leges atquè ſanctiones, quæ regnorum diuturnitatem parturiunt, confeſtim excideret ipſa luce functo; ſed & opulentiſſimum illud, quod à maioribus acceperat, Macedoniæ regnum corrueret alienigenarum ditioni perpetuò mancipandum. ita quoquè pernicioſæ iſtæ factiones hæreticorum, quæ in media luce offendunt, & prudentes, ſcienteſque ruunt ad interitum voluntarium; cum à præclariſſimis

illis

*illis inſtitutis ſint penitus auocatæ, quibus omnis dignitas, & gloria comparatur; dum oblatrantes Romanæ veritati apertum bellum indicunt, nefariaquè regna, & in Germania, & in Gallis adnituntur ſibi confirmare; ſtruunt profectò ſibi ipſis ſua excidia, parantq; luctuoſiſſimum euentum. hoc inquam dimittamus; arduũ enim & valdè laborioſum foret in medijs bellorum procellis, inter incendia, rapinas, atquè flagitia quietem, pacem, ſecuramque tranquillitatem polliceri. & eò magis, quòd cum citrà oẽm ambiguitatem D. O M. ob noſtra delicta pœnas haſce graues & acerbas, à nobis credamus expetijſſe; profectò impudentiſſimũ eſſet ita illas exiſtimare, ac ſi modũ & finẽ eis ex animi noſtri ſententia præſcriberemus. Præſtò mihi ſuppetit alia, & quidẽ preſtantior cauſa, qua tps iſtud poſthæc non luctuoſiſſimum, non triſte, ſed fœliciſſimum, ſed fortunatiſſimum nuncupem. In repetitis cœlorum circumlationibus, dum quotannis Sol priori ſuperato certamine in primo vere noui curſus auſpicatur initia; videmus tum primum procul arceri glacies, frigora, liuentes illas nebulas, quæ brumam impotentem perpetuis tenebris circumfundunt; Aquilonis raucos illas mugitus, quibus obrigeſcunt ipſa quoq; præcordia; gelidaſque illas pruinas, quib. cana hyems horret tantopere; omnia ſimul procul abigi, fundituſque deleri conſpicimus. miteſcit tunc temporis aer, & leni flante Zephiro præteritis rigoribus enectæ plantæ atque ſtirpes egerminant: ſerpentum genus omne ex horrendis ſpecubus prodeuntes ſquammeum illud aſperrimum contegmen exuti, fului & cærulei luxuriantes repunt, ac ſi cupidine ingenti huius nouę lucis exæſtuent: ex ſilueſtribus cetera omnia peroptato hoc ſplendore pellecti de remotiſſimis latebris, denſiſſimiſque nemoribus migrant, & generis ferociam oblita placidiſſimos amores & accipiunt, & reddunt non inſuauiores. Nos ipſi demùm (vt hinc omnia complectar) nos ipſi tantum emolumenti prima hac anni temperie percipimus, ægritudines, curæ, aliaquè, quæ nos mirum in modum conficiunt, primoribus hiſce ſplendoribus tanta cum excellentia radicitus depelluntur, vt repueraſcere atque ex toto reuiuiſcere videamur: quòd ſi hyacinthus præclariſſimum illud ornamentum eſt ſortitus, vt exiſtat cœli conſors, eoque & rutilante, ipſe quoquę gratior & ſplendidior euadat; & nubibus obducto, emarceſcat & obumbretur; quarè ad huius diuini Prædicatoris, qui & re, et nomine eſt ſpecioſiſſimus* HYACINTHVS, *iteratos, innouatoſque fulgores hæc eadem modò non operiemur? Hic eſt fœliciſſimus ille Sol hominum Pap. ornatiſſimi, in quo tantorum diſſidiorum turbulentiſſimum mare iamiam quieſcet, tot bellorum murmura concident, claraque & inſperata pacis tranquillitas oborietur. cuius innouatis aſpectibus omnium iniquitatum aſperrimæ vetuſtates oblitterabuntur, eiuſque regimini cuncta conrenouata primæui ſui ſplendores exornabunt. Hic placidiſſimus ille Fauonius, qui cum flare occeperit, hæreſum triſtia nubila propellet, ſedabitque atque faciet obmuteſcere ſcelerum fræta procelloſiſſima. qui tanto*

*mira-*

*miraculorum molimine vniuerſum orbem iam concurſat, vt vbique terrarum Chriſtianum nomen inſonet, atque è frigidiſſima pectorum humanorum ſpecu diuini ardoris ignes exiliant. Hic ille fidiſſimus portus, qui periclitantium Chriſtianorum miſeratione commotus à longè protendit ſua uexilla, atque vt fluctuantes & naufragi ad eum reſipiſcentes proram conuertamus, vehementer inclamat. Hic dilectus ille totus deſiderabilis, qui preſſam, laceram, vulneratam, & grauiter deprædatam dilectam Eccleſiam vlterius angi non patietur; at illi diuinam opem præſtabit, eam reficiet, alligabit eius vulnera, ſublatum decus reſtituet, illi ſuppeditabit omnia, omnia ſufficiet. Hæc illa præſtantiſſima hyacinthus cum precioſiſſimis Margaritis conferenda; quam cum inuenerimus, omnia noſtra vendere iubemur, vt illam nobis comparemus. & ecce inter difficillimas ſyrtes coniecti quòd eam inuenimus, quæ nos ab imminentibus iacturis ſubducet, in aduerſis magni animi, in proſperis temperati nos efficiet; famelicis famem tollet, ſitientibus ſitim explebit, omnibus quodcunque petierint impetrando; tandem bonis omnibus & gratijs vniuerſis nos cumulabit. HYACINTHVS admirationum poſt hæc appelletur hæc precioſiſſima gemma, quæ tot admiranda molietur, quæ omnes alij (aliquos excipiam pro reuerentia) dimiſerunt intentata. validiſsimum hoſtem generis humani cum ingentibus copijs, numeroſoque exercitu ærumnoſiſsimè profligabit, imperio, quod in nos exercet, mulctabit; mortem, quæ hucuſque maximæ fuit poteſtatis, expugnabit atque depopulabitur; grauiſsimos morbos, atque illas pernicioſiſsimas lues, quæ viuos nos abſorbebant, funditus demolietur; portas tartareas occludet, cæleſtes illas beatas patefaciet; ære alieno obſtricti cum ſoluendo eſſe non poſſimus, creditorem noſtrum ſummũ Deum, & ſuis plurimis meritis, & iugi interceſsione nobis propitiari contendet. Eſt inter vos, qui neſciat HYACINTHVM talibus conſueſſe? attendat ille. quis cadentẽ Poloniam erexit? perſæpè periclitanti opem tulit? & nè pernicioſiſsimis illis ſcæleribus, quæ per confinia regna ſemper graſſata ſunt, funditus obrueretur, prò ea certamen ſuſcepit? quis teterrimum draconem, qui regnum illud continuè pernicioſiſsimis diſcurſibus inuadebat, transfixit? quis inſanos cupiditatum impetus compreſsit, non mòdò in Sarmatum, verùm in totius generis humani perniciem conſpirantes, atque conflatos? quis labaſcentem religionem ijs in gentibus confirmauit, & erexit? quis tepentem pietatem ad maximum vſque feruorem accendit? quis grauiſsimas illas ægritudines, quibus humana ſagacitas neſcit occurrere, per vniuerſam eam regionem hucuſque tanta celeritate confecit? quis ciuiles illius gentis motus, populorum diſcordes animos, inimicitiarum turbulentiſsimos fluctus ſedauit? Nonnè munificentiſsimus, atq; in omni genere officij maximè omnium diligentiſsimus HYACINTHVS? Venerunt flumina bellorum; flauerunt venti hereſum, impegerunt in Poloniam; nec tamen cecidit, eò quod eſſet fundata suprà ſolidiſſimum HYACINTVM, qui in quodcunque malum oſfen-*

*ſcendiſſet, ſummo quodam ſtudio compulſus accurrebat, atque ſuis efficaciſſimis precibus apud D.O.M. & ingentibus, aſſiduiſque miraculis oppreſſam leuabat, ipſamque quodammodo ſic videbatur conſolari. Ingentia hæc diſcrimina, quæ te circumſident, atque hos infenſiſſimos hoſtes; qui omni ſua cura moliuntur tibi ſupremam calamitatem, nè pertimeſcas ò patria ſedes, quia ecce ego tecum ſum, te teneo, nec dimittam, donec introducam te in domum cœli, in tabernaculum Dei Iacob. O fœlix Polonia, quæ non modo ad glorioſiſſimi huius* HYACINTHI *vitam, dicta, facta, cogitata, optata, lachrymas, ieiunia, ſacrificia, orationes, omnia profectò diuina: atque captum humanum exſuperantia teſtis affuiſti; ſed etiam eum protectorem, atque Diuum tutellarem es conſecuta, qui te obſeſſam ſeruet ab interitu, labantem ſuſtineat, atque tuam incolumitatem perpetuò ſibi defendendam ſuſcipiat. Et ſi à diuino heroe, qui res maximas cæleſtibus magis auxilijs, quam ope naturæ præſtare conſueuerit, nonniſi diuinè poteſt quiſpiam erudiri, ò iterum atque tertiò fęliciſſima, quam ſanctiſſimus iſte* HYACINTVHS *educauit, qui ſanctitatis decus, diaboli terror & infortunium, carnis domitor, peccatorum vindex ſeueriſſimus, ornamentum pacis, egenorum perfugium, manſuetudinis, caſtitatis, &, nè infinita proſequar, omnium præſtantiſsimarum virtutum cum ſit aſſertor perpetuus, & te ſoluit ab hoſte truci, & ad maximum ſanctitatis culmen inſtruxit & erudiuit. Pluribus nonadnitar quod exiſtas fęliciſsima, ſed quod huic tantæ felicitati omnis gēs atq; natio libentiſsimè concedat; quo maxime poſsũ, ſtudio cõtendã. Ignoſcite quæſo Pap. ornatiſsimi, ſi vobis moleſtior videar, quã me neceſſariò futurum intelligo; & ſi humanitas illa veſtra in audiendo perliberalis infantiſsimum ſermonem hucuſque ſubleuauit, contendite quæſo, vt patientia me tantum adiuuet, vt ad portus vndè ſolui, vbi primùm reducar. Cum enim ita natura comparatum ſit rebus omnibus, quæ in toto terrarum orbe conſpiciuntur; vt cum ab infirmiori principio vnaquæque deducatur, ad ſublimiorem quendam melioris bonitatis euentum, quam ſit is, quem in ſua procreatione traduxerunt, temporis acceſſu pro ſingularum naturali congruentia properent, atque contendant; cuius prouinciæ aut regni plurimùm adaucta fœlicitas cum hac florentiſsima Poloniæ fortuna poterit conferri? Peroptima fortuna vſi ſunt primi illi Aſſyrij, quorum imperium à patre Belo tenuiſsimis initijs exortum, ſub Nino filio totum vniuerſum occupauit. præclarè etiam cum Mædis actum eſt, quorum regna eum primus Arbaces inſtituiſſet, ita ex animo ſibi omnia ſucceſſerunt, vt totum Orientem ſuis legibus ſubactum ampliſsimo iure tractauerint. Macedones quoque Perſæ, atque Romani præclariſsimo hoc euentu ita redundarunt, vt nihil, quod ad imperij dignitatem attineret, illis exoptandum ſupereſſe videretur. Non ſunt ea tamen Pap. ornatiſsimi, non ea ſunt, quæ cum hac iocundiſsima Poloniæ fęlicitate conferantur. Nonnè & plantæ, ſtirpes, atquè eius generis vegetabilia, cum tenuiſsimos ortus nanciſcantur.*

*ſcantur, ſucceſſu temporis id moliri videntur, vt & fructus ædant ſolito ſapidiores, & conſitas vires efferant ad præſtantiorem quandam efficaciam, atque vigorem? poſthæc tamen, acſi ad exitum vitæ occipiant properare, omnia deteriora, & pluſquàm mediocriter noſtro vſui inſulſa ſuppetunt. Nonnè & animata omnia, præſertim verò homines, cùm fixum quendam vitæ ſuæ gradum attigerint, citiùs, tardiùsuè pro eorum multiplici complexione, cuiuis ſeſe appulerint arti, atque negotio, omnia maiori cum facilitate tunc ex animo ſibi ſuccedunt, atquè benignior quædam ſors in omnibus illis ſuffragatur? cum tamen ſtatu illo tranſlapſo, quaſi iam peruenerint ad metam huius diei, contabeſcant: atque in dies peſſimè conficiantur. Non ſecus in regnis atque imperijs ornatiſſimi viri, quæ ex Principe, Nobilibus, atque Plebe, ceù ex corde, cerebro, atque iecore in magnum quoddam animal coaleſcunt; non eſt inuſitatum, aut nouum, ſi, cùm ab opibus ſint paratiſſima, in alienas ſedes ducant copioſiſſimos exercitus, atque rerum omnium ſummam conſequantur. Eſt hoc opulentiſſimis regnis à natura ipſa congenitum, atque vulgare, non ſecùs ac, aut homini ſutori calceos colligare, aut veredo velociſſimis curſibus concitari. Sicuti verò valde mirandum eſſet equum illius generis ſenio vehementer confectum præter occidentis naturæ vires nunquam non curſitare; ita profectò maximum foret ampliſſima hæc imperia, vbi diù floruerint, non occidere, ſed contra hoc grauiſſimum Naturæ vniuerſalis incommodum nihil penitùs fracta permanere. At vbinam eſt potentiſſimum illud Regnum Macedonum, cui centum quinquaginta populorum acceſſio facta perhibetur? Vbi quæſo ingens illa Romanorum Reſpub. iura cuius poteſtatemque ſubierunt gentes vniuerſæ? Nonnè in hanc omnium deterrimam, omnibuſque miſerandam conditionem ſunt adducta, vt vix tales extitiſſe credamus? Non ergò cum hac omnium maxima Polo iæ fœlicitate comparentur, quæ tantum abeſt, vt cadat, vt etiam in dies plurimum illi addatur, atque accedat. Non cadet, quia huic immortali* HYACINTHO *adiungitur, qui arctiſſimo neceſſitudinis vinculo illi coniunctus ad illius curam & ſollicitudinem conſtituit illam nunquàm non pertinere. excreſcet verò, atque magis ac magis ex tempore patebit illuſtrior, poſteaquàm ſicut ſumma calx annuli ob id alias eius partes excellit, quòd in ea reſideat gemma, quæ eſt totius ſphærulæ decus & ornamentum; ſic Polonia, quæ hucuſque tanquàm disiuncta quædam vrnula hunc precioſiſſimum* HYACINTHVM *aſſeruabat, modò quòd omnium Maximus Pontifex Clemens Octauus eum vti ſpecioſiſſimam gemmam orbis huius annulum vbique condecorantem gentibus vniuerſis patrocinatorem adſcripſit, (id, quod auguſtiſſimum eius Pontificatum ad æternam omnis poſteritatis memoriam iocundiſſimè conſecrabit) Polonia erit illuſtrior ea pars annuli vnde omnis noſter ornatus, atque gloria manabit. Non eſt tamen, quòd aliqua conflictemur æmulatione ornatiſſimi viri, ſi ex hoc tantum dignitatis ipſa nanciſcatur; poſtea-*

ſtea-

ſteaquàm non erit ea ſibi peculiaris, at nobiſcum tota communicabitur. mememtote quia Sol ex remotiſſimis illis orbibus in frigidiſſimos, profundiſſimosque montium ſinus, nullum longinquitatis perpeſſus impedimentum, lucis ſuæ radios ita figit, vt in eis aurum progeneret metallorum omnium præſtantiſſimum, ſicut & Sol planetarum. ita quoque glorioſiſſimum HYACINTHVM, qui eſt ſol ſanctitatis atque omnium gratiarum, licet remotiſſimam Poloniam Mortali ſuo cohoneſtet; magna tamen locorum interualla eum minimè abſterrebunt, quo minùs Sanctitatis ſuæ nitidiſſimos radios in extremas quoque orbis gentium oras defigat; poſteaquàm Sanctiſsimus Pontifex eum gentibus vniuerſis amodo Aduocatorem dedit atq; protectorem religioſis, vt vna cum beatiſſimis Confeſſoribus quotannis illi ſacra libent; ſæcularibus, vt ipſum pro turbulentiſſimorum temporum tranquillitate, iugi & deuota quadam præcentur anxietate; omnibus tandem, vt ad ipſum, vndè Chriſtianorum Reip. mille propugnacula pendent, confugiamus, ſi enim gemma Hyacinthus morbos omnes ſingulari quadam anthypatia ob id nunquàm non effugat, quòd vim infatigabilem ſit conſecuta, (valeat modò Cardanus ille, qui cùm rerum omnium vires actiuas animatrices cenſuerit, huiuſmodi præcioſiores lapillos ſenio atque interitu conficere non eſt reueritus) quare ad huius ſanctiſsimi HYACINTHI ſpei noſtræ perpetui columinis condonatum numen, nouum apud omnes non exoriatur iubilum, certior quædam gratiarum ſpes non concipiatur, inſolitique gaudiorum non erumpant modi? Gaudeat D. Dominicus, quòd HYACINTHVS ſuũ fœcundiſſimum germen, imò magis in ſcrenda vinea Prædicatorum ſtrenuus conſocius; non modò Poloniam, quo eum direxerat, ſed lætificat orbem vniuerſum. Gaudeat, quòd, qui viuens apud Polonos, Moſcouitas, conterminaſque gentes plurimum polluit, longè maiori virtute, quaſi ſublimis quidam magnes hodiè cunctos in ſui trahit deuotionem. Gaudeat ſacra hæc Prædicatorum Reſp. quòd cum HYACINTHVM nobis pepererit, in cuius ſanctitatis fulgore & Reges, & gẽtes poſthac ambulabunt. Gaudeat, & in iocundiſsimis hiſce celebritatibus beatiſsimum HYACINTHVM illi ita cõgaudentem attendat. Calciaui te HYACINTHO dilecta Hyeruſalem; aureas tuas manus impleui Hyacinthis, & ideò gentes dilexerunt te nimis. Cui nimio perfuſa gaudio reſpondeat in hęc verba. Gloria noſtra, corona capitis noſtri tu es beatiſsime Hyacinthe, in cuius nomine honorificè nimis hodiè magnificati ſumus. Gaudeant & omnes nationes, quibus noua hæc lux oriri viſa fuerit, cũ omni exultatione beatiſsimo Hyacintho hymnum nouum concinnentes. Et non modò hi, qui Chriſtiano nomine cenſentur, verùm etiam Turcæ, Arabes, Mauri in die ſolemni nobiſcum exultent, & lætentur; omnes veniant ad ſolemnitatem, vt per vniuerſum orbem ſurgant nobis montes in montes mirrhę, & colles in colles thuris, ut occupet ſalus muros noſtros, & portas noſtras laudatio; ut no-

Lib. 7. de ſubtil.

Ezech. 16.

Cant. c. 5.

*biſcum congregata omnis natio primùm Sacro huic Prędicatorum Ordini ma-
iores quas poſſumus gratias refferamus, in cuius uoto precioſiſsimam gem-
mam & corporum, & animorum noſtrorum cęleſte ſolamen conſecuti ſumus;
tum verò ornatiſsimo illi Principi, loquor Illuſtriſsimum Cardinalem Mi-
chaëlem Bonellum, qui ex hac Prædicatoria familia lectus in auguſtiſsimum
illum ordinem purpuratorum Patrum, ſicut fauori ſuo demandatam Remp.
Prædicatorum uigilantiſsimè ſemper tutatus eſt, ampliſsimiſq; officijs cumu-
lauit; ſic dum eius diligentia multis ac magnis in rebus cognita, atq; ſpectatiſ-
ſima pietate à Summo Pontifice impetrauit, ut quacunq; patent nominis Chri-
ſtiani fines Beatiſſimo Hyacintho aras, atq; templa conſecremus, vniuerſum
orbem in ſuam aduocationem viſus eſt recepiſse; atq; integerrimo Patri Hyp-
polito mariæ Beccariæ à Monte Regio Sacri Prædicatorum inſtituti Ampliſ-
ſimo Generali Magiſtro, viro vtiq; & inſigni ſanctitate, & admiranda cogni-
tione rerum omnium, tùm verò humanarum gubernatione diuina Magno, at-
que Reuerendiſſimo; cuius etiam precibus aſſiduis apud Pontificem Maximum
iocundiſsima hæc iubilea deguſtamus; ſi vtriq; parem gratiam pro eximio, at-
que ſemper commemorabili hoc beneficio retuliſse nequimus; id ſaltem à D.O.
M. illis contendamus obnixè, vt omnibus diuinis muneribus atq; donis orna-
tos non modò Prædicatorum Ordini, ſed orbi vniuerſo diù ſaluos & incolumes
conſeruet. Tu verò Beatiſsime Hyacinthe, qui receptus in numero Sanctorum
ijs, qui tuam opem implorauerint, ades ita beneuolus; ſi aliquid, pro tenuiſsi-
ma hac oratione ſum à te conſecuturus, id ſit ex opto; vt, qui vehementi, quo ti-
bi deuincor, ſtudio compulſus diuina illa tua ornamenta, quibus ab ineunte
ętate copioſiſsimè cumulatus fuiſti, fracto, conciſoq; hoc ſermone ſum aggreſ-
ſus; vel ex hoc à te veniam promerear, quòd noſter hic animus ea quoq; non
refugit, licèt ineptum & inefficax ſit id appetitionis genus, quæ non modo im-
becillum orationis humanæ pondus nequit examinare, ſed ne quidem poteſt
ingenua mēs complecti aut ſępire. Horum uero Papienſium ornatiſſimorum,
qui me de tuis laudibus tam amicè atq; humaniter exaudierunt, reſpice
propēſiſſima vota; & quos præ ſolemnitatis tuæ gaudio dilabi cer-
nis, illis ita patrocinari dignare; vt profligatis quęcunque
nos petunt aduerſis, in perpetuas atque beatiſsimas
illas ęternitates lętos excipias. Interim ve-
ro Hyacinthi tempora noſtra circumdent,
Hyacinthi manus noſtras exornent,
Hyacinthus ſit indumentum
cordis noſtri, Hyacin-
this omnia reſo-
nent.
Amen.*

Sco 2. ſen. d. 6. q. 1.

A R.P.

# A R. P. F. CAMILLI BALLIANI MEDIOLANENSIS,

Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magiſtri.

## ORATIO IN LAVDEM S. HYACINTHI CONFESSORIS.

Mediolani in Templo D. Euſtorgij xvij. Calendas Septembris, die D. HYACINTHO dicato habita, Anno 1594.

*MAXIME, cupiebam Viri Mediolanenſes ex eo tempore quo D. HYACINTHVM Confeſſorem vnum ex antiquis Dominicanæ familiæ heroibus a CLEMENTE VIII. Pontifice Maximo inter Sanctos relatum apud nos fama diuulgauit, quædam de eius laudibus vobis ex hoc loco commemorare. Verum vehementis huius deſiderij mei vis erumpere quidem tunc non potuit, quod ſuperiores noſtri huius glorioſi viri primas laudationes potius ab alijs aliorum ordinum oratoribus, ac modeſte quidem, ſapienterq; quam a ſuis fieri voluerũt. Expectabam itaque, vt mihi opportunitas quædam obtingeret aliquando, vt eum non quidem pro meritis laudarem, hoc enim nulla me oratione conſequi poſſe certo ſcio, ſed vt eius laudes pro virium mearum imbecillitate adumbrarem. Quod vero ſummopere exoptabam, hoc mihi de Diuino tandem munere accidit. Cum enim Summi Pontificis iuſſu diem hunc in D. Hyacinthi honorem celebrare debeamus, de ipſius ſingularibus ornamentis diutius ſilere meus nec fert, nec patitur animus; præſertim cum cõſpectus hic veſter multo frequentior, gratior, ampliorq; quam antea me ad dicendum inuitet. Atq; vtinam viri Mediolan. quemadmodum flumen ſaxorum aggerumve obiectu diu retentum, ſi forte tandem ea quæ obſtabant, aut perrupta, aut deiecta, aut ſublata fuerint, maiore impetu, ac redundantia decurrere conſueuit; ita mea hæc oratio adhuc retardata, vehementiore ſpiritu, maioreque, & rerum, & verborum copia efflueret, ut de vita integerrime acta, de virtutibus eximijs, de inſignibus miraculis, de peroptata huius præſtantiſs. viri inter cœlites adſcriptione, ſi nõ eleganti oratione, accõmodato tamen ſermone poſſem dicere. Hoc uero ſi mihi tuis SS. Hyacinthe meritis, pergratiſque, ac præpotentibus apud Deũ precib. aderis, hodierno die tuo nomini dicato me effecturũ cõfido.*

*Summus rerum omnium conditor, & ſapientiſſimus moderator D. O. M. proſpiciens quantum D. Dominici ordo Eccleſiæ Catholicæ Ieſu Chriſti filij ſui ſponſæ, doctrina, ſanctitate, miraculis, laboribus, vigilijs, hortationibus, conſilijs, precibus, prædicationeque Euangelica eſſet profuturus, illum ſtatim ipſomet etiam D. Dominico adhuc apud homines degente, per varias orbis terrarum regiones diſſeminare, ac propagare voluit; & ita celeriter id fecit, ut breui temporis ſpatio in Gallia, Hiſpania, Italia, Germania, Britannia, Pannonia, Sarmatia, plura ſint, eaque ampliſſima huius ſacri ordinis cœnobia conſtituta. Ex præcipuis autem viris quos Deus ad tantum munus delegerat vnus fuit ſanctus hic Hyacinthus cui iuſti, ac debiti honores ab Eccleſia in vniuerſo terrarum orbe hodie haberi incipiunt. Qui quemadmodum ex omni parte ſit, habeaturque conſpicuus, ab eius præclaris natalibus noſtra in primis exordietur oratio. Etenim negare non poſſumus homini maximum afferre decus generis nobilitatem, ſi virtutum ſplendor acceſſerit. Quemadmodum enim nulla veſtis eſt tam laborata, quæ ſi auro, pretioſiſque gemmis intexta fuerit non magnificentior appareat; ita nullus eſt virtutum ornamento tam ſpectabilis, quem non generis celſitas reddat clariorem. Hancque idcirco Hyacintho noſtro abeſſe noluit naturę auctor Deus Optimus: ne quidquam ad eius felicitatem deſiderari poſſet, ſed ex omni parte beatus videretur. In nobiliſſimo itaque Poloniæ regno ex perilluſtribus, ut dicunt Odrouons Comitibus, viris Chriſtianæ fidei ſtudioſiſſimis natus eſt Hyacinthus, atque a nobiliſſimis parentibus optime inſtitutus. Qui ab ipſo ineuntis ætatis principio perdifficile illud, ac multo cum labore, & ſudore ad uirtutem directum iter ingreſſus eſt, eo animi robore, eaque indole continentiæ, ut omnibus voluptatum blandimentis reiectis, & contemptis nihil in uita expetendum, & magnifaciendum duxerit, niſi quod eſſet cum laude, & cum dignitate coniunctum. Atque iam tum in omnibus vitæ partibus moderatus, ac temperatus ad maximarum rerum cognitionem cura omni, ſtudioq; rapiebatur. Quis vero non expectaſſet ex illa herbeſcentis, & iam ſe paulatim exerentis ingenij teneritate magnas aliquando ſanctitatis, ac ſapientiæ fruges exituras? Nec profecto optimam hanc, quam de ipſo optimus quiſque exiſtimationem concepiſſet; feſellit, ſiquidem in eo, ita cum ætate creuit virtutum cumulus, ac bonarum litterarum eruditio, ut ab Iuone patruo Cracouiæ Epiſcopo uiro non magis doctrina, quam probitate inſigni, canonicatus titulo, ut appellant, in principe Eccleſia iure optimo ſit exornatus. Quod ſane munus, & ſi ita digne, laudabiliterque obibat; ut nihil quod omnes eius partes poſtulare exiſtimabat, prætermitteret, tamen in ſacrarum litterarum, & iuris Pōtificij ſtudiū diligentiſſime incumbebat. Plurimum lætabatur ſanctus ille Antiſtes ob genitum à fratre uirum tam præclarum, tam eximium, quem præuidens tanquam lucernam ardentem in templo Dei eſſe futurum, illi ſanctitatis, & ſapientiæ ſplendorem alijs impertiendi occaſionem*

*præ-*

*præbuit; nam eum publicis in functionibus ad Epiſcopalem curiam ſpectantibus occupauit. Cumque idem pius antiſtes Romam ad ſummum Pontificem Honorium Tertium eſſet iturus, inter cæteros eius profectionis comites Hyacinthum habere uoluit. Eo tempore ſanctiſſimi Patriarchæ Dominici nomen ob uitę ſanctitatem, prædicationis feruorem, morum dignitatem, miraculorum famam Romæ iam celeberrimum habebatur. Hanc ob rem cum ſanctus Pręſul Iuo, eiuſque fratris filius Hyacinthus Romæ verſati eſſent aliquandiu ipſis maxima cum D. Dominico interceſſit familiaritas: & ita erga eum, eiuſque ordinis uiros Iuo affectus eſt, vt ſtatim flagrare cœperit aliquot eius inſtituti viros ad ſuas mitti Sarmatię regiones. Conſilium cum D. Dominico communicat, illi animum ſuum hac de re ſignificat, eumque enixe precatur, ut quoſdam ex ſuo ordine in Poloniam, vt dicitur, proficiſci iubeat, qui gentem illam verbis, & exemplis in vera Chriſtianæ religionis pietate continerent. Tunc profecto pijs Epiſcopi uotis ſanctus pater libentiſſime ſatisfeciſſet, ſi quos poſſet mittere paratos habuiſſet. Verum cum ſe excuſaret nullos ſe habere in regione illa, linguaque uerſatos: Hyacinthus diuino afflatu incitatus, promptiſſimum ſe exhibuit, ſupplexque a ſancto Dominico petijt, vt ſe ipſum in ſuum ordinem reciperet. Annuit pius pater ei vltro ſe offerenti, & eum religioſo habitu induit, maximoque cum patrui gaudio in Prędicatorum familiam adſciuit. Sed quid agis Hyacinthe? Nonne vides te diuitijs paupertatem religioſam; honorum magnitudini uitæ abiectionem; voluptatibus corporis labores; ampliſſimis principum ædibus, anguſtiſſimum cubiculum præponere? Ecto diceret Hyacinthus. Attamen nonne humani generis Saluatoris, qui iſthæc vniuerſa deſpiciunt, repudiant, abijciunt, meliora certe bona pollicetur, dicens. Centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis? Receptus ergo in diſciplinam, Deoque in Prædicatorum ordine conſecratus, eos fecit pgreſſus in pietate erga Deũ, charitate erga proximũ cordis humilitate, animi candore, rerũ terrenarũ contẽptu, cęleſtiũ contẽplatione, orationis aſſiduitate, rerum arduarum, ac difficilium voluntaria perpeſſione, vt breui temporis interuallo, is ſit exiſtimatus, qui optimus eſſet magiſter ad proſequendum iam cœptum a ſancto Patriarcha inſtitutum. Quam ob rem memor D. Dominicus iuſtæ petitionis, honeſtique deſiderij Iuonis Epiſcopi, cupiduſque propagationis ſui ordinis iam ad animarum ſalutem conſtituti. Hyacinthum quibuſdam cum ſocijs in Poloniam mittere conſtituit; vt ij populos Septentrionalium regionum incolas uerbo, & exemplo excolerent, in eorumque cordibus ignem diuini amoris iam fere extinctum iterum excitarent. Inſtructus itaque Hyacinthus omnibus rebus ad Chriſtianorum ſalutem opportunis, ipſe cum ſocijs ad ſancti patris pedes accidens, obtentaque ab ipſo in nomine ſanctiſsimæ Trinitatis benedictione, ad Poloniam profectionem direxit. At quamuis maximo ad patriam quamcelerrime perueniendi deſiderio angeretur; in via tamen ſa-*

*crum*

*crum prædicationis officium nunquam intermittebat. Et ut ſilentio tranſeam multa, quæ pro animarum commodis, ac religionis decore in itinere maxima cum laude effecit, Cracouiam, quæ vrbs regni Polonici princeps eſt, demum appulit. Vbi a religioſiſſimo clero, ab optimatibus ciuitatis, ab vniuerſoque populo eſt honorificentiſſime, & maxima cum lætitia exceptus. Et ſane de eius reditu patria iure optimo lętata eſt. Etenim reuerſus erat, ut eam ſacrarum concionum luce illuminaret, cibo verbi Dei aleret, miraculis illuſtraret, doctrina erudiret, precibus adiuuaret, exemplis ad virtutes inuitaret: reuerſus erat, ut in ea afflictorum miſerias ſolaretur; errantes ad veritatis ſemitam reduceret, peccantes diuini iudicij metu a ſceleribus reuocaret, animas periclitantes tueretur, & confirmaret. Quę ſane omnia pietatis officia ita egregie, & tanta tũ omniũ hominũ admiratione, utilitate, & fructu exequebatur; ut homo maximę exiſtimationis in toto Polonię regno celerrime habitus ſit. Hanc ob cām uideo viri præſtantiſſimi, & q recte ſentire uoluerint uidere pariter poſſunt, me huius probatiſſimi uiri longos oēs, laudabileſq; vitæ progreſſus non poſſe hoc breui unius horæ tempore percenſere. Video eximias, innumeraſque eius virtutes pauciſſimis verbis a nemine poſſe explicari. Et ſi enim uobis mea oratione propoſuero fuiſſe Hyacinthum mirabilem in ieiunijs, mirabilem in uigilijs, mirabilem in caſtitate, mirabilem in doctrina, mirabilem in proprij corporis afflictatione, mirabilem in laboribus, quos pro patria, pro finitimarum regionum ſalute, pro fidei Catholicę amplificatione perpeſſus eſt; mirabilem denique in omnibus uirtutibus, quę hominem in hac vita Deo cariſſimum, & poſt exceſſum e uita fęliciſſimum reddere poſſunt; tamen de huius ſanctiſſimi viri laudibus me ſemper parciſſime dixiſſe credam, & affirmabo. Fuit namque ita ſingularis in ſingulis uirtutibus quibus excelluit, ut earum unicuique non una ſufficeret oratio. Poſſem quoque Viri Mediol. ex ſolo eius nomine, quod illi nõ perperam, ſed diuino conſilio impoſitum eſſe opinor, non pauca ad eum efferendum argumenta depromere. Hyacinthi enim nomen nedum apud Poetas, ac rerum naturalium diligentiſſimos inueſtigatores, ſed etiam apud ſacros ſcriptores celeberrimum ſemper fuit: & apud eos aliquando puerum, nonnunquam florem, interdum gemmam ſignificare inuenimus. De Hyacintho vero apud poetas fabula in hunc modum decantatur. Dicunt enim illum fuiſſe puerum ab Apolline unice dilectum, & ab eo incaute ictu diſci ad mortem vulneratum, quem cum ſanare nõ poſſet, in florem ſui nominis commutauit, interiectionemque dolentis ueluti teſtimonium doloris inſcriptam habere tradunt. Ex quo ſane commento, ſi ſacram intelligentiam elicere, eamque D. Hyacintho accommodare tentarem; nihil nouũ, nihil a ſacris Teologis damnatum, nihil a priſcis ſanctæ Eccleſiæ doctoribus vetitum, nihil apud recentiores ſacros oratores obſoletum efficere me crederem. Dicam itaque paucis Apollinem poſſe nobis Ieſum Chriſtum*

*quo-*

quodammodo repræſentare. Apollo enim ſi nominis declarationem ſpectemus, mirabilis exponitur. At cui id appoſitè magis conuenire poteſt, quam Chriſto, de quo ab Eſaia Propheta dictũ eſt. Vocabitur nomen eius admirabilis? Apollinem primum medicinæ ad corpora ſananda inuentorem fuiſſe aſſeuerant At Chriſtus non modo corporum, ſed animarum medicus a Dauide Propheta uocatur dicente, Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas. Apollinem Muſarum ductorem, ac cuſtodem effingunt, Chriſtus omnium virtutum diſtributor eſt, atque cuſtos. Puer ab Apolline ardẽter dilectus nobis beatum refert Hyacinthum, qui ob animi munditiam, ueritatis amorem, honorum deſpicientiam, benignitatem, liberalitatem, placabilitatem, rite puer appellatur, iſque a Chriſto has, aliasque ob virtutes eſt ſummopere dilectus, ſed ictu diſci interfectus. Quid autem per diſcum, qui rotunda moles eſt ſaxea, uel ferrea, niſi Dei charitatem intelligemus? Verum ſi charitas patiens eſt, ſi charitas benigna eſt, ſi charitas ſalus eſt, & vita animarum, ſi ubi non uiget charitas, omnia mortua eſſe oportet; quanam ratione charitatem homines vulnerare, & interficere dicemus? Ne miremini viri ornatiſsimi, nonne ſcriptum eſt apud Salomonem in Canticis. Fortis eſt ut mors dilectio? Ecce Spiritus ſanctus dilectionem morti cõparat. Huius uero elegantiſsimæ, & accommodatiſſimæ collationis uis, in hoc eſt conſtituta; vt quemadmodum mortem nullus vincere, nullusque victoriam de illa reportare unquam potuit, ſed ipſa omnia vincit, & ſuperat, ita dilectio Dei ob maximam qua prædita eſt fortitudinem, efficit, ut animus in quo illa reſidet, uincat mundum, conculcet Dæmonem, ſibique carnem ſubijciat. Mors præterea uiſum, auditum, omnesque corporeos ſenſus ab homine auferti ita charitas Dei hominis claudit oculos ne videant uanitatem, aures ne ad fabulas conuertantur, reliquoſque ſenſus ita ſubigit imperio; ut quamuis uiui ſint, tamen tanquam ſi mortui eſſent appareant; hominem denique uti cadauer quoddam reddit. Sicut enim cadauer quidquid in illud fiat facienti non obſiſtit, non repugnat, non aduerſatur, ita qui Dei tactus eſt charitate, tanquam mortuus perfecta cum obedientia ſeſe omnino diuinæ ſubmittit uoluntati. Audite D. Paulum Apoſtolum, qui cum eſſet Ieſu Chriſti, eiuſque crucis amore ſuauiter vulneratus, ſe iam non viuere teſtatur dicens. Viuo ego iam non ego, uiuit uero in me Chriſtus. Hunc etiam in modum D. Hyacinthum intelligo interfectum, & a Chriſto in florem mutatum, ut homines ſui odoris fragrantia alliceret, coloris pulchritudine recrearet, admirabili uirtute ſanaret. Quos enim ad pietatem ſuauiſſimus hic Hyacinthus ſuarum uirtutum odore non attraxit? Quos ſuorum uerborum dulcedine, exemplorumque pulchritudine non exhilarauit? Quis unquam infirmus eius ſe precibus omni medicamento potentioribus commiſit, qui non ſit ad priſtinam ſanitatem reſtitutus? In hoc denique Hyacintho dolentis nota uere de-

ſcri-

*ſcripta remanſit; dolebat enim aſſlictorum calamitates, hominum peccata: animarum perditionē. Dicebam quoque apud eos, qui rerum naturalium occultas uires rimantur, Hyacinthum gemmam maximæ uirtutis ſignificare. At nulla gemma tam micans, tam nobilis, tam pretioſa, cui Hyacinthus noſter ſua uirtute non excellat. Dicant ipſi Hyacinthum gemmam ex hominum cordibus pellere triſtitiam: dicam ego Hyacinthum ſanctum corda eorum, qui ei addicti ſunt maxima iucunditate replere. Si Hyacinthus gemma ad corporum membra confirmanda virtutem habet: Hyacinthus ſanctus non modo membra corporum languida corroborat, at membra etiam a corporibus abſciſſa redintegrat, & ad priſtinum robur reducit. Ille corporis ſaporem prouocat; hic mentis quietem inducit. Ille mortifera a corporibus uenena remouet, & expellit: hic animas lethalibus criminib. uenenatas ſuis lachrymis, precibus, & monitis ſanat. Ille ſerpentes terret, & in fugam conuertit hic Dæmones de humanis corporibus exire cogit. Illum hanc proprietatem habere dicunt, ut feminam quæ conceperit ſi eum gerat fœtum immaturum emittere compellat: hic mulieres pregnantes a periculo abortionis conſeruat. O gemmam nobiliſſimam, o florem pulcherrimum, ò virum fœliciſsimum. Illud vnum, quod maxime facit ad eius laudes prædicandas nolo ſilentio pręterire, quod inter cęteras virtutes, quę in Hyacintho effloruerunt, eximia fuit. & maxime miranda, erga beatiſsimam Virginem Mariam religio. Cui quemadmodum Hyacinthus fuit addictus, ita illa viciſsim cum Hyacintho pia fuit familiaritate couiuncta. Quem vti dum viueret, vt notum eſt, ſuo ſępius iucundiſsimo aſpectu recreauit, ſuauiſsimiſque verbis lætificauit, ita cum eſſet exiguum huius vitæ mortalis curriculum quod ſibi Deus naturæ parens circumſcripſerat exacturus, ipſi nec auxilio, nec fauore defuit, at inter alias quas illi gratias obtinuit, hanc etiam non minimam à filio impetrauit; vt Hyacinthus de die ſuæ mortis certior fieret: voluitque vt eo die animum incorruptum Deo ille redderet, quo ipſam Ieſus Chriſtus eius filius ſuper omnes Angelorum cœtus collocandam, & in æternum patris aſpectum ducendam in cœlum euexit. Omitto quæ circa tempus e vita migrationis miracula apparitiones, viſiones, & alia ſigna contigerunt, quæ eius ſanctitatem teſtarentur. O virum excelſum, quem Dei mater, immo ipſemet ſummi patris filius tam mirificè cohoneſtauit, illuſtrauitque. Et quę tanta dicendi vbertas inuenitur, quę huius glorioſiſsimi viri laudes, non modo ęquare, ſed eas ne adumbrare quidem poſsit. Vellem profecto ſanctiſsime Hyacinthe ad tuas laudes magis, ac magis illuſtrandas in immenſum tuorum miraculorum pelagus inuehi: ſed vereor ne per difficile ſit mihi portum aliquem in quem ſe demum oratio mea recipiat inuenire. Sed age, nonnihil eſt audendum; & ſi enim vniuerſum mare innumerabilium D. Hyacinthi miraculorum enauigare nulla poſsit oratio, eorum tamen hodie partem aliquam*

per-

percurrere conſtitui. Ex innumeris quę viuens D. Hyacinthus miracula effecit, duo viri Mediol. maximè admiranda, ac propterea memoratu digniſſima legimus, quę ſi non maiorem, at certe parem eximijs Prophetis illum reddiderunt, quę ſane vos vt attentis auribus accipiatis obſecro. Dum quodam tempore prędicationis gratia cum tribus à ſe delectis comitibus Viſſogrodium inſigne Maſouię oppidum peteret; ad Viſtulam flumen quidem magnum, ac rapidiſsimum peruenit, & ita illud ob niuē, et glaciem liquefactam excreuiſſe reperit, vt nec ponte, nec naui, nec alio humano ſubſidio tranſiri poſſet. Et quis non extimuiſſet flumen incitatiſſimo curſu profluens? Quis quęſo a flumine tam turgido, tamque furenti non ſtatim terga vertiſſet? Quis de traiectione non omnino diffiſus eſſet, deſperaſſetque? Hyacinthus non expauit, de reuerſione conſilium non cępit, tranſmiſsionem ſperare non deſijt; ſed memor illius ſe eſſe diſcipulum, quem turba fluctibus imperantem mirabatur dicens. Qualis eſt hic, quia, & venti, & mare obediunt ei? memor etiam eorum, quę credentibus hominum Saluator promiſerat, ac receperat ſanctiſsime ſe præſtiturum dicens. Qui credit in me opera quę ego facio, & ipſe faciet; & maiora horum faciet. Et alias. Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic tranſi hinc illuc, & tranſibit, in ſpem erectus, ad Deum tali ſe forte, vt opinor oratione conuertit. Tu domine qui virga Moyſis ſerui tui Erythreum mare exſiccaſti, vt Pharaonis tyrannidem fugientibus, Iſraelitis viam aperires; quique Iordanis impetum à Ioſue coerceri, ac reprimi voluiſti; & Eliæ, atque Eliſeo Prophetis conceſſiſti, vt pallio pro nauigio ad eundem Iordanem tranſeundum vterentur; me quæſo de dominatu tuo, ſuper cælum, & terram, & omnia quæ cæli, & terræ ambitu continentur non dubitantem, huius fluminis vndas calcare permitte: hosque meos ſocios mecum incolumes, ad nominis tui gloriam tranſmitte. Hiſque, aut alijs huiuſmodi effuſis precibus ſalutari crucis ſigno ſe muniens, fluminis tumeſcentes fluctus conſcendit, ſocios trepidantes, ſibique diffidentes in fide diuinæ prouidentiæ confirmat, ipſis pallium explicat; eos ſe ſequi iubet; qui optimi magiſtri mandatis tandem parentes, & eius ſe pallio committentes, ſine vllo corporis periculo, ſineque vlla veſtium offenſione flumen tranſierunt. O fidem Hyacinthi admirabilem. Mirabatur olim Hebræorum antiquitas fidem illius viri, qui primus ſiccum iter ingreſſus eſt inter maris Erythrei aquas, quæ tranſeuntibus Hebræis parietum inſtar a dextra, & læua efferebantur: at longe mirabilius eſt quam ſiccum iter, furentes magni, feruentiſque fluminis vndas ſine animi hæſitatione calcare. Miraculum ſane, cum per ſe magnum, tum magnam præſeferens ſignificationem. Quod enim Hyacinthus in hoc ſęculo aquas ſuper terram decurrentes preſſerit; augurabatur eum in altero eas aquas calcaturum de quibus dictum eſt. Et aquæ omnes quæ ſuper cælos ſunt, laudent nomen domini. Quod tanta cum animi firmitate ſuper tumeſcentes fluctus ambulauerit;

*indicabat illum nulla rerum humanarum inconſtantia, & mutabilitate vn-
quam flexum iri. Nunc viri clariſſimi, aliud aggredior miraculum, cui ſi-
mile non ante, nec poſt Hyacinthum forte auditum eſt, neque vſitatum. Cle-
mentia domina cuiuſdam villæ cui nomen Koſcieliez, mulier clara gene-
re, ſed clarior morum honeſtate Hyacinthum magnis precibus inuitauit, vt
Sanctæ Margaritæ Virginis, & martyris ſacro honori intereßet. Qui
cum eſſet eiuſdem mulieris confeſſarius ire non recuſans ad dictam vil-
lam profectus eſt. Ad quam cum pridie dicti diei feſti perueniſſet, ſegetes
omnes non ventorum impetu deiectas, non pluuia ingruente proſtratas, ſed
grandine fractis calamis, & excuſſis e ſpicis frugibus prorſus profligatas in-
uenit. Ingrediente autem ſancto viro Clementiæ domum, ad ipſius illa pedes
accidit, caſum aduerſum narrat, & luget euentum, accurrit interea virorum,
ac mulierum non pauca multitudo calamitatem cum ea pariter deplorans,
cumque maximo cum fletu, & gemitu rogans, vt afflictorum miſereretur, &
fortunatis ſuis meritis, quæ apud Deum magna eſſe non dubitabant interce-
deret. Hyacinthus vt erat ad condolendum facilis, facilior ad ſuccurrendum,
cum iis miſeriam dolētibus collachrymatur, eos ad pernoctandum in orationi-
bus hortatur, vt ſe ad diuinam clementiam conuertant inuitat; dat ſe deinde
in preces effuſis lachrymis Deum optimum orādo, vt eos afflictos, & iacentes
erigat, & ſegetibus fruges reddat, quas grando perdiderat. Nocte tran-
ſacta, exortoque Sole, mirabile dictu, ſegetes omnes pulchriores, fru-
gibusque vberiores, & crebriores magis quam ante fuerant, apparue-
runt. O rem ſingularem, admirabilem, & inauditam. Legebamus olim
Ioſephum Hebræum ne Aegyptii egeſtatis tempore perirent triticum adſer-
uaſſe. Legebamus Eliam prophetam domi viduæ apud quam diuerſabatur
farinam ad illam ſuſtendandam auxiſſe. Legebamus D. Martinum Turonen-
ſem Epiſcopum ſuis orationibus obtinuiſſe ne grando cuidam pago à Seno-
nibus culto, quem quotannis vaſtare conſueuerat amplius officeret. Legeba-
mus Saluatorem noſtrum quinque panibus multiplicatis quinque millia ho-
minum uſque ad ſatietatem paviſſe. Reliquum erat ut ſegetes prope maturas
tempeſtate fractas, contritas, & fere humatas ad priſtinam pulchritudinem,
& ubertatem aliquis reſtitueret. Hoc autem de D. Hyacintho ad eius hono-
rem, ad Dei omnipotentis gloriam, ad eorum populorum alacritatem prædi-
catur. Oſtendit ſane Ioſephus prouidentiam, Elias clementiam, Martinus im-
perium; hic prouidentiam, hic clementiam, hic imperium ſimul demonſtra-
uit; & ideo Ioſepho, Elia, & Martino ſe Hyacinthus in hoc maiorem decla-
rauit. Ioſephus quidem ſpicas iam ſectas collegit, triticumque prudenter con-
didit opportuno tēpore Aegyptiis diſtribuendum; at Hyacinthus ſpicas iam
perditas reparauit. Elias farinæ auctione unius tantum viduæ neceſſitati ſuc-
currit, Hyacinthus magnam multitudinem ob fruges ſublata de vita pericli-*

*tantem*

tantem recreauit. Martinus grandinē ne ſegetibus noceret impediuit; Hyacinthus ſegetes iam grandinē crudeliter oppreſſas mirabiliter refecit; eaſque copioſius augendo ſe uerum Ieſu Chriſti Saluatoris diſcipulum demonſtrauit, qui quinque panes tanto cum mortalium ſtupore adauxit. Duo hæc tantum ex D. Hyacinthi miraculis eo libentius in medium attuli, quod huic æſtiuo tempori maxime ſint accōmodata. Iis etenim diebus, quibus Solis ardorem uehementer experimur, ipſe de fluminibus ſermo delectat. Ad loquendum uero de frugibus ipſa huius temporis conditio inuitat. Nolo maximam D. Hyacinthi miraculorum copiam hac mea oratione perſtringere; ſi enim tot linguis præditus eſſem quot illum, & uiuentem, & uita functum probatiſſima miracula effeciſſe accepimus: tamen ea omnia, non dico ornate explicare, ſed ne ſummatim quidem percenſere poſſem. Verum, & hæc quæ propoſuimus, & alia quæ poſſent commemorari, quæ conſulto, ne longior ſim prætereo, hiſtoriarum ſcriptores, monumentis ſuis commendarunt, & commendabunt æternitati. Non poſſum tamen non breuiter ex iis nonnulla commemorare. nam triginta nouem mortuos ad uitam reuocauit: quindecim abortiuos uita, & anima donauit: ſeptuagintaſex iam morituris perfectam ſanitatem reſtituit: centum triginta quattuor graui ualetudine preſſos curauit: triginta ſex magno dolore capitis affectos liberauit: uiginti duos uehementi dolore dentium afflictos ſanauit: quinquaginta oculorum doloribus cruciatis, ex quibus nonnulli cæci erant lumen reddidit: triginta tres gutturis, colli, linguæ, oris doloribus oppreſſos ad ſanitatem reduxit: tribus ſurdis auditum reſtituit: quadragintaduos pectoris, ſtomachi, & inteſtinorum doloribus languentes adiuuit: octogintatres pedum, & manuum languoribus dolentes liberauit: quadraginta octo febribus vexatos ſanos effecit: ab octo cœliacos dolores depulit: uigintinouem ex elephantico morbo eripuit: decemocto a morbo comitiali uindicauit: duobus tabe affectis ſanitatem dedit: ſex paraliticis, & membris diſſolutis uires reſtituit: duodecim aqua intercute tumeſcentes curauit: uigintitribus diuerſis vulneribus conciſis ſanitatem reddidit: duas ſteriles matronas prole donauit: trigintatribus parturientibus matronis, & in partu periclitantibus ſubuenit: quadraginta totius corporis doloribus quaſſatis opem tulit: quinquagintaquinque diuerſis caſibus agitatis ſuccurrit. nouem animalia rationis expertia debilitata, atque uitio alio affecta in priſtinum ſtatum reſtituit: trigintaocto extant viſiones, & apparitiones diuerſæ, quibus ægri, & morientes ſunt ab eo recreati, & ſubleuati: nonaginta octo Chriſtianos uariis de cauſſis afflictos non ſemel ſolum, ſed ſæpiſſime uoto facto, uoti compotes effecit. Cum itaq; tam magnus, tam præclarus, tam mirabilis Hyacinthus extiterit; cum tot ſanctitatis ſigna dederit, tot uirtutibus effulſerit, tot miracula fidiſſime teſtata ediderit; Polonorum gentes ardentiſſime optabant, ipſimet Sarmatiæ reges cupidiſſime expectabant, Dominicanaque reli-

*gio a Deo optimo maximis uotis precabatur, ut inter ſanctos Hyacinthus adſcriberetur. Egerunt quidem iam ab hinc multis annis apud Romanos Pontifices Poloniæ reges; egerunt eiuſdem regni optimates per litteras, & internuntios; egerũt denique, & rogauerũt ipſi noſtri Ordinis Patres, ut fieret hæc D. Hyacinthi inter curiæ cæleſtis ciues relatio. At quia uel eis temporibus Italia bello ardebat, uel ipſi ſummi Pontifices apud quos hoc cæptum erat negotium e uita decedebant, uel propter rei ipſius maieſtatem, ad hoc uſque tempus dilatum eſt, & CLEMENTI VIII. Pont. Maximo reſeruatũ. Qui ipſe cũ in Polonia Cardinalis, ac legatus Apoſtolicę ſedis exiſteret, oculis proprijs uidit maximam populorum frequentiam ad huius ſanctiſſimi viri ſepulchrum confluere, alios ut illi uota perſoluerent, alios vt gratias agerent, alios ut eius ſe precibus commendarent: quare ſummus Pontifex creatus; res a D. Hyacintho præclariſſime geſtas per S. R. E. Cardinales huic negotio præfectos diligentiſſime examinari iuſſit, ac demum inuocata ſæpiſſime Spiritus ſancti gratia cuius afflatu res tam inſignis erat ad optatum finem perducenda, iiſque diſpoſitis, quæ ad tantam celebritatem ſpectare uidebantur: ritu ſolemni Hyacinthum inter cælites numerandum, & ut Sanctum per totum terrarum orbem recipiendum, & uenerandum pontificio decreto promulgauit, idque omnibus Chriſtianæ Reipublicæ populis ſignificandum, & prædicandum declarauit. O fęlicem nuntium, o gratam famam, o ſanctam Chriſti Vicarij conſtitutionem, o Pontificis ſummi facinus egregium. Ac certe quid fęlicius? quid iucundius? quid optatius a nobis audiri poterat, quam nos apud Deum deprecatorem tam gratum, tamque potentem eſſe nactos? Quod factum tam inſigne, tam præclarum, & in quo magis, maxima Pontificis reluceat auctoritas, moliri poteſt S. R. E. Princeps quam aliquem in cæleſtium concilio eſſe collocatum declarare? Magna res eſt Pontificem ſummum plenariam omnium peccatorum remiſſionem pænitentibus benigne impertiri; at longe maius eſt, uirum inter cæli ciues eße cooptatum definire: ibi enim in terris, hic in cælis ſuam oſtendit, & exercet poteſtatem. Certa igitur cum ſit D. Hyacinthi gloria, adſcriptio enim hominum inter ſanctos res eſt ad fidem pertinens. Eccleſia uero cum in huiuſmodi rebus errare nequaquam poſſit, propterea eum colere, & inuocare debemus, & tenemur: ipſi quoque poßumus & faces accendere, & thura dare, & tabulas pictas offerre, & aras dicare, et templa ad eius nominis honorem erigere. Ad eum itaq; uiri Mediol. tanquam ad omnium ueſtrarum ægrotationum, neceſſitatum, & periculorum ſingulare perfugium concurrite. Nemo enim ſe eius unquam patrocinio commiſit, qui non ſe ab eo mirabiliter adiutum ſenſerit. Non inficior ſane Deum optimum, ſanctis ſuis uarias morbos ſanandi gratias conceſſiſſe, ut Laurentio cæcis lumen reſtituendi, Sebaſtiano a peſte protegendi, Antonio ab incendio liberandi, Petro Martyri dolorem capitis remouendi,*

*Vincen-*

*Vincentio febrium ardorem cohibendi, aliiſque alias huiuſmodi gratias ſingulares Deum amicis ſuis ad hominum ſalutem largitum eſſe: ait enim D. Paulus Apoſtolus uarias eſſe diuinarum diuiſiones gratiarum. Verum D. Hyacintho non unam ſed multas dedit Deus gratias ſanitatis, Hic enim mortuos ad uitam reuocauit; hic membrorum, & totius corporis ſtuporem, debilitatemque patientes corroborauit, hic febres depulit, hic cæcis a natiuitate oculos aperuit, hic ſurdis auditum tribuit, hic claudos ingrediendi facultate donauit, hic mortifera vulnera ſanauit, hic amiſſum loquendi uſum reſtituit; & ut paucis multa comprehendam, hic innumeras propemodum ægrotationes nullo humano ſubſidio ſanabiles mirabiliter, ut iam diximus, curauit. Quapropter eloquentiorem profecto oratorem huius præclariſſimi viri vita ſanctiſſime acta, uirtutes ſingulares, miracula inſignia, nõ modo poſtulabant, ſed etiam efflagitabant. Quamobrem uos oro, atque obteſtor viri Mediol. ut ſi me ſublimia humiliter, ampla tenuiter, illuſtria inornate tractantem audiuiſtis; cogitetis animis ueſtris neque poſſe quempiam in tam ubere materia omnia perſequi, neque ea, quæ ſatis per ſe clara, & magnifica ſunt, ornatu uerborum indigere. Tu uero Hyacinthe feliciſsime has paucas ex plurimis laudibus quas ad tuam gloriam alius orator ornatiſsimis uerbis contexuiſſet, elegantiſsimeq; expoſuiſset, hilari fronte & paterna humanitate ſuſcipere ne grauere. Et quoniam preces tuas Deo eſſe gratiſsimas non dubito, Tibi inprimis Eccleſiam Catholicam, quam ab infidelibus uehementer uexatam, ab Hæreticis crudeliter impugnatam, & multis undique cinctam periculis uides, plurimum cupio commendatam. Deinde religioſiſsimam hanc tibique maxime addictam Mediolanenſem ciuitatem, quæ ubi de tua inter ſanctorum numerum relatione nuncium accepit, maximæ lætitiæ plurima ſtatim ſigna oſtendit; tuis ſuffragiis adiuua. Tuo denique patrocinio defende, & protege numeroſam hanc ciuium multitudinem, quam hoc in templum cernis conueniſſe, ut me de tuis laudibus dicentem audiret; de tua tibi gloria gratularetur, tibi debitos exhiberet honores, te inuocaret, coleret, & ueneraretur: Deum denique & cordibus, & uocibus, & tubis, & aliorum generum muſicis inſtrumentis, & ſolemniſsima ſupplicatione laudaret; qui te ita mirabilem apud homines in terris effecit, & tanta eum gloria, & felicitate apud ſe collocauit in cælis. Poſtremo, quamuis non opus eſſe certo ſciam, ut tuam Dominicanam familiam tuis precibus tueare teoro, quam ſi cum adhuc mortalis eſſes maxime curaſti, tamque mirifice tuis virtutibus illuſtraſti, certe credendum eſt te nunc immortalitatem conſecutum, eam nullo unquam tempore derelicturum. Dicebam.*

R.P.F.

# R. P. F. IOANNIS CHRYSOSTOMI TRABCINII, ORDINIS PRÆDICATORVM, IN S. HYACINTHVM LAVDATIO;

Pronunciata extempore, in Ampliſſimo Bononienſium, pro feſtiuitate S. Confeſſoris celebranda, congreſſu. Anno Domini 1595.

*IN admiranda totius Orbis lætitia, quam de Hyacinthi Sanctiſsimi Confeſſoris publicis honoribus, omnes omnium nationum populi percipiunt, mihi ad vos de eiuſdem Sancti laudibus ſermonem inſtituenti, idem quod olim cuiuſdam Imperatoris filio eueniſſe, non poſſum diffiteri. Poſtquam enim Parenti ſuo Victori præclaro, lege Senatus decretam ſolemnitatem carminibus, ſacrificijs, publico omnium applauſu, & variò triumphandi genere celebratam, aſpexit, in communi omnium gaudio, ipſe lætitia ingenti permotus, tametſi loquendi vſu defectus, quid ſibi naſcenti negaßet fortuna oblitus, vt benefico patri congratularetur Triumphanti, in voces exultationis prorumpens, ſummis laudibus, licet mutus antea, Parentem victorem celebrauit. Videſne grauiſſime conſeſſus, quantas vires habeat, tum pietas, tum iuſta lætitia? vt abrogata naturæ lege, is qui mutus progenitus eßet, effractis repente naturalibus vinculis, in paterno honore, ſtatim vocalis euaſerit? Idem inquam mihi accidiße animaduerto. Nam cum viderim, parenti meo SS. Hyacintho eodem quo ego ſolo prognato, ijſdem Dominici exuuijs induto quibus ego, ampliſſimos honores ſummi Pontificis decreto, exhibitos eſſe; indignum exiſtimabam, ſi & ego, mutus licet atque elinguis, non in laudes ipſius proſilirem. Ad quem enim potius quam ad me filium, pro patre laborare pertinet? Cui nam Hyacinthum ſanctiſſimum, patriæ meæ protectorem, religionis Dominicanæ decus eximium, Eccleſiæ Septentrionalis fulgiſſimum ſydus, honoribus iuſtis exornare conuenit, quam mihi, qui eiuſdem Patriæ, in eadem Eccleſia, in religione eadem ſub eius clientela viuo? Minus igitur iuſtum quia iudicaui, in hac dicendi prouincia, meum deſiderari officium; tametſi infans ac dicendi artis ignarus, effractis repentè verecundiæ vinculis, ad eum laudandum proceſſi. Sed priuſquam incipiam, vt aliquo Numine ſuffulta procedat oratio; ad quem potiſſimum confugiam, quam ad te SS. Hyacinthe? Permitte itaque tuas a me, rudi forſan, at illa quā ueriſſima oratione laudes referri; excita ingenij mei vires; adiuua SS. precibus imbecillitatem meam. Vos autem qui adeſtis, attendite quæſo, ac pro-*

nis auribus,non propter me, neque enim dignus ſum qui hic audiar , ſed propter eum de quo dicturus ſum,benigne mea a vobis excipiatur oratio.

Vnde igitur in te o SS. Confeſſor ornando & laudando,quominus à tã multis ampliſſimis viris præſentibus reprehendar ipſe incipiam ? vnde inquam meæ orationis initia ducam? Quem ordinem ſequar ? Animi pendeo. An te à patria? Quæ etſi per ſe illuſtris ſit,plus tamen a te luminis ac ſplendoris acceperit , quam tribuerit , quis inficias ibit ? An te à parentibus maioribuſque tuis laudabo; quorum nobilitati abundè reſpondiſti ; qui licet ſatis per ſe clari ſemper fuerint, nulla tamen re magis clari atque illuſtres , quam quod te talem ac tantum filium genuerunt . An te potius a te ipſo,patriam maioreſque tuos celebrabo? Auguratur animus. Hæc certe talia ſunt , vt cum ipſa maximam tibi attulerint laudem,tum vero etiam a te acceperint non minorem. A te itaque Hyacinthe Sanctiſſime incipiat atque in te deſinat oportet mea oratio;quippe qui non alieno ſed tuo ſplendore effulges, non tantum patriæ nobilitate,nec non maiorum imaginibus quam tuis Sanctiſſimis moribus, virtutibuſque clarus. Nam quæ per Deum immortalem,pars ætatis tuæ non ea fuerit claritate ac ſplendore,vt illuſtrare potius illa alios,quam aliena luce illuſtrari debere videatur? Qui primum ex illuſtriſſima Comitum Odrouans familia, ſplendidiſſimis ac Chriſtianis parentibus , ante annum Domini 1200. natus,qua nulla inter Regni Poloniæ familias , neque illuſtrior (amplius dicam)neque antiquior,vel in omni genere ornamentorum cumulatior reperiri poteſt,ex qua tãquam è fertiliſſimo quodam Illuſtrium hominum Seminario , innumerabiles viros, pacis & belli artibus extitiſſe , in quibus amplificandis veteres plurimi , & a quibus fere huius generis orationum principia ducebant. patriæ claritatem, quam etiam quiddam ex illis primam partem felicitatis eſſe dixerunt;nobilitatem generis,opes ac copias, ea ego etiam ſi verè ac copioſè id facere poſſem,in tanti tamen viri laudibus, numeranda nõ eſſe æſtimo. Quanti hæc ſint? Declarauit ipſe Chriſtus, qui totius Orbis Dominus, obſcurum & ante id tempus ignobilem pagum, in quo naſceretur elegit . Deus & Dei filius,Rex omnium in paupere tugurio natus, non habuit vbi reclinaret caput. Immo vero ij demum glorioſi mihi præter cæteros atque illuſtres videntur, qui Deo tantum freti;ea quæ inter homines ſumma habentur,ſine vllis huiuſmodi præſidijs,ſua ſibi virtute pepererunt. Sed his omiſſis,quæ ſapientiſſimus quiſque contempſit,ad Hyacinthum ſanctiſſimum, cuius admirabili vitæ ſanctitati,vtinam par a me adferri poſſit orationis genus : Sed ita prorſus exiſtimo,omnes qui vbique ſunt eloquẽtiſſimos oratores, ſi communi ſtudio ad eum celebrandum , quicquid habent in dicendo virium conferant , omnia tamen illius dignitati inferiora dicturos. Idipſum ita ſe habere,eos qui me attentè audire non grauabuntur,facile cogituros eſſe confido . Hyacinthus ab ipſo ineuntis ætatis principio, Diuinis literis ac moribus mancipatus,om-

nes

res ſuos coetaneos, in literaria paleſtra ſuperans, qualis poſtmodum eſſet fu-
turus, in ipſis ætatis primordijs oſtendebat. Non cum pueris ludebat, non
cum diſcolis verſabatur, vt iam non puer, ſed plane ſenex omnibus vide-
retur. Hinc adoleſcentiæ tactis liminibus, religioſos viros adire, templa San-
ctorum frequentare, literis operam nauare, mortalis vitæ oblectamenta flocci-
pendere, corpus ieiunijs aſflictare, nihil non caſtum, nihil non ſanctum cogita-
re, nullum denique vel temporis momentum remittere; omnia dicere, omnia
facere, quibus indies doctior ac ſanctior euaderet. Hæc SS. Hyacinthi fuere ſe-
mina; hoc eius inſtitutum; Dei videlicet timor & fuga peccati. An vnquam
dilexit infantiā? noxia concupiuit? ſcientiam horruit? Vel aliquādo a peccato-
ribus lactatus? Minime gentium. Euocauit illum ſapientia; ea inquam Regina
quæ foris clamitat, quæ de ſummis excelſiſque verticibus dat vocem
ſuam, & ad filios loquitur hominū, Hyacinthum ſuum dilectiſſimum allo-
cuta eſt. O fili: O iuuenis formoſe; caue laqueum, intellige aſtutiam, ne deci-
piaris ſemitis impiorum, Fallax mundi gratia, vana pulchritudinis imago,
inanis nobilitatis iactatio, vana ſanguinis claritas multos deiecit vulneratos;
fortiſſimi quique mundum complectentes, à mundo interfecti ſunt. Vera ani-
mi nobilitas, non naſcendo, ſed viuendo potius comparatur. Nec abſre qui-
dem. Quid enim obſecro prodeſt generatio clara, illi quē ſordidiſſimi defor-
mant mores? Aut quid nocet illi obſcura natiuitas, quem virtutes adornant?
quem deuotio fidei, quem ſancta vita commendat? Hæc vna eſt nobilitas, qua
filij Dei efficimur, & qua cohæredes Chriſti felicitatem aſſequuntur æternam.
Nobilitate iſta Hyacinthus SS. a primis incunabulis, mirum in modum oble-
ctabatur; propter hanc iocundabatur, & fælicem ſe iudicabat, ſi illa ſibi obue-
niſſet. Animaduertebat, quò fortunatius clariuſque principium, eo finem
periculoſiorem, incertioremque eſſe. Voluebat aſſidue in animo, quemadmo-
dum res humanæ turbinis more ſurſumque commiſceantur, vt quietum mare
turbida tempeſtas; vt lucidum mane, nubilus inſequitur veſper. Quid mirum,
ſi hanc vanæ nobilitatis inſolentiam, & hæc ſalutis impedimenta ſpreuerit, &
reſpuerit? Legerat enim, Chriſto & mundo huic ſimul inſeruire impoſ-
ſibile fore; audierat, quoſcunque amicos huius ſeculi, inimicos Dei con-
ſtitui; viderat, omne quicquid in hoc terreſtri cœno aſpectibus ſubiacet, aut
carnis concupiſcentiam, aut oculorum, aut vitæ ſuperbiam eſſe. Ideò
Diuino lumine colluſtratus, dum ijs qui in ſæculo viuerent, difficilem in cælum
viam iudicaſſet, impulſu ſpiritus Diuini, fugit è patria inferiori vt Abraam,
iterque illud arripuit, quod ſibi ad illā ſuperiorem ac cæleſtem tendenti, tutius
atq; expeditius eſſe iudicabat. Fugit vt alter Loth, neque poſt tergum reſpexit;
cum ſciret eos qui manu ad aratrum poſita. retro diuertunt, aptos non eſſe ad
Regnum Dei. Fugit vt Iacob, & in ea demum terra conquieuit, in qua vidit
ſcalas per quas itur in cælum. Dedit enim nomen in laudatiſſimam D. Domi-
nici

*nici ſodalitatem,in qua,vt primum inſtituta eſt, tanquam in opimo ac fertili agro,codemque bene ac diligenter ſubacto & exculto, viri & doctrinæ magnitudine, & vitæ ſanctitate præſtantes. nunquam alij alijs ſuccreſcere; alijs ex alijs continenter propagari,ac proſeminari deſierunt. Verum; quo & quam permirabili modo? Quibuſue medijs,id factum eſſe creditis? Audite,paucis referam. Erat ei ſanguinis vinculo coniunctus Iuo Cracouienſis Antiſtes, quem eo tempore,è Polonia, forte perſoluendi voti gratia, Romam petere oportebat: qui inter ceteros, Hyacinthum Cathedralis Eccleſiæ Canonicum, virum doctrina,modeſtia,morumque ſanctitate rerum ſecum eligens,Romam venit, ibique S.Patriarcham Dominicum,apud Honorium Pont. Max. pro ſui ordinis confirmatione, nouiter inſtituti vigilantem inuenit. Cuius, tum ſanctæ conuerſationis fama,tum miraculorum (ſuſcitauerat enim eo præſente, Neapoleonem Cardinalis nius nepotem) magnificentia adeo captus fuerat, vt protinus Sanctum Patrem colere,ac obſeruare cœperit,enixè ab eo flagitans, vt ſua Polonia,eius diſcipulorum ſanctæ inſtitutione gauderet. Non patiebatur id quidem inopia fratrum; tamen illius qui Duodenum Apoſtolorum numerum,in totum diſperſerat orbem prouidentia, Hyacinthum cum alijs duobus ad hoc deſtinauit negotium. Igitur toga Prædicatoria indutus, ita vixit, vt iuuenis ſenibus, tyro veteranis, nouitius exercitatis, tanquam exemplum continentiæ, tolerantiæ, frugalitatis, obedientiæ, omnis denique virtutis proponeretur, vt videre videamur, in Beato Hyacintho S. Dominicum reſplendentem,et in B.Dominico,S.Hyacinthum Patris ſui veſtigia in omnibus ſubſequentem. Tandem ſolenni profeſſione, in manibus Beatiſſimi Patriarchæ Dominici emiſſa,iterum Poloniam,duobus ſibi ſocijs deputatis remeauit. Contigit eos per Germaniam tranſire, & in Frizacenſi Ciuitate concionem ad populum habere. vbi Hyacinthus tanto cõcurſu & applauſu populi, Diuino illo officio perfunctus eſt, ut protinus compelleretur ibidem Cœnobium conſtruere, & illud ampliſſima Sacerdotum multitudine replere. Relicto autem ibi Hermanno comite, Cracouiam Poloniæ vrbem Metropolim petijt, vbi ſumma cum omnium lætitia,in æde SS.Trinitatis,iuxta literarum Apoſtolicarum tenorem, & vota Sancti Iuonis Epiſcopi collocatus eſt. Vbi erecto ingenti cænobio Hyacinthus, vna cum ſocijs vitam aſperrimam,ac prorſus difficilem ducere cæpit. Non iam legibus ac præceptis, quam exemplo inſigni, ſubiectos ſibi in officio continebat: & quod omnium maximum eſt,in rebus adminiſtrandis,quæ imperabat alijs,prior ipſe obibat. Nam caſtitatẽ, quis vnquam incorruptius ſeruauit? quam ab ipſo natali die,vſq; ad extremũ vitæ exitum, inuiolatam,intactam & incontaminatam retinuit. Parſimoniã vero ac frugalitatem ita coluit, vt vix quantum naturæ ſatis eſſet, hauriret. Paupertatem,tanta animi alacritate, in omni vita complexus eſt, ut diuitias atque opes,pro quibus inter ſe mortales digladiantur, non modo non quærere,*

F 3 ſed

ſed omnino contemnere ac pro nihilo ducere videretur. Moderationem quam a S. Patriarcha Dominico originali fonte hauſerat, eandẽ perpetuo coluit. Quid vero illud? Quam nouum, quam mirabile? quod carnem ſuam, arctiſſimo ſibi naturæ fœdere copulatam, vilitate ciborum ac veſtium, & rebus omnibus, quæ ad corpus ipſum ſpectant, infatigabili ſtudio macerauit? Quis non miretur virum Sanctiſſimum, qui cum B. Iobo dicere poterat. Nec reprehendit me cor meum, in omni vita mea, ſingulis noctibus, innocentiſſimum, nihilque commeritum corpus nodoſis funibus, adeo acriter verberare, ut riui ſanguinis ad terram vſq; defluerent? Quid lectum eius? Quid parciſsimum ſomnum commemorem? qui in orationibus pernoctans, templo pro cubiculo vtebatur, totas pene noctes ducebat inſomnes? Ne verò, tum longo temporis ſpatio defatigaretur, varias quoad corporis figuram attinet, orãdi formas habebat; aliquando enim toto corpore pronus humi, ante Diuinæ maieſtatis conſpectum proſternebatur; aliquando ſtans erectis in cœlum oculis orabat; quandoque manibus in crucis modum expanſis; interdum uero vulgari modo illoq; vſitatiſſimo, genibus flexis, manibus iunctis, preces ad Dominum fundebat. His enim mutationibus, & corporis laborem leuabat, varioſq; deuotionis modos, hac viciſſitudine excitabat. Quæ res in hoc Sanctiſsimo Viro, eo extitit mirabilior, quod is non in ſolitudine (ut cæteri olim patres) ſed in media hominum frequentia uitam ageret, utpote qui ſe totum lucris animarum, benignitatis atq; miſericordiæ operibus addixerat; quę duo officia, adeo inter ſe diſtantia, vir Sanctus Diuina adſpirante gratia ita coniunxerat, vt neutrum alteri impedimento eſſet. Hoc eſt, ut nec actio contemplationis quietem interturbaret, neq; rurſum contemplationis quies, actionis exercitia impediret. Nec aliter, ſicut illa Sãcta Ezechielis animantia ibant & reuertebantur, in ſimilitudinem fulguris corruſcantis; ita vir Sanctus, ſumma alacritate foras ad proximos ibat, viſitabat ęgrotos, ſubueniebat neceſſitate oppreſsis, & initio, ad intimæ contemplationis ſecretum reuertebatur. Hęc quamq; ſatis multa, per ſe clara atque illuſtria uideri poſſunt, quibus illum immortalitate, dignum facile iudicetis, plura tamen in illius rerum geſtarum, multitudine & ſplendore earum obrutus omitto. Parcite, A. O. properanti, parcite etiam dicenti. Tam enim variam ac multiplicem dicendi facultatem, ſuppeditat nobis, Sanctiſsimi HYACINTHI laudum ſeges ac copia, vt & neceſſum mihi ſit properare, & nonnulla tamen attingere opportunum. Nunc enim vt pictor, cui in exigua tabella, ingens aliqua multitudo hominum exprimenda eſt, nonnullorum vultus tantum atque ora, multorum ſolos vertices oſtendit, totum reliquum corpus abſcondens; ita me, cui innumerabilia Sanctiſſimi HYACINTHI æternis digniſſima laudibus facinora, in anguſtum vnius breuiſſimæ orationis curriculum concludenda ſunt, multa, quæ ſi explicari poſſent incredibilem ſui excitarent admirationem, delibare modo & attingere, multa etiam ſignificare potius

quam

*quam oſtendere neceſſe eſt. Itaque vt alia quam plurima prætercam, ea tantum attingam, quas iam ſenio confectus magnis quidem laboribus & periculis, annis iam graueſcentibus agere non recuſauit. Nam quæ longiſſima itinera non ſuſcepit? Quas regiones non peragrauit? Quos æſtus? Quæ frigora Septentrionalia? Quos labores? Quæ tandem pericula, non ſuſtinuit? dum ex Cracouia in Orientalem vſque progrediens plagam, vitæ verbum indefeſſe ſeminando peruenit Kijouiam, quæ in veteri adhuc ſuperſtitione erroribus plena perſiſtebat. Colebant enim incolæ eius ignem pro Deo, ei aras & templa ponebant, eum ſumma cum diligentia in celeberrimis quibuſque oppidis aſſeruabant, fulmini quoque Diuinitatem quandam ineſſe credebant, viperis & alijs ſerpentibus, imo & arboribus eundem tribuebāt honorem; Si quid aliquis horum violaſſet, inexpiabile ab eo ſcelus conceptum putabant. Cum hoc per ſe miſerabile erat, talem tantamque religionem, tanto tempore, in tanta errorum fœditate verſari, HYACINTHVS ſanctiſſimus, ò bone Deus quam multis, quam certis, quam inſitatis documentis, ſuæ pietatis magnitudinem teſtatus eſt? Nam cum populum ægre ab inueterata ſuperſtitione auelli videret, ipſe omnibus inſpectantibus, manu ſua illis quas aliquando coluerant arboribus ſecures impingens, tum immenſam vim aquæ profundens, in illos tamdiu adoratos ignes. Non eſt clamabat, non eſt Deus qui exſcindi, aut qui extingui poteſt. O ſtupidos homines. Quænam in planta inanima Diuinitatis poteſt eſſe ratio, quæ nec ſeipſam a flammis, neque vos a mille diſcriminibus liberare poteſt? O cæcitatem veſtram. Quinam ſunt Dij, quorum alter alteri pro pabulo eſt, alter alterum abſumit? In venenatis autem & mortiferis animalibus, quæ ſublimis maieſtatis Diuinæ erit ſimilitudo? Agnoſcite, agnoſcite miſeri errorem veſtrum, mentes veſtræ oculos tandem aliquando ad Deum omnium rerum effectorem conuertite; nedum æternum vt falſo putatis ignem colitis, in alium ignem verè æternum incidatis. Simul hæc omnia, ſimul & religionis noſtræ principia, ſummam fidei noſtræ ab Apoſtolis traditam, quam Symbolum vocamus, ſimul præcandi formulam a Chriſto Ieſu inſtitutam eos edocebat, atque vt poterat ediſſerebat; vt eodem tempore & vetus ille ignis pro Deo habitus extingueretur, & nouus ignis Diuini amoris in eorum pectibus accenderetur. O virum rari & ſingularis exempli, ò ardorem animi incomparabilem, ò pietatem omnibus ſæculis prædicandam a qua tanta procedebat amoris flamma. Ita igitur inflammauerat illorum animos, vt ad danda Chriſto nomina ſimul omnes facto agmine concurrerent, ſeque longiorem moram, pati non poſſe clamarent. Ideoque ibi & alijs in locis illius Prouinciæ, quam plurimis Cænobijs erectis in Poloniam remeauit. Contigerat eum in itinere, Vandalum fluuium aquarum copia rapidiſſimum tranari debere, ſed nullo ibi nauigio, nec nauclero inuento, ope maxima in Dei auxilio*

excitatus ſuſis ad eum precibus, ſignoque crucis facto, ad ſocios quos habebat comites conuerſus, Eia, inquit, filij, ſequimini veſtigia mea in nomine Chriſti, moxque ſicco veſtigio cæpit ſuper tumentes vndas ambulare; at illis præ timore ſequi detrectantibus, expandens ſuper aquas pallium, Agite, inquit, filij chariſſimi, ſit iſte nobis pons Ieſu Chriſti, per quem in nomine eius tranſeamus. ſicque magna cum omnium admiratione, flumen illud altiſſimum & rapidiſſimum vna cum ſocijs incolumis mirabiliter traiecit. O nimis admirandam HYACINTHI Sanctitatem. O reconditos profluentium aquarum ſenſus. Quis oro à flumine & eo turgido, & eo demũ furenti, non ſtatim terga vertiſſet? Hyacinthus non vertit. Quis de traiectione non deſperaſſet? Non deſperauit Hyacinthus. Quis pedem illico non retraxiſſet? Non retraxit Hyacinthus, ſed ſicco veſtigio in aquam figens veſtigia, illius dorſum calcauit, & non madeſactis plantis, non irrigato pallio, & ipſe præceſſit, & ſuos traiecit. Quid eſt tibi Vandale, quod ad Hyacinthi obriguiſti aſpectus? Quæ cauſa, quod in liquidum vorticem rapidum, non abſorpſiſti, ſed tuis humeris pertuliſti HYACINTHVM? Quæ ratio nouitatis, quod tuæ naturæ oblitus es? Hyacinthus, ait, me concalcauit, qui nullo ſceleris pondere depreſſus eſt? Hyacinthus me calcauit, qui à terra ſecretus, nihil commune cum terrenis habet, non illum terra ad ſuos complexus detrahit, ad cælum ille euolans, ſe & ſuum corpus, per charitatem & puritatem, omni alite leuiorem effecit. Sed iam tempus admonet, vt & illius SS. vitam, & noſtram orationem, aliquando ad exitum deducam; non quo me in Hyacintho laudando deficiat materia; nam quo plura dixerimus, eo plura dicenda ſemper remanebunt; non quò vos feſſos animaduertam, quos SS. Hyacinthi laudibus ac memoria video recreari, at vero ita me ſentio turbari, ijs lachrymis oculos oppleri, ita debilitari vocem, cum de tranſitu Hyacinthi dicere propono, vt verear cæptam orationem occluſis faucibus imperfectam dimittere. Sed non ego te SS. Hyacinthe deploro, non doleo vices tuas, non inuideo fælicitati, noſtra damna, noſtras ærumnas noſtras lugeo calamitates. An pupilli & orphani ſuum defenſorem? An filij patrem optimum non lugebunt? Hic mihi ampliſſima latera, hic vocem ferream dari optarem, hic mihi tandem auxilio opus eſt tuo. Ad te iterum Hyacinthe SS. Pater confugio, erige labantem animum, abſterge oculis lachrymas, excita vocem debilitatam, tuis auſpicitijs cæpta eſt, tuis deſiſtat oratio. Annũ igitur ætatis ſuæ 74. iam erat natus S. Hyacinthus, cum temporibus multis expletis, ligaminis ſui corporei præſentieus compaginem diſſoluendam, reliquit ſuæ ſanctitatis inauditæ ſpecimen admirandum. Illuxerant vigiliæ Aſſumptionis Beatiſſimæ virginis. cum SS. H. naturæ officium ſibi perſoluendum eſſe proſpiciens, vocari iubet fratres in cellam ſuam, canonicas laudes cum illis vti conſueuerat perſoluit, imperat fieri ſacrificium, quo peracto

*genibus flexis SS. corpus Chriſti cum omni fletu & deuotione ſpiritus, reuerentiſſime ſuſcepit, atque vt nos doceret omnia prorſus quæ ad illud iter extremum in cœleſtem patriam conficiendum, perneceſſaria ſunt. Extremæ quoque vnctionis clipeo voluit communiri. Præmunitus itaque omni ex parte S. Hyacinthus ſuos fratres nequaquam oblitus, imitatus Euangelicum illum diſpenſatorem, qui peregre profecturus, precioſa talenta ſuis chariſſimis erogauit, eos ſic allocutus eſt. Quia iam ab his corporeis carceribus euolantem, & vi ſua ſe attollentem ſpiritum Deo redditurus ſum in manus, vos obteſtor viſcera mea, ne diſciplinam a me vobis traditam relinquatis; a vobis hoc vnum exigo, voſque adiuro per eam quam erga me habuiſtis charitatem, charitate mutua voſmet proſequamini, cordis munditiem nullo ſcelere contaminetis demum voluntariam paupertatem, Diuinæ pignus gratiæ certiſſimum, votis omnibus complectimini. Hoc eſt ſanctum & inuiolabile fœdus, quod altiſſimus Deus cum Patriarcha noſtro Dominico pepigit, hoc poſteritati obſeruandum vltimo teſtamento delegauit. hoc a nobis ſuo iure vendicat, vt filijſimus non degeneres, ſed æmulatores paternarum virtutum. His dictis, in SS. Crucis effigiem deuotiſſimè coniectis oculis, æternitatem illam beatiſſimam, mente cogitationeque iuuadens, lætus & hilaris, cum recondita alacritate, inter vberes filiorum lachrymas, Anno Salutis Mileſimo ducenteſimo quinquageſimoſeptimo, de labore ad præmium, & de morte ad uitam fœlix volauit. Hæc eſt precioſa & glorioſiſſima Sanctiſſimi Hyacinthi mors, quam Dominus miraculis permaximis illuſtrauit. In morte enim ipſius & mortui ad vitam excitati ſuere, & mortales cœleſtium ſpectatores digni extitere. Viderunt Epiſcopi Sanctiſſimum Hyacinthum recta ad ſydera, ſtipatum choris Angelicis petentem. viderunt ſanctimoniales Hyacinthum in comitatu Sanctiſſimæ Deiparæ cum odoris fragrantiſſima luce ad ſempiterna cœleſtia regna euolare. Viderunt eremitæ ex ſepultura Hyacinthi, radios immenſi luminis & ad caput, & ad pectus, & ad pedes corruſcare. Vidit ſponſa Eccleſia Hyacinthum ſupra ſydereos elatum globos, manuum Dei precioſiſſimo annulo inſertum fuiſſe. Hæc eſt gloria Hyacinthi; hæc mira ornamenta Hyacinthi, miraculorum & charitatis ſplendor, quorum vtrumque in gradu præcellentiſſimo ipſi inſitum fuit, vt ſi æqua lance, vtrumque librare voluerimus, non facile dignoſcere poſſemus, quid alterum altero mirabilius ſit atque nobilius. Hæc ſunt ſua merita quæ cœleſtem gloriam ei promeruerunt,*

*tabulas publicas ædes magnificas extruxerunt. hæc omnium gentium populos Chriſtianos in eius venerationem pellexerunt. Exulta ſatis o fæliciſſima Felſina quod tuus Profeſſor, tuus alumnus, tuus Doctor legum Sacrarum, tantis cohoneſtatur ornamentis. En ille alterna vice, non iam ſcholas ſed Templa tua auguſtiſſima ingreditur, hunc tu obuijs ulnis excipe; eius te totam clientelæ trade, eius inuoca patrocinium. Tu benemerendi multas illi ac præclaras procudiſti occaſiones, benemeritorum ille tibi rependere conabitur vices.*

*Dicebam extempore.*

# IN HONOREM S. HYACINTHI, GLORIOSAE VIRGINIS, ET RELIGIONIS DOMINICANÆ, LAVDATIO.

## A NICOLAO SPINVLA GENVENSI, Iureconſulto Cæſarauguſtæ in eius Auguſtiſſimo templo habita extempore. Anno 1594.

Alma parens tu nos cuſtodi, & numine Sancto
Spinulæ affer opem, Diua benigna tuo.

*QVICVNQVE ex hoc ampliſſimo atq; auguſtiſſimo loco, clarorum atq; Illuſtrium virorum laudes celebrandas ſuſcipiunt, Sacræ paginæ Patres, Auditores ornatiſſimi, hi ſolemne hoc inſtitutum, mirificis laudibus tanquam honeſtum ac pium: ac illorum præclariſſimis virtutibus debitum efferre ſolent, vt nulla ratione inauditum atq; inuiſum videri poſſit, ſi in hoc omnes neruos, omnes animi cogitationes, omnia deniq; ſtudia intendant, tanquam de his rebus verba facturi, vt & ſi ſeſe nihil ingenio, neq; vſu palam poſſe profiteantur, his tamẽ ducibus, & tanquam ſigniferis freti, ad dicendum conuocentur, vt nihil ſit tam difficile, nihil tam durum, nihil tam arduum, nihil tam formidabile, quod non facile, molle, planum atq; expeditiſſimum futurum ſperent. Id mihi pro munere, heſternis diebus, de mandato accidit, vt & ſi propter loci amplitudinem, rerum grauitatem, ab hoc extemporaneo dicendi genere abſtinere debuiſſem, vel eo maxime, quia curarum pondere preſſus, hac atq; illac trahor. Summæ tamen laudi mihi eſſe tribuo, cum honoris, famæ, nominiſq; periculo potius decertare, quã huic Illuſtriſſimæ & Sacroſanctæ Dominicanæ religioni, cui meipſum, quantus quantus ſum debeo, vllomodo reſiſtere, & ingratitudinis nota, quam ſemper exhorrui, aduri. Non quod non ſcirem, quid ferre valeant humeri, quidue recuſent; onus enim Aethna grauius me ſuſtinere ſentio; cui Theopompus, Milo Crotoniates, & ipſe Atlas, qui caput inter nubila condit, ſuccumbant.*

*Cæſaraugustæ, & in hoc Auguſtiſſimo tantorum Patrum templo dicere; aut habeat oportet pectus optimis diſciplinis excultum, habeat actionem cum pronunciatione, & ea quæ in excellenti Oratore exquiruntur; vel certè nihilo plus agat (vt dicit Comicus) quàm ſi det operam, vt cum ratione inſaniat. Nam & Soli lucem, mari aquam, addere noctulas Athenis, Cocodrylos Aegyptum deferre.*

Idemq; pulſantes littora fluctus
Et Lybicas numero, comprehendere tentat arenas.

*Tantus & enim maximarum rerum cumulus, tanta copia ſeſe offert, vt vnde initium dicendi ſumam, planè ignorem. Omnia ſunt & enim præſtantiſſima; omnia prolatu digniſſima; omnia certatim ſuccurrunt mihi, & in mentem veniunt, quæ ſi recenſere voluero, ante diem clauſo componet veſper Olympo. Hic ego, ſi quod Poetæ ſolent, idem mihi facere liceret, Neſtoreum aliquod aut Vlyſſeum eloquentiæ flumen optarem, vt quemadmodum vna cum honoris amplificatione, virtus accreuit, ita mea quoque in explicatione tantarum laudum, quaſi per gradus attolleretur, & ſeipſa grandior & ſublimior fieret oratio. Sed certè obruor materiæ pondere & inopem me copia facit. Imitabor igitur Thimantem illum, qui quod Penicillo pingere non poterat, velo contexit. Vel rectius & præclarius Apellem; cui cum in exigua tabula ingens hominum multitudo exprimenda eſſet, nonnullorum tantum vultus, atq; ora; multorum ſumma capita oſtendit, totum vero reliquum corpus abſcondit. Sic ipſe ſedulas apes, delibare modo & attingere, multa etiam ſignificare, potius quam oſtendere feſtino. Soleo ego clariſſimam hanc ſodalitatem appellare, phalangem illam Macedonicam quæ & in ſtataria, & tumultuaria pugna, Alexandro illi Magno Orientis terrori, & cui totus non ſufficit orbis, & locãdo quod erat Pyrrhi, & cunctando Fabij, ac conſerendo manus Marcelli, quæ tria ipſe vnus habebat, innumeras victorias, clara Trophea, inſignes celebreſque Triumphos ferens, ſpolijs onuſta opimis ouans ſemper ad caſtra reuertebatur. Ita ex hac generoſa proſapia; fœlici Syderum conſpiratione factum eſt vt tanquam ex immenſo illo vaſtoq; Oceano patre, celebratiſſimoq; Equo Troiano, quocunq; tempore, ſolidæ doctrinæ viros, philoſophos ſummos, Oratores & Concionatores eximios, profundos Theologos, ducentos nonaginta ſeptem Martyres, miraculis & vita claros innocuo ſanguine. Inter quos Sancti Officij Inquiſitores, Pontius Hiſpanus, Guilelmus Almaldus, in Italia, Belgio, Germania, Mauritania, Tingitana, vltra Sauromattas, Garamantas & Indos, (ad quos neq; Romanæ literæ penetrarunt) coram atrociſſimis Tyrannis, maximis ſupplicijs, & acerbiſſimis cruciatibus, inuicta conſtantia terram irrigantes glorioſo ſanguine, laudabili certamine, auguſtiſſimoq; triumpho vitam clauſerunt. Neq; ſilentio inuoluenda, ſeptem illa corruſcantia ſydera; Vincentios Ferreros, Petros Marty-*

tres, Raimundos, Thomas Aquinates, Antoninos, Elmos, Catherinas Senenſes; Non ſeptem colles Romæ, non Mauſeolum; aut ſeptem miracula mundi, ſed Machabeos illos ſepteno numero fratres, Pontificijs diplomatibus celebrata & publicata. Quinquaginta quatuor Sacras Virgines, inter quas Margarita Regis Vngariæ filia, vere ſpecioſiſſima Margarita; Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ triginta quatuor verè Cardinales Eccleſiæ; inter quæ tria natu ræ monſtra. Caietanus, Turrecremata & Hugo, Thiara fulgētes Pōtifices tres, quibus PIVS QVINTVS iſtius Ordinis Aurea regula, vitiorum acerrimus vindex, hæreticorum maleus, priſcæ illius antiquitatis, & Sanctitatis exempla, inita & conſtituta cū Philippo Rege vere Catholico, & cum Venetis belli aduerſus Turcas gerendi ſocietate, Ioanne Auſtrio adoleſcente nobiliſſimo, Duce impigro, ſtragem illam de hoſtibus fidei, & memorabilem victoriā apud Naupacteam inſulam, in ſinu Corinthiaco adeptus eſt. cuius exitus fama ad Antipodas penetrauit. Dies me deficeret, ſi ſeptuaginta ſex Archiepiſcopos, Doctores omnigena diſciplina refertos, ducentos & quinquaginta quatuor Beatos Confeſſores, Martyres inclytos decem ſupra tercentos, Sacri Palatij Magiſtros quadraginta tres, Patriarchas quatuordecem referre vellem. A Diuo Dominico & Petro Martyre, a quibus Sanctę Inquiſitionis officium originem ſumpſit, Inquiſitores innumeri, accerrima propugnacula contra illam hæreticorum rabiem, hederam ſerpentem, belluam multorum capitum, centimanum Gygem & Briareum, Cerberumque triſauci murus, antemurale, ac Turris illa Dauidica, ex qua mille clypei pendent armatura fortium, ſemper extiterint. Et ab illo Alberto Magno, altera alba præcunte, & præcurrente aurora, Solem fulgidiſſimum Diuum Thomam Aquinatem, Neapoli Illuſtriſſimo ſanguine cretum, Italiæ decus & Iubar Gentium Doctorem & Magiſtrum. Qui bos appellatus talem mugitum orbi dedit; vt Angelicus totum patefeciens Olympum, arcanorum abditiſſimorum, & profundiſſimorum fidiſſimus interpres, in ſacello a Crucifixo audiuit. Bene ſcripſiſti de me Thoma. Et quis eſt hodie, tam inacceſſus, tā ab hominū memoria remotus in terris locus, quo non tantæ religionis fama peruaſerit? Quis populus? Quæ gens? Quæ hominum natio, vel tam immanis, vel adeo barbara, quam non iampridem facunda hæc & fęcunda omnium ſcientiarum Mater, non modo gloria, ſed & ſplendore nominis ſuī penetrarit? Nam vt Sol oriens nebulas diſijcit; vt ventus aream purgat, ita Dominici Sacerrimus ordo ignorantiæ tenebras diſſipat, & mundum hunc inferiorem à praua impu-

Hyacintho qui honores ab Hiſpania exhibiti.

*Comitum Illuſtriſſimorum decore & ſplendore illuſtratus, lætis nuntijs, a* CLEMENTE *VIII. P. M. elucesſcentem hanc gemmam in Eccleſiam inſerente acceptis, tantus Magnatum, equitum, Ducum, & Regum omnium ætatum atque ordinum concurrit, tanta multitudo omnis generis & ſexus effuſa eſt, vt ipſa mœnia, colles, pagi, omnia Regni Arragonenſium loca, ſedibus ſuis relictis, ſi natura pateretur, obuiam tibi ò Sanctiſſime Confeſſor, prodire cupere viderentur. Quacunque inceſſeris, maxima celebriſq; pompa, longo per Ciuitatem ordine diſtincta fuit; fauſtis acclamationibus omnia in tuas laudes perſonabant; omnes redundantem & foras erumpentem lætitiam, geſtientes ore, oculis, & manibus indicabant; omnium in te figebatur obtutus; te vt firmiſſimum ac ſolidiſſimum Hyacinthum, immobilemq; tantæ Religionis columnam intuebantur. Cœlum ipſum manifeſtè fauit honori tuo; cum quod aliquot dies, antea triſte ac nubilum fuerat, ita derepente nitere cœpit, vt illa ſubita ſerenitas, facile omnibus indicarit honores, qui tibi* CAESARAVGVSTAE *haberentur, etiam Cœliſtium iudicio comprobari. Quod ſi Adamas (vt ſerunt) ſanguine hircino frangitur & emolleſcit; Hyacinthus illo durior ac firmior, & ſolidior; ſolo pretioſo Chriſti ſanguine liqueſcit, flectiturque, & non frangitur vndis. Quare te* CLEMENS *Octaue omnes admirantur, qui tantus taliſque pretioſorum lapidum æſtimator, volueris vt locus (iuxta philoſophum) eſſet ſimilis locato. Sereniſſimus Hyacinthus in Sereniſſima, empyreaque illa patria a Ioanne deſcripta, & ab illo non illepido Poeta adumbrata.*

Regia Solis erat, ſublimibus alta columnis,
Claro micante auro, flammasque imitante Pyropo,
Cuius ebur nitidum, faſtigia ſumma petebat.
Materiam ſuperabat opus.

*Iam diu collocatus, publicis diplomatibus, viuæque vocis oraculo, iuſſu tuo vniuerſo terrarum Orbi innoteſceret; ne amplius diceretur, Ab Aquilone omne pandetur malum. Surge igitur Aquilo; veni Auſter; perflate hortum plantationum Dei, vt fluant aromata eius. Vt virgula enim fummi, preces tuæ acceptæ, Regina Cœlorum teſtante, ad conſpectum Dei aſcenderunt. Quod ſi Sicilia a triplici promontorio Trinacria dicta eſt; Cæſaraugusta ab Auguſtiſſimis Templis D. Engratiæ, Pilari & Portillo, triplici vallata & circundata muro; eo fœlicior, quod veræ religioni innixa, ſecura (vt, inquit melliſluus Bernardus) ad Deum accedere poterit. Nam filius oſtendit patri latus & vulnera, Mater filio pectus & vbera; Hyacinthus Matri lucem odoriferam, integer vitæ ſceleriſque purus, innocuæ illibatæque vitæ normam; vbi poterit eſſe repulſa, cum tot adſint charitatis inſignia? Sed tempus me admonet,*

*vt*

*vt receptui canens vela contraham, Sacratiſſimoque huic Roſario ſpinula, vere minima ſpina, non roſam, licet ex ea naſcatur, ſed roſæ, & Hyacinthi odorem, voluntatem nempe, & pium ſincerumque affectum, humi proſtratus humilis, ſupplex offeram & dedicem. Deus Opt. Max. CLEMENTEM VIII. Philippum Regem, Chriſtianæ Reipublicæ columina conſeruet & protegat; Cæſarauguſtam, ampliſſimamque hanc religionem virtutum ſeminarium, pacata, quieta & opima pace frui permittat Dicebam.*

FINIS.

# REGISTRVM.

a A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee.

*Omnes ſunt Duerniones, preter Ee, qui eſt Ternio.*